







MLS
63
25



FRANCISCI SANCTII BROCENSIS,

In Inclyta Salmanticensi Academia Emeriti, olim Rhetorices, & Primarii Latinæ, Græcæque Linguæ Doctoris,

OPERA OMNIA,

UNA CUM EJUSDEM SCRIPTORIS VITA,

AUCTORE

GREGORIO MAIANSIO

Generoso Valentino.

TOMUS SECUNDUS,

SEU

OPERUM PHILOLOGICORUM

PARS PRIMA.



GENEVÆ,


Apud *FRATRES* DE TOURNES.

MDCCLXVI.



ELENCHUS TRACTATUUM TOMI SECUNDI.

FRAN-



FRANCISCI SANCTII BROCENSIS,

In Inclyta Salmanticensi Academia olim Emeriti Rhetorices, & Primarii Latinæ Græcæque linguæ Doctoris,

DE SACRIFICIIS IN CATHEDRÆ PETITIONE PRÆLECTIO.

DUM Magistratus res divinas facerent, vel auspicia captarent, a præcone inclamabatur HOC AGE. qua voce adstantes admonebantur, ne perfunctoriè, aut alias res agentes sacris, aut auspiciis operam darent: sed attentis animis in eam curam ac cogitationem incumberent. Plutarch. in *Numa*, & *Coriolano*. Terentius: *Hoc agite amabo.*

Minister qui victimam cædebat, priusquam feriret, rogabat sic: AGON, id est, Agone? Hinc putat Varro, Agonales dies dictos: Ovid. 2. *Fast. de Agonalibus.*

Nominis esse potest succinctus causa minister
Hostia cœlitibus, quo feriente cadit:
Qui calido strictos tincturus sanguine cultros
Semper, Agatne, rogat: nec nisi jussus agit.

Nomina hostiarum sive victimarum.

Majores	*Piaculares*	*Harugæ.*	*Opimæ*
Lactentes	*Prodigæ.*	*Maximæ.*	*Præsentaneæ*
Animales	*Mediales*	*Ambiegnæ*	*Egregiæ*
Ruminales	*Caviares*	*Confectæ.*	*Lectæ*
Injuges	*Optatæ*	*Præcidaneæ.*	*Duides*
Eximiæ.	*Optimæ.*	*Fordæ*	*Edules*
Succidaneæ	*Harvigæ*	*Sacres*	*Altilaneæ.*
Ambarvales			

Verba hostiis accommodata.

Hostiæ probabantur, admovebantur, stabant, feriebantur, cadebant: cædebantur, mactabantur, immolabantur.

De probatione victimæ. Plin. *libr.* 8. *cap.* 45. Tertull. *in apolog. Exta probata* dixit Tibull. *lib.* 3. Lucian. *de sacrificiis* docet quomodo probarentur victimæ, antequam aris admoverentur. Servius aliam etiam probationem ostendit. 2. *Æneid. Dant fruges manib. salsas*, & 9. *Æneid. Et statuam ante aras. Quoties*, inquit, *victima luctabatur, ostendebat se improbari.*

Ducebantur victimæ, non trahebantur. Cicer. I. *Divinat. Quum Censor populum lustraret, bonis nominibus, qui hostias ducerent, eligebantur.* Suet. *Aug* 59. Plin. *lib.*28. *cap.*2. A. gell. *libr.* 4. *cap.* 6. *Si primis hostiis litatum non erat, aliæ post eodem ductæ hostiæ cædebantur.* Ovid. *Amor.* 3. 12.

Ducuntur niveæ populo plaudente juvencæ. Statius *lib.* 4. *Theb.* *Armentaque sisti*
Atra monet, quæcunque gregum pulcherrima cervix.
Ducitur. Virgil. 2. *Georg.*
Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram.

Macrob *lib* 3. *Saturn. cap.*5. vide locum. Plin. *lib.* 8. *cap.* 45. vide locum. Suet. *Juli*[illegible] 59. vide locum. Vide Festum, *Piacularia sacrificia.* Livius *lib.* 21. *de Flaminio consule sacrific.* Suet. *Galba.* 18. Cornel. Ta-

*Tacit. lib.*19. *de Vitellio.* Lampridius *de Morte Alexandri Severi.* Valer. Max. *lib.*1. *cap.* 6. Dion. *lib.*41. Ammian. Marcell. *lib.*24. *de tauris decem.* Sil. Italicus. *lib.* 5. *Nec rauco taurus cessavit.* cæt. Idem *lib.* 19. Et *simul extructis cespes surrexerat.* cæt. Servius 2. *Æn. Et magno mercentur Atridæ.*

Quin & diros hostiarum mugitus aversabantur. Ovid. 7.

Mugitus victima diros Edidit.

Lucianus *de sacrificiis.* Plutarch. *Sympos.* 8. *cap.* 8. Hinc dicitur, *hostiam cervicem feriendam præbere, offerre, porrigere, dare.*

Adductæ hostiæ aris admovebantur. Virgil. *lib.*12. *Æneid.*

Admovitque pecus, flagrantibus aris. Lucan. *lib.*1.

Sacris tunc admovet aris Erecta cervice marem. Cornel. Tacit. *lib.*2. & *alibi.* Suet. *Calig.*32. Arnob. *lib.*7. *& alibi.* Ammian. Marcell. *lib.*23. Ovid. *lib.*7. *Admotos templis tauros.* Val. Max. *lib.*1. *cap.*1. *Admota aris exta.*

Admota aris hostia dicebatur *Stare,* interim dum vota conciperentur, eique vinum ac mola inspergeretur. Virgil.2. *Georg. Stabit sacer hircus ad aram.* & *lib.* 3.

Sæpe in honore Deum medio stans hostia ad aras. Ovid. *lib.*1. *Fast.*

Rode caper vitem, tamen hinc quum stabis ad aras,
In tua quod spargi cornua possit, erit.

Seneca. *Hercul. Fur. Act.*4. *Sce.*1.

Stat ecce ad aras hostia, expectat manum cervice prona: Idem *Herc. Oet. Ut stetit ad aras omne votivum pecus.* Martial.3. *Vite nocens rosa stabat moriturus ad aras Hircus:* Sil. Ital. 16: *Victimaque admotæ stabat subjecta bipenni.* Plin. *lib.*28. *cap.*2.

Ferire Græce παίειν ad victimas pertinere docet Paulus, qui *Ferias a feriendis* victimis appellatas scribit. Ovid.

Colla rudes operum præbent ferienda juvenci,
Quos aluit campis herba Falisca suis.

Seneca *Herc. Oet. Me nuptiali victimam feriat die.* Ovid. 4. *Ponto. Albave opimorum colla ferire boum.* De herba porro Falisca, & Clitumni gregibus, unde albæ ducebantur victimæ multa leges apud Plinium *lib.* 2. *cap.* 103. Virgil. *Georg.* 2. Ovid. *lib.* 4. *Pont. eleg.* 7. Prop. *lib* 2. Stati. 3. *Silv.* Silium Ital. 4. *& lib* 8. Juven. *sat.* 12. Claud. 6. *Honor. consul.* Verbo etiam *Percutiendi* sæpe Ovidius utitur, & Florus, & Obsequens *de Prodigiis.* Ictam quoque victimam aliquando dicunt poëtæ.

Percussas autem victimas fuisse securi, tritum & pervium est. *Cadendi* verbo passim utuntur poëtæ. Virgil. *Æneid.*

Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra.

Innumera sunt exempla, quibus supersedeo. Passim etiam dicunt Latini *stantem*, & *cadentem hostiam.*

In quam vero partem caderet hostia, quomodo veteres observaverint, docet Fest. in voce *Piacularia.*

Mactant lectas de more bidentes. 4. *Æneid.* Virgil. Ubi Servius: *Mactant*, verbum sacrorum κατὰ Εὐφεμισμὸν dictum, quasi magis auctum: unde & *magmentum* dicebant. Olim enim hostiæ immolatæ dicebantur *mola salsa tactæ.* Quum vero ictæ, & aliquid ex illis in aram datum, mactatæ dicebantur per laudationem, per boni hominis significationem, ut *Adolere.* Nam, *Mactare*, est magis augere.

Idem. 9. *Ænei.* Immolari proprie dicitur, sed quum accipiunt molam salsam, vide Festum in voce, *Immolare.* Ovid. *Metam.* 15.

Imponique suæ videt inter cornua fronti
Quas coluit fruges.

Qui vero sacrificabant, *Facere* dicebantur, sicut Græci θύειν, non tantum quod Plutarch. observavit *lib. Symp.* 7. *cap.* 8. sed & *Dran* dicebat, ut ait Athen.

Athen. *lib.*14. vide Nonnium, *Auma.* Virgil. *Eclo.* 4.

Quum ſacram vitula pro frugibus ipſe venito.

Ego tamen ex vulgari modo loquendi dico deeſſe accuſativum *Sacrum*, vel *ſacra.* Nam ſæpe apud Homerum lego: Ιερα ρεζων, *ſacra faciens.*

Atque ita *Sacrificare*, nomen eſt generale, ad omnia ſacrificia ſive ſint oblationes, ſeu gratiarum actiones, ſive expiationes, cætera.

Quum vero ſacrificio peracto bona exta nunciabantur, deoſque placatos, & propitiatos indicabant, promittebantque iis volentibus, & propitiis bene, ac fœliciter eventurum, quod aggrediebantur, ſeu in animo habebant, qui ſacrificabant, tunc *Litare dicebant*, vide Macrob. *lib.* 3. *cap.* 15. *Satur.* Idem *lib.* 1. *cap.* 8. *Somn. Litationem propitiationis* dixit.




FRANCISCI
SANCTII
BROCENSIS,

In Inclyta Salmanticensi Academia Primarii Rhetorices, Græcæque linguæ Doctoris,

PARADOXA.

Juxta Exemplar Antverpiæ anni 1582.

GENEVÆ MDCCLXV.



FRANCISCUS SANCTIUS BROCENSIS,


Veritatis Indagatori, S. P. D.

INVETERATA *querela est*, LECTOR CANDIDE, *& in Ciceronem, virósque alios doctissimos sæpe jactata, eorum qui ægrè ferunt quicquam in litteris innovari extra ea, quæ à præceptoribus suis à primis annis imbiberunt. Quos video non alia potiore ratione niti, quàm ea, quæ ab opificibus solet usurpari: Sic videlicet à suis majoribus accepisse. Quæ ratio in iis tantùm, quæ ad orthodoxam nostram fidem spectant, firma & constans esse deberet: cæteris omnibus in rebus ratione, causa, doctrina, non recepta hominum persuasione disputandum. Nec id hoc dico, quòd me aut alicujus autorem profitear novitatis, aut eos velim defendere, qui novitatis sese profitentur inventores. Ego etenim quo potui semper conatu antiquitatis & amator, & investigator extiti: unde factum est, ut cùm pervetera doceam, sed inaudita plerisque, rerum novarum excogitator appeller. Cur, obsecro te, qui nitorem incultis, obscuris lucem, barbaris elegantiam restituit, novitatis crimine sit condemnandus? Cur istis potius non venit in mentem non ita pridem mille quingentas fere glossas ex jure Pontificio esse sublàtas, quas hactenus & vulgus doctorum approbaverat, & multi non parva volumina in illis interpretandis consumpserant? Quo solo argumento possem istorum os facillimè obturare: multa scilicet hactenus pro veris esse tradita; quæ si acriore censura limentur, à veritatis commercio sint explodenda.*

denda. Proinde non abs te peto, LECTOR CANDIDE, *ut me vera dicentem adversus rabulas istos tuearis : novi enim quàm sit eorum curta supellex; norintque omnes altius Lunam currere, quàm ut canum latratibus possit infestari : Sed ut hæc, quo emittuntur animo, legas, & accipias, Vale.*



PARA-



PARADOXON I.

Unius Vocis unica est Significatio.

SI quis primo intuitu nos paradoxon, non veram sententiam, proponere arbitretur, audiat Aristotelem, quem sententiæ nostræ præcipuum facimus adsertorem; qui res natura diversas uno nomine posse quidem vocari docet, sed per analogiam, id est, comparationem, vel proportionem. *Homonyma* (inquit) *dicuntur quorum solum nomen commune est, definitio verò naturæ circa illud nomen alia atque alia: ut animal quod est homo, & id quod pingitur.* Quo in loco perperam vertit Boëtius, *Æquivoca dicuntur.* Nam neque æquivocum vox Latina est, neque satis ad Aristotelis mentem accommodata. Homonymon enim concors in voce, seu simile in voce significat. Itaque tolerabilius verteret, *Analoga dicuntur, &c.* Ego certè, si nominibus barbaris uti liceret; quæ isti vocant æquivoca, univoca nuncuparem: & rursus quæ illis univoca, mihi essent æquivoca. Id quod Aristotelea exempla ostendunt planissimè. Quæ si hebes Dialecticorum acumen considerasset, non inter tot tenebras hactenus versarentur. Nec quisquam mihi jure objiciet tot temporum curricula, in quibus semper hæc ita tradita sunt, & pro veris habita; nam *possessor malæ fidei* (ut est apud Jureconsultos) *numquam potest præscribere. Nobis* (inquit D. Augustinus) *qui ratione vincimus, frustra consuetudo objicitur, quasi consuetudo major sit veritate.* Divus certè Thòmas diligentissimus Aristotelis & veritatis interpres, sæpe aliàs, sed in

illo præcipuè Porphyrii, *Siquis omnia entia dicat, æquivocè nuncupabit*: æquivocè, inquit, id est, analogicè. Rodolphus Agricola *lib.* 1. *cap.* 23. *Homonyma* vertit agnominationem. Ego verò quatuor potissimùm rationibus adducor, quibus æquivoca ista radicitus putem extirpanda.

1. Si voces (ut ait Plato in *Cratylo* & Aul. Gellius *lib.* 10. *cap.* 4. & divinæ litteræ nos passim docent) natura significant, quonam, obsecro, pacto uno eodemque nomine diversæ naturæ nuncupabuntur? Sin autem (ut docet Aristoteles, qui cum Platone non pugnat, modò rectè intelligatur) significent ex instituto (institutum autem seu ad placitum intelligo prudentium virorum, qui rerum inspecta natura nomina solent imponere) dementem & insanum impositorem vocum judicemus oportet, qui mensam & librum uno nomine nominari præceperit.

2. Præterea si essent æquivoca. i. quæ ex æquo & æqualiter plura significarent, perpetuò nobis esset utendum adjectivis nominibus, aut aliqua alia distinctione, qua res inter se differrent. Nec enim satis esset dicere, vidi canem, aut mordet canis, nisi adderes terrenum, cælestem, vel marinum.

3. Adde quòd negligentem & deminutum judicaremus Aristotelem, si nullam analogiæ regulam tradidisset, quæ ita erat ad syllogismos necessaria, quàm quæ maximè. Sed nullam aliam nobis, præter hanc, præscripsit; necesse est igitur illam sic interpretemur: Analoga dicuntur, &c.

4. Postremò me movent doctissimorum testimonia. Cicero enim *lib. ultimo*, *epist.* 17. docet verborum domicilium in re una esse proprium, migrationes in alienum multas. Aul. Gell. *lib.* 11. *cap.* 12. *Chrysippus ait, omne verbum ambiguum natura esse, quoniam ex eodem duo vel plura accipi possunt. Diodorus autem, cui Crono cognomentum fuit, nullum,*

inquit,

inquit, verbum est ambiguum, nec quisquam ambiguum dicit aut sentit. Nec aliud dici videri debet, quàm quod se dicere sentit is, qui dicit. At cùm ego, inquit, aliud sensi, tu aliud accepisti, obscurè magis dictum, quàm ambiguè videri potest. Ambigui enim verbi natura illa esse debuit, ut qui diceret, duo vel plura diceret: nemo autem duo vel plura dicit, qui sentit unum dicere. Hæc Gellius. Cæsar Scaliger in calce libri *De causis linguæ Latinæ* rectè carpit Nonium Marcellum & alios, qui cùm *De sermonis proprietate* libros inscripsissent, multa significatorum monstra uni eidemque voci designarunt. Tunc subdit: *Unius namque vocis una tantùm sit significatio propria, ac princeps: cæteræ aut communes, aut accessoriæ, aut spuriæ.* Foreirus Lusitanus super Esaiam multis in locis, sed præcipuè *cap.* 8. in principio, *Ego*, inquit, *in hac semper fui sententia, ut non nisi unam habere significationem verba Hebræa existimarem.* Valla *lib.* 6. *cap.* 3. contra Nonium Marcel. sic ait: *Nam quis credat autores uni dictioni tot significata, & quidem pro se quemque nova dare voluisse; tanquam linguam ipsam confundere cuperent?* Vide eodem *lib. cap.* 5. 8. 11. 12.

Sed antequàm ad exempla transeo, sex præmittendæ sunt regulæ, quibus totum negotium dilucidè explicabitur, & assertio nostra constabilitur.

1. Hæc doctrina in nominum & verborum rectis intelligitur: hi enim sunt propria rerum nomina. *Catonis & Catoni* (inquit Aristo.) *non sunt nomina, sed casus nominis: sicut sanabitur & sanabatur, non sunt verba, sed casus verbi.* Frustra igitur mihi objicies ducis, duces esse nomina & esse verba, ac proinde ambigua: sic legis, legi, leges: sic vis nomen & verbum: sic avis, quæ volat, & avis dativus ab avus: sic satis adverbium, & à sata satorum: sic canis verbum, & canis nomen, quanquam antiqui, hæc canes, ut hæc vulpes, dixerunt. Sub hac

etiam

etiam doctrina volo comprehendi rectos plurales qui aliis singularibus assimilantur: ut prudentia in plurali, cum prudentiæ: sic temperantia, continentia, & alia hujusmodi. Quanquam & his alia commodior potest reddi ratio; quia nomina adjectiva non facient cum substantivis ambiguitatem, utpote quæ sola in oratione sine substantivo non ponantur: & ita multum differt auditus sermo, ab auditus us; & census homo, à census us; & gustatus cibus, à gustatus us; sic multa pro pœna, & multa virtus, quamvis mulcta aliqui scribant.

2. Inspicienda est diligenter prima nominum forma & impositio. Nam aliter multa mihi objicies, etiam in rectis, quæ omnino ambigua videantur: ut ligo, onis, & ligo, as; sic lens pro verme & legumine: frons pro folio, & parte capitis. Cui objectioni sic respondeo. Antiquitus (teste Sósipatro Charisio, & M. Varrone) nullum nomen in duas consonantes desinebat: unde etiam sæpe legimus hæc sepes, trabes, plebes, sortis. Testimonia lege apud Priscian. *lib.* 7. Varronis accipe verba *ex lib.* 9. *Videmus*, inquit, *ex his verbis trabes*, *duces*, *de extrema syllaba*, E, *litteram exclusam*, *& ideo in singulari factum esse trabs*, *dux*. Hæc ille. ego addo: Cùm E, vel I, aufertur, si tres remanent consonantes, perit penultima: ut hæc frondes, frons: hæc frontes, frons: hæc lentis, lens: hæc lendes, lens. Non tamen omittenda est Charisii differentia; *Fros* (inquit) *sine* N. *littera*, *ne faciat*, *inquit Plinius*, *frontis*: citatque bis Varronem sic, *ulmos & populos unde est fros. Item*, *fros*, *fœnum*, *messis*. Ego tamen apud Lucretium fruns & frundes semper invenio; & ita legendum apud Virgilium & Ovid. Servius & alii contendunt. At de Ligo (inquis) quomodo te expedies? Inspice, inquio, primam formam ligon, cudon, udon, harpagon, mangon; nam legimus apud poëtas cudonas, & harpagonas.

gonas. Sed Latini (ut ait Priscian.) solent auferre n, his nominibus: ut Plato pro Platon; sic Vangio, Brito, Agamemno; sic harpago, ligo, pro ligon; sic turbo, vel turbon, quod semper facit onis, contra Grammaticorum recentiorum differentiam: nam cùm legis turbinis & turbinibus, est ab hic turben: ut ex Cæsare & Plinio disputat Charisius.

3. Nec mihi etiam fraudi sint varia linguarum idiomata. Sæpe namque sic continget ut una voce multa significentur. Lusitani enuntiant UN GRAN RATO. nos item eodem modo: at illi magnum murem significant, nos spatium temporis.

Ergo pro causa Græcus casus est ab *ergon*; Latinis est conjunctio: & fortasse semper utrumque idem est.

Hic seps pro fera Græcum est, & à putredine dicitur; *hæc sepes*, unde seps Latinis est vallum.

Græcè *mna*, unde *mina*: Latinis minæ pro interminatione.

Hic axis pro fera, Græcum; pro parte currus, Latinum.

Hic *cassis*, *is*, pro rete Latinum: *hæc cassis*, *dis*, pro galea Græcum: unde *cassida* in accusativo.

Pax, Græcis est adverbium silentii, cùm digitus ori apponitur: non admirantis ut docent aliqui. Latinis est quies.

Hic vel *hæc calx* pro calcaneo, Latinum à calcando: hæc *Calx*, vel potius *chalx*, pro lapide cocto Græcum. Aliter Caper de orthograph. Nam pro materia *calcs* scribit, pro parte pedis *calx*.

Fucus pro ape Latinum; *fucus* vel *phucus* pro purpura, Græcum.

Gallus cùm est vox Phrygia, fluvium significat, ubi Cybeles sacerdotes (ob id dicti *Galli*) emasculabantur. Vide Plin. *lib.* 5. *cap* 32. Idem *lib.* 35. *cap.* 12. *Samia testa matris Deûm sacerdotes, qui*

Galli

Galli vocantur, virilitatem amputant. Vide Ovid. 4. *Fast.* ex illo loco: *Cur igitur Gallos, qui se excidêre, vocamus, Cùm tantum à Phrygia Gallica distet humus?* Γαλλος apud Græcos album significat, inde Gallorum gens vocata, quia corporibus albis sint præditi. Unde Virgil. *lib.* 8. *Æneid.* de Gallis: *Tum lactea colla Auro innectebant. Gallus* Latinis avis est nota, sed qui Latinè loquuntur solent addere, *gallinaceus*, propter ambiguitatem. Xenophon in *Homonymis.*

4. Syllabæ quantitas apud Romanos satis superque distinguebat voces: quod nos, nisi in carmine, non sentimus. Hujus generis sunt *populus* pro arbore prima longa; pro turba, brevi. *Palus*, *udis*, prima brevi: *palus*, *i*, prima longa. *Uter*, *tris*, prima longa: *uter*, *a*, *um*, prima brevi. *Labor* nomen prima brevi; verbum, longa. *Colo*, *as*, producit; *colo*, *is*, breviat. *Sinus* pro gremio, brevi: pro vase, longa. *Pila* lusoria brevi, *pila* pro mortario longa: *compilare* verò à nullo horum ducitur, sed à Græco, teste Turnebo; nam Πίλετην Æoles furem vocant, Hesiodus Φίλετην. Vide Jos. Scalig. in Festum, *compilare.*

Plagæ pro funibus illis quibus retia tenduntur circa summam & imam partem; aut pro mundi regionibus, quæ Græcè climata dicuntur, breviat; pro vulnere producit. *Anus*, pro vetula, breviat; pro podice, producit.

Os oris, unde osculum, producit; *os ossis* breviat. Teste D. Aug. *in lib. de Grammatica.* & *lib.* 3. *cap.* 3. *doctr. Christ.* Lucr. *lib.* 3. *Exos & exanguis tumidos perfluctuat artus.*

5. Accentus mirè distinguebat ambiguum, nec hîc loquor de ridiculis illis *sanè*, *palàm*, *porrò*: hi enim nec erant apud antiquos ante Quintiliani tempora, nec poterant amphiboliam parere, ut in prima regula admonuimus, præsertim cùm *porrò* pro *deinde*,

merè

merè sit Græcum: Sed de aliis secretioribus, & qui nostras aures omnino fugiunt. Aliter enim enuntiabant σηπς Græcum, aliter *seps* Latinum; quoniam illud per η, i. e. longum scribitur Græcè; hoc per ι, i. e. tenue. Sed hoc illustremus doctorum testimoniis.

Lustra (inquit Festus Pomp.) *significant lacunas lutosas, quæ sunt in silvis, aprorum cubilia: à qua similitudine, ii qui in locis abditis, & sordidis ventri & desidiæ operam dant, dicuntur in lustris vitam agere. At quum ejusdem vocabuli prima syllaba producitur, significat nunc tempus quinquennale, nunc populi lustrationem.* illud à luto, hoc à luendo: *Adeo* (inquit idem) *duas habet significationes; nam cùm prima syllaba acuta effertur, idem significat quod accedo: ut cùm dicimus, adeo prætorem: cùm autem secunda, id est quod usque eò: non quidem secundum rationem, quia* ad *præpositio accusativis accommodata est, sed vetusta quadam loquendi consuetudine.* Vide Festum in vocib. *Ergo, muscerda, parret, pone, sagaces, quando.* & Aul. Gellium *lib.* 6. *cap.* 14. *de quiesco.*

Quidam (inquit M. Varro) *reprehendunt, quòd pluit, & luit dicamus in præterito & præsenti tempore, cùm analogiæ sui cujusque temporis verba debeant discriminare: falluntur, nam est, ac putant, aliter: quod in præteritis* u *dicimus longum luit, pluit: in præsenti breve luit pluit. Ideoque in venditionis lege fundi, ruta cæsa ita dicimus, ut* u *producamus.*

Donatus ad illud Terent. *Filium perduxere, ut una esset. i. ut cibum capiat & correptè.* Item ad illud, *ut de symbolis essemus, melius, inquit, essemus producta* e *littera.* Ego in illis locis corruptum existimo Donatum, sed tamen id quod volumus, ostendit. Cicero in *Oratore perfecto* docet *inclytus* prima brevi enunciari, *insanus* prima longa. De hac re vide pulchrum apud Aul. Gell. *lib.* 9. *cap.* 6.

6. *Euphemismos.* i. bona ominatio (inquit Demetrius Phaler.) est figura quæ odiosas res bonis verbis edit, & impia itidem facta, piis. Hinc multa dicuntur in contrariam significationem: ut benedicere, pro maledicere sæpe in sacris litteris: ut 3. Reg. *cap.* 21. *Benedixit Naboth Deum, & regem.* Job. *cap.* 1. *Nisi in facie benedixerit tibi.* Ibid. *cap.* 2. *Videbis quòd in facie benedicat tibi.* Ibid. *Benedic Deo, & morere.* Sic *sperare* pro *timere*: sic *potiri hostium*, & *potitus hostium* apud Plautum in *Captivis*, pro captivum esse: sacer pro execrando, &c. Antiqui summoperè observabant auguria, sed illa præcipuè quæ ab hominum ore prodibant, quæ propriè *omina* vocabantur: Hispanè *Alfil Toledano.* Cicer. 1. *de Divinat. Neque solum Deorum voces Pythagorei observaverunt, sed etiam hominum, quæ vocant omina: quæ majores nostri quia valere censebant, idcirco omnibus rebus agendis* QUOD BONUM, FAUSTUM, FELIX, FORTUNATUMQUE ESSET *præfabantur. Rebusque divinis, quæ publicè fierent, ut* FAVERENT LINGUIS *imperabatur, &c.* Favere autem linguis non intelligo idem esse quod tacere, ut multi arbitrantur, sed bona verba dicere: nam credebant vitiari sacra, si quis dura, mala, vel ominosa verba loqueretur. Tibull. *lib.* 2. *eleg.* 2. *Dicamus bona verba (venit natalis) ad aras: Quisquis ades lingua vir mulierque fave.* Ovid. 1. *Fast. Prospera lux oritur, linguisque animisque favete: Nunc dicenda bono sunt bona verba die.* Horat. 3. *Carm. Malè ominatis parcite verbis.* Sed exemplis agamus.

Adoleo & *adolesco* crescere est, sed in sacris (ut notat Servius ad illud Virgil. 4. *Georg. Pancheis adolescunt ignibus aræ*) incendere & cremare, sed per figuram euphemismon. Nam quia victima & altare verbenis, ture, vino, & extis crescebant & augebantur, dictum est *adolescere* pro cremare. vide Festum & Nonium.

Macta-

Mactare ex eodem omine dictum est pro interficere, cùm propriè sit augere, hoc est, magis auctare. unde *mactus*, id est, magis auctus. Servius ad illud Virgil. *Mactant lectas de more bidentes, verbum sacrorum inquit; per euphemismon, ut adolere.*

Rectè pro nihil, aut non, aut malè. Terent. *Heaut. tum quod dem ei recte est, nam nihil esse mihi religio est dicere.* Idem *Eun. Nunquid vis? C. rectè*, id est non, vel nihil. Plaut. *Asinar. Hæc rectè quæ tu in nos dicis, aurum atque argentum merum est.*

Sacer dicunt esse nomen medium: ut Græcis *Anathema*; & nunc in bonam, nunc in malam partem accipi. Sed quid sit *homo sacer*, vel *Anathema*, ab antiquissima historia petendum, quam narrat Jo. Zetzes *histor.* 23. *Chiliad.* 5. Cujus carmina sic vertebam:

Catharma quondam tale purgamen fuit
Si pestis, aut fames, vel alia calamitas
Vexaret urbem ira Deorum percitam,
Ad victimam deformis ante omnes homo
Purgamen atque pharmacus ductus fuit.
Cùm ventum ad aram est, caseum, ficus, ador
Ipsi in manum dabant: deinde septies
Pudenda scillis verberabant victimæ,
Caprifico, & aliis surculis agrestibus.
Agrestiumquè urebant ramis arborum
Devota membra: tum sacrum cinerem gravis
Levamen urbis ventilabant in mare.

Hæc ille atque alia: citatque testem Lycophronem & Hipponactem. Idem *Chiliade* 8. *histor.* 239. cineres spargi solitos addit per totam civitatem. Suidas præterea in dictione *Peripsema*, addit dicere solitos cives ad hujusmodi *anathemata*: *Purgamen pro nobis esto, salus, & redemptio.*

 Hu-

Hujusmodi sacrificium Hebræis vocabatur *Azazel.* i. caper emissarius: de quo Levit. *cap.* 16. *ab Ez.* i. *caper*, & *Azal.* i. abiit. Græcis *Apotropæon*, sive *Apopompæon*, id est malorum depulsio. Dicebatur etiam propriè *Anathema.* Itaque *Sacer* apud Latinos idem est quod *anathema* Græcis, & ita per euphemismon pro execrando accipitur. Quamquam Monachus Menesius, qui de accentibus scripsit, aliter quæstionem solvit: contendit enim in sacris Bibliis duo esse nomina *Anáthema*, & *Anathéma*: & illud cum accentu in antepenultima & cum epsilo in penultima semper accipi in malam partem pro exsecrando: at cum accentu in penultima, & *η*, i. e longo, semper accipi pro donario, vel re templis dicata. Ego scripturam quidem in Bibliis Græcis sic reperiri animadverti, sed quomodo ab eodem verbo ἀναθεῖναι duo ducantur nomina contrariæ significationis non video. Unum semper nomen est *anáthema* sive *anathéma*, ut *sacer* apud Latinos. Quid est igitur illud tam crebrò in Conciliis repetitum, *Anathema sit*? Respondeo primùm posse dici per Euphemismon: ut benedicere, pro maledicere: quasi dicat: *Anathema* sit, id est, sit benedictus. Quia viros sanctos non decet maledicere. Deinde respondeo, posse etiam intelligi juxta propriam & genuinam nominis notionem: *Anathema* sit, id est, sit peccatum pro toto populo, sit devotio, ferat omnia populi peccata. Ita D. Paulus *ad Rom.* 9. optabat esse anathema post Christum pro fratribus, id est, se devovere & hostiam fieri à Christo. i. post Christum; quia Christus fuit pro nobis hostia, & factus est pro nobis peccatum, cùm peccatum non haberet: Et verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Festus in voce *Sacer*, mihi non placet, aut ejus verba corrupta leguntur. Illud verò Virgilii; *auri sacra fames*: alia res est. Nam Græci ἱερὸν. i. sacrum pro

magno

magno ſolent uſurpare, unde *os ſacrum*. i. magnum: & *morbus ſacer*. i. magnus vel comitialis. Ita Plutarchus *de induſtria animalium*. Unde Adag. *ſacram ancoram ſolvere*, i. magnam.

Alter, in auguriis dicebant pro non bono, ut ait Feſtus in dictione *Altera avis*. Et in ſenatu dicebat conſul: *Qui hoc ſentitis, huc tranſite: qui alia omnia, illuc*. i. qui negatis, vel diſſentitis. Cicer. *Lib.* I. *epiſt.* De tribus legatis, frequentes iere in alia omnia. i. diſſenſere. & *lib.* 10. Eum ſenatus reliquit, & in alia omnia diſceſſit. Vide Suidam in voce *Eumenides*: & Callias.

De Analogia Significationum.

His regulis præmiſſis, ad analogiam ſignificationum tranſeamus.

Jus juris propriè ſignificat diarium, ſive portionem victus. Antiqui enim (ut inquit Valer. Maxim. *lib.*2.) adeò erant continentiæ attenti, ut frequentior apud eos pultis uſus, quàm panis eſſet. Plin. *lib.*18. *cap.* 8. Pulte autem, non pane vixiſſe longo tempore Romanos manifeſtum, quoniam inde & pulmentaria hodie quoque dicuntur. Non itaque veſcebantur carnibus, ſed oleribus aut pultibus, totumque edulium jus vocabant. Horat. 2. *Serm. Eſt operæ pretium duplicis cognoſcere juris Naturam.* Hujus autem juris in conviviis pares dabantur unicuique partes: unde Homerus, convivium æquale ferè ſemper nominat. Vocabantur verò Duplicari (ut ait Varro) quibus in conviviis ob virtutem duplicia ut darentur cibaria fuit inſtitutum. Cujus rei etiam in ſacris Bibliis fit mentio. Nam Geneſ. *cap.* 43. major portio data eſt Benjamino, quàm cæterorum cuilibet. Itaque propriè jus eſt quod Hiſpanè dicimus *Quiñon, parte, porcion, ordinario*. Græcis eſt χοῖνιξ, id eſt, *dimenſum* (ut vocavit

Terentius) Hebræis est *Man*, à verbo *maná*, id est divisit vel numeravit. Nam ubi legitur Daniel. *cap.* I. *Et constituit illis rex annonam per singulos dies de cibis suis*: Hebraicè legitur *maná*. Hinc igitur metaphoricè jus vocatur munus illud quod suum cuique tribuit.

Vertex (inquit Fabius *lib.* 8. *cap.* 2.) *est contorta in se aqua, vel quicquid aliud simile vertitur: inde propter fluxum capillorum pars est summa capitis; & ex hoc, quod est in montibus eminentissimum.* Valla *lib.* 6. *cap.* II. *Rectè* (inquit) *dixeris hæc omnia vertices, propriè tamen unde initium est. Quare nemini debet mirum videri, cur interdum una vox plura significet.* Hæc illi. ego tamen magis assentior Charisio *lib.* I. *Vertex* (inquit) *à vertendo, vortex à vorando*: & vult Plinius verticem immanem vim impetus habere: ut *ingens à vertice pontus*: vórticem verò circumactionem undæ esse: ut, *Et rapidus vorat æquore vortex.* Caper Grammaticus: *Vortex fluminis est, vertex capitis.*

Tempus, ut Varro scribit, est mundi intervallum & motus divisum in partes aliquot, ab Solis & Lunæ cursu, à quorum tenore temperato tempus dictum est. *Tempora* in capite, Hispan. *las sienes*, ob id dicta putant, quòd ab iis indicia petamus senectutis. Posuit enim natura in multis animantibus ætatis signa: ut veterinis & ovibus in dentibus, cervis in cornibus: sic homines in temporibus gerunt ætatem. Unde Homerus senes vocat Πολιοκροταφῦς, id est, canorum temporum, quia plurimum inde cani incipiunt. Nam priora capitis humiditatis pituitæque plus habent, quàm posteriora. Virgil. 5. *Æneid. Æmula nec dum Temporibus geminis canebat sparsa senectus.* Vide Alex. Aphrodis. *problemata*: & Columellam *lib.* 6. *cap.* 29.

Nepos (inquit Charisius) significat & certum cognationis gradum, & rei avitæ consumtorem. Mihi tan-

tantùm significat filiorum filium. Romani pueri patruis tradebantur erudiendi, & castigandi: unde proverbium; *Nec sis patruus mihi.* Quia patrui, etiam si ament, nesciunt ad peccata connivere. Avi contrà impotentius amant, omnia indulgent, castigare nesciunt. Inde nepotes evadunt perditissimi. Aristoteles 3. *Ethic.* in calce intemperantiam vocat ἀκολασίαν, id est, incastigationem; & ἀκόλαςοι dicuntur incastigati. Tales igitur sunt nepotes. Inventio & apud Græcos Νεπόδες vocari nepotes, quasi sine pede, hoc est fundamento: quia filiis fundamentum rei familiaris non erunt: dilapidant enim rem familiarem. Qui deducunt à *nepa.* i. scorpione, quia filios devorat, mihi non placent.

Tollere liberos, tollere onera, tollere in crucem, tollere aliquem è medio vel è vita; semper est sublevare. Sed *tollere* pro educare vel habere filios, ex antiqua consuetudine petendum. Antiquitus pueri recenter nati terram primùm omnium tangebant, tanquam rerum omnium parentem: autor est Plinius *in proœmio lib.* 7. Tertulliani verba sunt: *Dum prima etiam constitutio infantis super terram statim Edææ sacrum est.* Sapientiæ. *cap.* 7. *Et ego natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram.* Sic positum infantem patres solebant statim allevare: qui autem non tollebatur, ut abdicatus & projectitius habebatur, idque inauspicatum habebatur. Papinius *ultima silva* deplorat servulum immatura morte surreptum, sed antè donatum libertate, hæc addens: *Meus ille, meus, tellure cadentem Excepi.* vide Turneb. *lib.*22. *cap.*11. & *lib.* 4. *cap.*15. D. August. *lib.* 4. *de Civit. Dei. cap.*11. *Ipse levet de terra, & vocetur dea Levana.*

Cernere (inquiunt) est videre, est pugnare; & *cernere hæreditatem*, est adire hæreditatem. Non ita est: nam propriè *cernere* est separare surfures à farina, i. cribrare: Hispanè, *cerner.* Plin. *lib.*18. *cap.*11.

Posteaque gypsi pars quarta inspargitur, atque ut cohæserit, farinario cribro subcernunt, quæ in eo remansit, exceptitia appellatur, & grandissima est, rursus quæ transit, arctiore cernitur, & secundaria vocatur. Hæc Plinius. Cùm igitur *cernere* sit propriè separare furfures à farina, non malè pro discernere, & discriminare cœpit accipi: deinde etiam pro dimicare, quia olim lites omnes & præcipuè de terminis agrorum ferro decernebantur. Et Stobæus *sermone* 8. *ex libro De moribus gentium* Nicolai hæc refert. *Umbrici cùm controversias inter se habent, pugnant armati, sicut in bello, & qui suos adversarios interemerint, justiorem causam habuisse videntur.* Unde Ennius apud Ciceronem: *Ferro, non auro vitam cernamus utrique.* Et Virgil. 12. *Æneid. Inter se coiisse viros decernere ferro.* Sic enim legit Faërnus ex antiquis codicib. Postremò, cùm ait Ulpianus: *Titius hæres esto, cernitoque in diebus centum proximis, quibus scieris, poterisque nisi ita creveris, exhæres esto*: *Cernere* pro deliberare accipitur: Nam *cretio* est certorum dierum spatium, quod datur instituto hæredi ad deliberandum utrum expediat ei adire hæreditatem, necne. Varro. *lib.* 5. dum hujus verbi etymon conatur indagare, tres significationes sic ad unam reducit: *Dictum cerno à creo, id est, à creando, ab eo quod cùm quid creatum est, tum denique videtur. Hinc fines capillorum discreti, quod finis videtur discrimen. Cernito in testamento, id est, facito, videant te esse hæredem, &c.* Hic Varro mihi non magnoperè placet, sed tamen quod volumus efficit. Ego certè multo antè docui, quod postea Josepho Scaligero placere animadverti, *cerno* à κρίνω Græco deduci, id est, judico: Unde crimen, de quo judicatur, & crines qui discernuntur.

Opus (si carnificibus linguæ Latinæ, id est, Grammaticis credas) in mille munia distrahitur; nunc enim substantivè indeclinabile, nunc adjectivè indeclinabile

bile accipiunt, & omnibus ferè casibus jungi posse asseverant: quin etiam sunt qui, opus habeo, pro necesse est mihi, dicant. Ego hæc omnia puto deliramenta. Nam nec opus sumitur pro necesse est, nec aliud unquam significat, quàm hoc nomen opus, operis: ut opera nostra, opera regis. Nam cùm dicis: *libri sunt mihi opus*, significas, libros esse mihi omnia. Hispanè, *el todo*: cùm autem dicis: *opus est mihi libris*, dicis, totum negotium esse mihi in libris: sic *opus est facto*, i. negotium & difficultas, sive usus est in facto. Sic Virgil. *Nunc viribus usus*. i. nunc est usus, opus, negotium, & tota vis in viribus. Hoc melius intelligetur, si addas adjectivum: Horat. *lib.* 1. *carm. Sunt quibus unum opus est intactæ Palladis urbem carmine perpetuo celebrare*. Virgil. 6. *Æneid. Hoc opus, hic labor est*. Cùm additur genitivus, longè alia res est, quàm Grammatici putant. Ovid.

Non minor est virtus, quàm quærere, parta tueri;
Casus inest illic, hic erit artis opus.

i. in hac parte totum est negotium artis. Propert. *lib.* 2. *eleg.* 10. *Magni nunc erit oris opus*, i. negotium & labor. Græci dicunt: ἔργον εὑρεῖν, Cicero vertit, difficile est invenire.

Volo, as, & *volo, is*, valdè diversa videntur. Sed accipe M. Varronis verba ex *lib.* 5. *ling. Lat. Volo à voluntate dictum, & à volatu, quòd animus ita est, ut puncto temporis pervolet, quo volt.* Idem *lib.* 8. *Fit enim ut rectus nonnunquam sit ambiguus. Ut in hoc verbo volo, quod id duo significat, unum à voluntate, alterum à volando: itaque à volo intelligimus volare & velle.* Hæc verba sunt objectio contra Varronem, quorum responsio Varroniana desideratur.

Puto as, propriè est purum facere (ut ait Varro) Hisp. *podar*, ideò antiqui *purum putum* appellabant. Unde *disputatio* & *computatio*, & *putator*, qui arbo-

res

res puras facit. Ideò ratio putari dicitur, in qua ſumma ſit pura. Sic is ſermo, in quo pura diſponuntur verba, ne ſit confuſus, atque ut diluceat, dicitur diſputare. Hæc ferè Varro. Hinc igitur apta eſt tranſlatio ad cogitationem, cùm in dubiis ſententiis amputamus ſuperflua, & unam ſeligimus, quam ſequamur.

Vas vadis, & *vas vaſis* quantum differant, notum eſt. Sed *vas* pro ſponſore, antiquitus erat, hic *vadis* à *vadendo*. i. eundo, quia qui vades dabat, vadere ei in urbem erat neceſſe. Horat. *ſatyr.* I. *Ille datis vadibus, qui rure extractus in urbem eſt, Solos felices viventes clamat in urbe*: poſteà verò ex *vadis* ſeu *vades* factum eſt *vas*. At *vas* pro poculo antiquè vaſum dicebatur: unde *vaſculum* & *vaſa* in plurali. Nonius Marcel. in illo Ciceronis *lib.*3. *offic. Vas factus eſt alter*, notat *vas* poſitum pro *vades*. Ac neſcio an alibi reperiatur *vas* in recto pro ſponſore.

Flamen maſculinè ſacerdotem ſignificat, & neutraliter flatum ventorum; ſed pro flatu an in recto reperiatur, dubito: in plurali tritum eſt *flamina*, & aliquando in ſexto caſu ſingulari *flamine*. Citatur in recto ſingulari ex Arato Ciceronis: *Inferior paulò eſt Aries, & flamen ad Auſtri Inclinatior*: ſed legendum eſt: *flamina ad Auſtri*. Quid ſi potius hic flāmen pro ſacerdote ſcribendum ſit duplici m; nam ut Dionyſius Halicarn. ait, dicitur à *flammeo*, i. linteo rubro: non à *filamine*, ut aiunt Grammatici.

Pecus udis, & *pecus oris*, ſic diſtinguunt Grammatici: *Una ſola pecus inficit omne pecus.* ipſi magis ad pecudes ablegandi. Soſipater Chariſius *lib* I. *Alia autem quamvis plurali numero per omnes caſus declinentur, nominativum tamen ſingularem, vocativumque non habent: ut dapes, preces, proceres, pecudes, fruges, fauces, vices, &c.* Itaque aut caret recto, quod ait Chariſius, aut rectum erit, *hæc pecudes, is.*

Appello

Appello as, & *appello is*, apud antiquos non differebant. Nam appellare erat idem quod applicare: ut, appellare ad molem naviculam. Posteà factum est, ut pro imponere nomen sit paululum immutatum: ut appellatus Aphricanus: ex Nonio. Et appellare senatum, appellare consules, quasi appellare ad majorem potestatem videri dictum potest: nam dicitur etiam: appellare Tribunos, & appellare ad Tribunos.

Posis (ut aliquid quoque de Græcis attingamus) varia videtur significare: nam pro potione sive haustu sæpissimè accipitur, & non raró pro marito. Sed à *potione* ad maritum fit elegans translatio. Nam quemadmodum terra potioni sive aquæ mista arborum & seminum redditur fecunda generatrix: ita feminæ mistus vir procreandorum liberorum esse causa intelligitur. Hanc Græcam vocem Virgilium habuisse ante oculos crediderim, cùm 2. *Georgic.* hæc scripsit:

Vere tument terræ, & genitalia semina poscunt.
Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Conjugis in gremium lætæ descendit, & omnes
Magnus alit, magno commistus corpore, fœtus.

Huc refer illud Juvenalis *Saty.*10. *Quot longa viros exorbeat uno Maura die.*

Cælum pro mundo & instrumento cælandi dicunt accipi, sed manifesto errore, nam *cœlum* pro mundo seu æthere cum œ debet scribi, quicquid dicat Aldus & alii multi. Nam à Græco Κοιλον, id est, concavum deducitur: & id videntur verba Varronis, licet corrupta, sentire. Quæ sic legit, & emendavit Jos. Scalig. *Quare à cavo cavea, & caullæ: & convallis, cavata vallis, & cavædium: ut cavum sit ortum, unde omnia apud Hesiodum à caho: à cavo cœlum.* Hinc locum Plinii restituo *lib.*2. *cap.*4. *Cœlum quidem haud dubiè cavati argumento diximus, ut interpretatur M. Varro.* legitur *cœlati*, pro quo suppossui *cavati.* Sed nemo est jam mediocriter eru-

ditus qui pro mundo non ſcribat *cœlum*, pro inſtrumento *cælum*.

Res, multa videtur ſignificare: Unde Auſonius in monoſyllabis quærit: *Imperium, litem, venerem cur una notet res?* Reſpondeo, Res, negotium, & apud Græcos χρῆμα, πραγμα eſſe nomina quæ vocant Dialectici *tranſcendentia*, quibus omnia ſubjiciantur. Sed tamen ſignificati variatio ex adjunctis dependet. Pro imperio ſumpſit Virgilius in illo. *Poſtquam res Aſiæ, &c.* Pro lite Horat. *lib.* I. *Saty. Dubius ſum quid faciam, tene relinquam, an rem?* pro venere paſſim apud Comicos: ut Terent. *Poſtquam ſenſit me tecum rem habere.* Sumitur & pro multis aliis rebus, ſed eadem eſt ſignificatio. Sed jam aliqua de particulis (quas indeclinabiles vocant) addamus: nec de omnibus, ſed quæ præcipuæ videantur.

Cum, præpoſitio, & adverbium temporis dicitur: ſed magno cum errore. Nam cùm tempus ſignificatur, non *Cum*, ſed *quum* aut *qum*, debet ſcribi, antiquitus ſemper *Quom*. Hæc Victorinus *de orthographia*.

Ut, dicunt accipi pro *Quanvis*, ſed id imperitè docetur. Nam *Ut* ſemper & ubique ſimilitudinis eſt particula, ut oſtendemus. *Quum* videtur accipi pro quanvis, deeſt *Eſto, fac, da.* Ovid. *Protinus ut redeas, facta videbor anus.* i. *fac ut, eſto ut, protinus venias.* Cicero 2. *Fin. Eſto fecerit, ſi ita vis.* i. eſto ut fecerit. Horat. *Sat.* 6. *lib.* I. *Namque eſto, populus Levino mallet honorem, quàm Decio mandare.* Quintil. *lib.* 12. *cap.* I. *Da nunc ut crimine manifeſto prematur dux bonus.*

Ut, dicunt accipi pro *Utinam*. Terent. *Adelph. Ut Syre te magnus perdat Jupiter.* Catullus *in Coma*: *Jupiter, ut Chalybum omne genus pereat.* Horat. 2. *Serm. Jupiter, ut pereat poſitum rubigine ferrum.* Sed in his & aliis quis non videt deeſſe *Oro, precor, quæſo*? Ut in illo Livii *lib.*I. *Jupiter pater, ſi eſt*

si est fas hunc Numam Pompilium regnare, ut tua signa nobis certa, ac clara sint. Terent. *Andr. Deos quæso, ut sit superstes.* Cicer. 2. *Catil. Deos immortales precari, venerari, atque implorare debemus, ut urbem defendant.*

Ut, dicunt negare post verba timoris; quod monstrum ita vulgare est, ut doctis etiam imposuerit. Nam Lambinus, in illo Horat. *lib.*1. *Satyr.*3. *Nam ut ferula cedas meritum majora subire Verbera non vereor*: frustra sudat, & nihil explicat. Nec intelligit, *Ut*, significare, *quemadmodum*, vel *quomodo*, ut si dicas: *Litteras ad te misi, vereor ut reddantur.* Et post verba timoris solere apponi has particulas, *quemadmodum*, vel *quomodo*, in significatione *Ut*, tritum est, & pervulgatum. Cicer. in *lib.* 11. *epist.* 10. *Timeo, quemadmodum hæc explicari possint.* Et cum aliis verbis: Cicer. *pro Rosc. Postulatio brevis, &, quomodo mihi persuadeo, aliquanto æquior.* Idem *pro Quint. Quem, quomodo nunc intendit, ne vivum quidem tunc putabant.* Idem *Att. Nam, quomodo nunc est, pedem ubi ponat in suo non habet.* i. ut nunc est. Qui docent *Ut* negare post verba timoris, quid dicent, si post *Ut*, sequatur negatio? Cicer. *pro Marcel. Vereor, ut hoc quod dicam, non perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio.* Quem locum quia conatur pervertere Lambinus, alios adjungam. Cicer. 2. *De leg. Quocirca vereor committere, ut non bene provisa principia ponantur.* Idem 2. *Tusc. Et tamen veremur, ut hoc quod à tam multis, & tot locis perferatur, natura non patiatur.* Idem *Att. lib.* 7. *Si manet vereor ut exercitum firmum habere non possit.* Quintil. *lib.*8. *cap.* 3. *Oppido, quo sunt usi paulum tempore nostro superiores, vereor, ut non jam ferat quisquam.* Cæsar *lib.* 5. *Gal. cap.* 12. *Veritus, si ex hybernis fugæ similem profectionem fecisset, ut hostium impetum sustinere non posset.* Quem locum perver-

tere

tere conatur Aldus à Grammaticis deceptus. Plaut. *Bacch.* 16. *Metuo, ut hodie ne possim emolirier. Ne* pro *non* dicebant antiqui, ut sæpe Terentius. In omnibus his locis, imò & semper, particula *Ut*, accipitur pro *quomodo* vel *quemadmodum*: ut cùm dicimus: *Oro te, ut perficias*, id est, *ita te oro ut perficias*. Hoc fortasse durum videbitur iis, qui Latinam linguam ignorant, & aliter sunt imbuti: nos tamen hæc latiùs alibi disputavimus.

Ne, post verba timoris inculcant isti mutare significationem: quid hi dicent mihi, si post *Ne*, sequatur alia negatio? Cicer. *Att. lib.* 9. *Sed timeo ne non impetrem.* Ibid. *lib.* 5. *Unum vereor, ne senatus propter urbanarum rerum metum Pompeium nolit dimittere.* Ibid. *lib.* 14. *Vereor ne nihil habuerit.* Idem *lib.* 10. *famil. Non enim vereor, ne non scribendo te expleam.* Ibid. *lib.* 6. *Quibus litteris intellexi, te vereri, ne superiores mihi redditæ non essent.* Sed in his & similib. *Ne non* est *Ut*, vel *quomodo*, vel *quemadmodum*. Harum verò particularum usum sic explico: Si timemus fugienda, dicemus, *timeo ne*; si verò cupita & optata, dicimus, *timeo ut*, vel *ne non*: ut, *timeo ne pater veniat*; quia nolo patrem venire: *timeo ut pater veniat*, quia illum venire desidero. Sic loquuntur qui Latinè sciunt. Itaque *Ne* semper prohibet, dum longa est: ut *ne facias, ne dixeris*: si verò postponatur & brevietur, alia vox erit, non eadem; ut, *credisne, dubitasne*? *Næ* verò cum diphthongo Græca vox est, & significat certè.

Vel, in varias significationes distrahitur. Virgil. *Vel Priamo miseranda manus.* Donatus accipit pro *etiam*; Budæus *in commentariis* pro *Nam*; alii pro *saltem*. Ego dico deesse alterum *vel*: nam hæc particula sola poni non potest. Terent. *Eun. Hanc tu mihi vel vi, vel clàm, vel precario fac tradas*; tolle hinc duo *vel*, & videbitur alia significatio. Cicer.

Q. Fra-

Q. Fratri: *Sunt ista quidem vel magna, vel potius maxima*; tolle secundum membrum. Terent. *Phorm. Sumeret vel fœnore, vel alio modo.* Persius: *Vel duo, vel.* Sed hæc satis erunt ad reliqua, quæ multa supersunt, intelligenda.

Quum hæc scriberem, ecce tandem quidam mihi objecit: In nominibus propriis me obtinere non posse, quin ambiguitas, sive, ut Barbari vocant, æquivocatio reperiatur. *Petrus* siquidem & *Paulus* in hunc & in illum propriè & ex æquo possunt cadere. Cui ego respondebam, Cicero, aut Tullius non esse nomina integra, sed partes nominis. Nomen integrum est, Marcus Tullius Cicero: cujus frater Quintus Tullius Cicero vocabatur. Sed quum ambiguitas non timetur, parte nominis contenti sumus: ut Cicero dixit. Novi ego Salmanticæ fratres tres generosos qui Antonii vocabantur, sed cum hac distinctione, Major, Secundus, Tertius. Duo nunc vivimus Salmanticæ litteris humanioribus præfecti, magister uterque, Franciscus uterque, Sanctius uterque, primariæ cathedræ rector uterque. Integrum itaque meum nomen est, Magister Franciscus Sanctius Brocensis Rhetorices primariæ cathedræ Salmantinæ præfectus. Vale.

FRAN-

FRANCISCUS SANCTIUS BROCENSIS,

Auditoribus suis S.

QUUM *multa hactenus in vulgus ediderim, reverentia Hispaniæ matris impeditus sum, ne inter illa & hoc documentum de abusu Latinè loquendi insererem, ne videlicet nomen Barbaræ, quod fortasse immeritò apud exteras nationes acquisivit, hoc etiam peccato propalato confirmaretur. Quis enim jam doctorum Latinè loquitur, præcipuè apud Italos, postquàm Petrum Bembum Latinæ linguæ instauratorem Latinè loquentes audivit execrantem? Sed tanta est stultorum hominum & præcipuè ludimagistrorum perversitas, ut quo magis admoneantur, eò diutius in imbibita opinione perseverent. Quare mihi temperare non potui, quoniam illi mihi tam crebrò stomachum moverunt, quin etiam cum Hispaniæ nostræ nota, quæ in hoc tam crasso errore diutius occupetur, hanc assertionem in vulgus comprobatam emitterem. Hoc idem jam ante me asseruit Ferdinandus Pintianus Græcè & Latinè impensè doctus. Hieronymus certè Osorius si se eloquentiæ omnino tradidisset, non exculta illa & numerosa oratione tantoperè valuisset. Nihil est enim quod ita repugnet limatæ orationi, quàm illa extemporalis loquendi profluvies. Quare vos,* AUDITORES CHARISSIMI, *experto doctori credentes stilum diligenter exercete, verbaque Latina passim effutientes communi sensu carere affirmare ne dubitetis. Valete.*

PARA-



PARADOXON II.

Latine loqui corrumpit ipsam Latinitatem.

Objectio prima.

USus & experientia dominantur in artibus: nec ulla est disciplina in qua non peccando discatur. Nam ubi quid perperam administratum cesserit improsperè, vitatur quod fefellerat, illuminatque rectam viam docentis magisterium. Hæc Columella *lib.* I. *cap.* I.

Responsio.

VErè & sapienter Columella, si de artibus loquaris: sed Latinè loquendi nulla est ars. Hoc enim observatione rerum innumerabilium constat. Grammatica, Musica, Rhetorica, & similes errando addiscuntur: sed, ut inquit Fabius *lib.* I. *cap.* 6. *Aliud est Latinè loqui, aliud Grammaticè loqui.* Quasi dicas: *Libris opus habeo*; *Adhibeo tibi fidem*; *crimen læsæ majestatis*; *ille tenetur hoc facere*; *ego amo Deum*: Grammaticè quidem dicas, Latinè non dicas. Nec enim satis est Latinas quærere dictiones, delectus adhibendus est in verborum conjunctione, quem isti locutuleii miris modis dilacerant. Non enim quicquid Latinum est, statim Latinè dicetur: *Habere orationem* dicimus, non *facere*; *verba facere*, non *agere*: *agere gratias*, non *facere*; *fer opem* dicimus, *da opem* non dicimus: *dare verba* usitatum est; *tradere*, seu *præbere verba* inauditum. Quid dicam de illis, qui sibi docti videntur, & passim habentur? Quidam enim ex illis scripsit: *Vigilant* mi-

milites in monte, pro *speculantur de monte: tentat frangere aciem*, pro *conatur aciem perrumpere*; *dimisit suos milites*, pro *dimisit copias*, seu *exercitum*; *impedivit commeatum*, pro *interclusit*; *victu carebat Cæsar*, pro *re frumentaria*; *duxit vineas*, pro *egit*; *primi in consilio*, pro *consilii principes*; *reportarunt prædas*, pro *egerunt*; *milites monuit*, pro *hortatus est*; *signum fecit*, pro *signum dedit*; *renovavit prælium*, pro *restituit*, aut *redintegravit*; *aciem ordinavit*, pro *instruxit*; *redierunt milites*, pro *receperunt se*; *misit ad succurrendum*, pro *misit subsidio*; *fecerunt vim*, pro *impetum fecerunt*; *magnis viis contendit*, pro *magnis itineribus*; *perdidit opportunitatem*, pro *amisit occasionem*: Sic itaque loquuntur qui linguam, non stilum exercent.

Objectio secunda.

PRopter crebras in variis disciplinis disputationes Latino sermone assiduè loquendum.

Responsio.

SErias & graves disputationes litteris, non ventis debere mandari quis est qui ignoret, nisi clamosus disputator, aut cerebrosus vociferator? An ideò semper assuescendum est loquelæ, ut posteà dicamus, *noleitas*, *voleitas*, & per *modum præteritionis*, *dico quòd*, & nota *quòd Pappa habet aures*? Quod si talis urgeat necessitas, qui Latinè scripserit, blaterones superabit.

Objectio tertia.

SI quis linguam Gallicam assequi studeat, optimè illam cum Gallis loquendo comparabit.

Respon-

Responsio.

DIssimile admodum est linguarum aliquam cum Latina, quæ jam nulla est, comparare. Si ulla esset natio quæ purè Latinè loqueretur, non dubito quin apud illos Latina facilitas loquendi perdisceretur. Sed nunc soli sunt libri ad quos recurrendum est, si purè Latinè scribere velimus. Idem esto judicium de Græca, vel Hebræa lingua, quas non ut loquamur, sed ut intelligamus addiscimus.

Objectio quarta.

NOn desinunt isti onocrotali subinde objicere, seu verius obgannire: moris esse ut infantes parvuli *papas*, *mamas*, *taytas* balbutiant, qui tamen posteà in melius corrigantur.

Responsio.

NEmo sanæ mentis tale consilium probabit, ut ineptæ nutrices doceant, quæ postea sint dedocenda. Ego certè, qui plurimos liberos sustuli, nunquam id sum passus, qui Quintiliano autore didicerim, non assuescendum puerum sermoni, qui dediscendus sit. Quid quòd optima eodem labore, aut fortasse facilius edocentur.

Objectio quinta.

SI Latinè loqui non esset laudabile, non ita passim ab omnibus commendaretur: Et omnes Academiæ legibus sanxerunt, ut & Latinè legatur, & disputetur.

Responsio.

QUasi verò quidquam tam sit valde, quàm nihil sapere, vulgare: ut præclarè 2. *de Divinatione* scripsit Cicero. Sed quoniam tu mihi stulto-

rum turbam objicis, qui Latinè loquentes colunt & admirantur: ego tibi contrà doctissimorum judicium & consensum opponam, qui hujusmodi pestem, sive loquentiam aversantur.

Cicero *Lib. II. De Oratore*, de exercitatione agens, sic inquit. „Sed plerique in hoc vocem mo„do, neque eam scienter, & vires exercent suas, & „linguæ celeritatem incitant, verborumque frequen„tia delectantur. In quo fallit eos quod audierunt: „Dicendo, homines ut dicant, efficere solere. Ve„rè enim etiam illud dicitur: Perversè dicere ho„mines perversè dicendo facillimè consequi. Quam„obrem in istis ipsis exercitationibus, & si utile „est etiam subitò sæpe dicere, tamen illud utilius „sumpto spatio ad cogitandum paratius atque accu„ratius dicere. Caput autem est, quod, ut verè „dicam, minimè facimus (est enim magni laboris, „quem plerique fugimus) quamplurimum scribere. „Stilus optimus & præstantissimus dicendi effector „ac magister.“

Cicero *primo Offic.* §. *Intelligendum est etiam*, &c. „Ut enim sermone eo debemus uti, qui notus est „nobis, ne (ut quidam Græca verba inculcantes) „jure optimo irrideamur: sic in actiones, omnem„que vitam nullam discrepantiam conferre debe„mus.“

Quintilian. *lib.*1. *cap.*1. „Ante omnia ne sit vitio„sus sermo nutricibus. Has primùm audiet puer, „harum verba effingere imitando conabitur. Et na„tura tenacissimi sumus eorum quæ rudibus annis „percipimus: ut sapor quo nova imbuimus, durat: „neque lanarum colores, quibus simplex ille candor „mutatus est, elui possunt. Et hæc ipsa magis perti„naciter hærent, quæ deteriora sunt. Nam bona fa„cilè mutantur in pejus: nunc quando in bonum ver„teris vitia? Non assuescat ergo, ne dum infans qui„dem est, sermoni qui dedíscendus sit.“

Erasſ-

Erasmus *lib.8. Apophtheg.* sic ait: „Pollio dicebat; „Commodè agendo factum est, ut sæpe agerem: sed „sæpe agendo factum est, ut minus commodè; quia „scilicet assiduitate nimia facilitas magis, quàm facul„tas; nec fiducia sed temeritas paratur. Quod accu„ratè factum velimus, raro faciendum est. Hac ratione „duci videntur Itali quidam eruditi, qui licet pulchrè „calleant Latinè, tamen vix unquam adduci possunt, „ut in familiari congressu Latinè loquantur. At si „quando compellit necessitas, dicunt exactè, quasi de „scripto. Novi Venetiæ Bernardum Ocricularium ci„vem Florentinum, cujus historias si legisses, dixisses „alterum Salustium, aut certè Sallustii temporibus „scriptas. Nunquam tamen ab homine impetrare li„cuit, ut mecum Latinè loqueretur: subinde interpel„labam: surdo loqueris vir, præclare, vulgaris linguæ „vestratis tam sum ignarus, quàm Indicæ. Verbum „Latinum nunquam quivi ab eo extundere.“ Hæc Erasmus.

Budæus *in Comment. Linguæ Græcæ*, reprehendens Vallam circa reciprocorum usum, sic ait: „Id „autem Laurentio non aliàs accidit, quàm ex prava „loquentium consuetudine, quibus aut legendis aut „audiendis inviti erroris contagionem contrahimus: „simul ex sermone extemporali, & neglecto, cui in„ter familiares assuescimus, præsertim puræ Latinita„tis ignaros: qua noxa fit interdum, ut quædam im„prudentibus excidant: id quod aliquando experti su„mus in autographis nostris, ita ut flagitiosæ culpæ „nos perpuderet.“

Cornelius Valerius in *fine suæ Syntaxeos*: „Hanc „proprietatem in verborum conjunctione qui non „observat, nec delectum habet ullum, is Barbarica „phrasi omnem pervertit Latinitatem. Quod iis ferè „solet accidere qui linguam Latinam ad idioma ver„naculum detorquent.“

Joachimus Fortius *in libello De ratione studii, cap. De scribendo.* „Nam ferè fit, ut qui loquuntur accu-„ratè, minus eruditè scribant. Dum enim rerum „illarum voluptate afficiuntur, imperfectiores opor-„tet sint in altero. Nemo pari cura res duas un-„quam tractaverit. *Et infra:* „Quo pacto id genus „homines, qui tanto plausu in tanta nugatorum „corona nugari possunt, accuratè quicquam scrip-„serint? Certè neminem unquam vidi (nisi me „memoria fallat) doctè scribentem, cui valde in „promptu fuit colloquendi, disserendique ratio. *Et infra:* „Famam puerilem aspernemur, vulgo iner-„tes videamur.“

Ex Bartholomæo Riccio *lib.* 3. *De imitatione Ciceronis*, in calce. „Non soleo ego (ne hoc quo-„que omittam) meum discipulum cogere, ut fit „plerumque in scholis, quicquid ei dicendum usu „veniat, Latinè ut id proferre conetur. Utrum „enim plus commodi, an damni ad Latinam ele-„gantiam, quàm nos quærimus, hoc afferat stu-„dium, non planè satis habeo comprobatum. Equi-„dem si meo discipulo cum iis versandum fit, qui „tantùm eo modo egregiè atque splendidè loquan-„tur, in eam consuetudinem eum inducerem om-„nino: id enim fieret, quod nos in nostra lin-„gua, & Romani in hac ipsa sua Latina facie-„bant, ut nulla difficultate, multa etiam cum di-„gnitate, quidquid postea vellet, commodè loque-„retur. Sed quum hic à libris discessit, aut etiam „à magistro suo, aliò locutionis suæ rationem re-„ferre cogitur, domi, in viis, cum familiaribus, „ruri, in urbe, alio etiam modo loquendum est. „Huc accedit, quòd infanti puero, dum ea quæ „vult, & ex tempore, atque subitò proferre labo-„rat, multis partibus ea plura excidant, quæ ineptè, „quæ inconditè, atque incompositè, quæ denique

„nul-

„ nullius dignitatis ſint, quamque vix tolerabilia ſint „ neceſſe eſt. Ita fit, ut dum locutionis ſtudeant ce„ leritati, orationis ornatum omnem, atque dignita„ tem corrumpant. Quoniam autem quod in quoti„ diano ſermone poſitum eſt, nihil admodum Latinæ „ orationi prodeſſe videtur ad eam dignitatem, quæ „ ejus linguæ merè germana eſt, ac omnino ea no„ bis aliqua exercitatione atque artificio comparanda „ atque confirmanda eſt, equidem id diligentiæ ab „ uno ſtilo, qui dicendi magiſter & opifex eſt opti„ mus, petendum eſſe cenſeo."

Objectio ſexta.

PRopter varia inter gentes commercia aut ut cum externis hominibus colloquamur, non ſolùm utile, ſed neceſſarium aliquando eſt Latinè loqui.

Reſponſio.

EGo Latinam linguam non damno, ſtilum veneror & amplector; in quo qui probè fuerit exercitatus, ſi neceſſitas ingruat, repentè dicet: *da mihi panem*, vel *aliud obſonium.* Multis in locis Cicero commendat ſtilum, & ad Gallum *lib.* 7. ſic ſcribit: *Urge igitur, nec tranſverſum, quod aiunt, à ſtilo; is enim dicendi opifex.* Quid dignum illis imprecabor, qui ſic admonent pueros: *Vel malè vel bene loquere cum* M.? Ex hujuſmodi ſterquiliniis tantam accepit lingua Latina labem & calamitatem. Ego denique cum doctiſſimis, neminem excipio, viris teneo, nulla aut ætate, aut tempore aliena lingua, nedum Latina, eſſe loquendum.

PARADOXON III.

Exploditur Grammaticorum Antiphrasis.

AD nauseam usque repetunt indocti Grammatici *Antiphrasin* figuram: *Parcas* enim affirmant dici quia nemini parcunt: & *lucum*, quia minimè luceat; & hujusmodi sexcenta monstra. Sed ego illos hîc, ut in aliis omnibus, in media luce caligare, vel potius cæcutire ostendam; ac primùm omnium vocem ipsam *Antiphrasin* ignorant. φράσις enim non dictionem unicam significat, sed orationem, aut loquendi modum: ut si quæras an, *opus habere*, sit Latina phrasis, nec ne: itaque si esset Antiphrasis quam illi somniant, aliter esset appellanda: ego verò Antiphrasin esse non inficior, sed longè aliud esse quàm quod isti opinantur assevero. Est enim Ironiæ quædam forma; quum dicimus negando, id quod debuit affirmari: ut, *non mihi displicet, non malè disputat*; pro *placet*, & *bene disputat.* Plutarchi verba in Homerum hæc sunt, ἔςι κ̀ ἀντίφρασις λέξις, τὸ ἐνάντιον, ἢ τὸ παρακείμενον σημαίνουσα. i. *antiphrasis est sermo* (sic n. interpretor λέξιν ex Aristotele 3. *Rhet.* in principio) *contrarium, quam positum* est, *significans.* confirmat hoc tali Homerico exemplo: *Neque hos videns gavisus est Achilles.* Voluit (inquit) contrarium significare. i. videns hos mœstus fuit. Hæc Plutarchus. Antiphrasin etiam Julius Ruffinianus non inter figuras verborum enumerat, sed sententiarum: qui mihi tamen non placet, quòd eam Latinè vocari ait omissionem, ut quum fingimus omittere ea quæ tamen dicimus. Virgil.

Quid repetam exustas Erycino in littore classes?

atque hæc de nomine, nunc rem ipsam excutiamus.

Si

Si Platoni credimus in *Cratylo*, & Ariſtoteli *tertio Rhetoricorum*, qui nomina ſimulachra quædam & imagines eſſe aſſerunt rei illius quam imitantur & nominant: extremæ dementiæ fuerit nomina per contrarium ſenſum excogitare: quid enim putidius quàm rem aliquam vocari levem quia ſit gravis? vel obſcuram quia lucida ſit? Nec obſtat illud Teren. & aliorum: *Ehodum bone vir.* i. peſſime. Nam hæc mera eſt Ironia, quum contrarium ſignificamus. Aliudque eſt tropum efficere, aliud nomina imponere, tum præterea Ironia pronuntiatione & geſtu indicat quid velit: Antiphraſis verò ſi eſſet, ex uſu ſic ſignificaret. Antiphraſin Quintil. *lib.* 8. ſub Ironia recenſet. *Ariſtophanis* interpres in dictione σκολιὰ negat dici verba à contrario ſenſu: ſic, τὰ γὰρ δύσφημα ἐπὶ τὸ εὐφημότερον μεταλαμβάνεται, οὐ μὴν τοὔμπαλιν. i. quæ dura ſunt, & malè ominata verba tranſmutantur in bene ominata, non autem per contrarium. Interpres Nicandri illud Homeri κύνας ἀργοὺς per euphemiſmon, id eſt, veloces, quia ἀργὸς ſemper piger ſignificet. i. ἄεργος.

Auguſtinus Dathus jam olim vidit Grammaticorum Antiphraſin vanum eſſe commentum: iſque libellum edidit De *novem nominibus falſo per Antiphraſin dictis.* Ego ut illius diligentiam laudo, quòd melius aliquid viderit; ita in etymo explicando longè ſæpe ab eo diſſentio, ut ſuis locis demonſtrabo. Hæc autem ſunt, quæ ipſe confutat nomina; *Manes*; *lucus*; *bellum*; *officium*; *Parcæ*; *ludus*; *ocium*; *Cælum*; *Eumenides.* Nos alia præterea nonnulla curavimus refellenda.

MANES. I.

MAnes dici affirmant quòd boni non ſint; idque teſtimonio Servii confirmant, qui 3. *Æneid.* de Polydori tumulo ſic inquit: *Manes animæ ſunt quæ egreſſæ corporibus nondum alia intrant corpora. Sunt*

autem

autem maximæ, & dicuntur per Antiphrasin: nam manum bonum, unde mane dictum: ut Eumenides, Parcas, bellum, lucum. Alii Manes ducunt à manando; nam animabus plena sunt omnia inter lunarem circulum & terram, unde defluunt. Alii Manes deos infernales putant. Hactenus Servius. Augustinus Dathus à *μανίασι* Græca dictione quæ furorem aut insaniam significat deducit, ut à *μανω*: ait enim manare non tam aquarum fluentium quàm Solis proprium esse in emittendis radiis: unde *mane* originem sumsisse, quod in ea diei hora Sol manare incipiat: sic ille. Sed longè aliter se res habet. Varro *De lingua Lat. Antiqui* (ait) *bonum dicebant manum.* Nonius Marcellus, *Manum* (inquit) *dicitur clarum, unde etiam mane post tenebras noctis diei pars prima: inde Matuta quæ Græcè* Λευκοθεα. Nam *inde volunt etiam deos manes appellari, id est, bonos ac prosperos.* Festus Pompeius, *Manare* (inquit) *antiqui dicebant, cùm Solis orientis radii splendorem jacere cœpissent, à quo & dictum putabant mane. Alii dictum mane putant ab eo quòd manum bonum dicebant*: & paullo pòst: *Mane à diis Manibus dixerunt; nam mana bona dicitur: unde & mater Matuta, & poma matura, & rursus matrem Matutam antiqui ob bonitatem appellabant, & maturum idoneum esui, & mane principium diei, & inferi dii manes; ut suppliciter appellati bono essent.* Vides Festum, propter codicum depravationem, sibi non constare: nihilominus tamen elicimus ex illo *Manes* à *manum* quod est bonum deduci. Acron in Horatium, *Dii Manes, dii boni à manum quod est bonum, antiqui animum à corpore separabant, manem deum nuncupabant.* Hæc ille. Cicer. 2. *leg. Deorum Manium jura sancta sunto.* Sed nullus esset finis si quæ de manibus, lemuribus, atque laribus sunt disputata à Platone, Plotino, Porphyrio, Psello, Proclo, Apuleio, coner in medium afferre. nam nullus ferè cum altero convenit. Divus August. *lib. 9. cap.*

cap. II. *Civitatis*, Plotini ſententiam ſic proponit: *Dicit quidem & animas hominum dæmones eſſe, & ex hominibus fieri Lares, ſi meriti boni ſint: Lemures, ſeu Larvas, ſi mali. Manes autem deos dici quum incertum eſt, bonorum eos ſeu malorum eſſe meritorum.* Sic Auguſtinus. Apuleius *de deo Socratis* poſteaquam quid Genius, quid Lemures, quid Larvæ ſint explicavit, ſubdit: *Quum verò incertum eſt quæ cuique eorum ſortitio evenerit, utrumne Lar ſit an Larva, nomine Manium deûm nuncupant, & honoris gratia Dei vocabulum additum eſt: quippe quum eos deos appellent, qui ex eorum numero juſtè ac prudenter vitæ curriculo gubernato fanis & cærimoniis vulgò admittuntur: ut in Bœotia, Amphiaraus; in Aphrica, Mopſus; in Ægypto, Oſiris, alius alibi gentium. Æſculapius ubique.* Hæc ille. Hinc natum eſt illud vulgatum in ſepulcris, quod à multis quid ſit video ignorari.

D. M.
ACHILLIS.

hoc eſt, *Diis Manibus Achillis*, putant enim ſepulcrum dicari diis inferis: quare noſtri Chriſtiani ut felicius ominarentur, emendarunt, ſeu corruperunt potius ſic,

DEO OP. MAX. SACRUM.

ſed Diis manibus Achillis, aut Ajacis, idem eſt ac ſi dicat: *Ipſi Achilli ſacrum*, aut *Genio Achillis*. Poſtremò nemo mihi melius quid ſint Manes explicaſſe videtur, quàm Pomponius Mela *lib.* I. quum de *Augilis Naſamonibus* (id eſt, arenoſis) loquitur: *Augilæ* (inquit) *manes tantùm deos putant, per eos dejerant, eos ut oracula conſulunt, precatique quæ volunt, ubi tumulis incubuere, pro reſponſis ferunt ſomnia*: quæ verba ſumta ſunt ex Herodoto in Melpomene, quum de Naſamonibus loquitur, in hunc modum: *Jurejurando ac divinatione tali utuntur: per eos viros, qui juſtiſſimi atque optimi apud illos fuiſſe*

dicun-

dicuntur, jurant; illorum ſepulchra tangentes divinant, ad ſuorum accedentes monumenta: & illic, ubi preces peregerunt, indormiunt: ubi quodcunque per quietem inſomnium viderunt, eo utuntur. Mela itaque vocavit *Manes* quod Herodotus juſtiſſimos atque optimos poſt mortem. Plinius, quum hæc à Pomponio accepiſſet, ſic mutavit: *Augilæ inferos tantùm colunt.* Rurſus à Plinio Solinus: *Augilæ verò ſolos colunt inferos:* quàm rectè mutarint ipſi viderint, obſcurè dixit Virgilius *Æneid.* 6.

—— *Quiſque ſuos patitur Manes.*

quod ſic explico: quemadmodum qui alios læſerunt, aut necaverunt, patiuntur Lemures, & Larvas interfectorum, ut Oreſtes, & alii: ſic Anchiſes, & alii boni viri patiebantur proprios Manes, id eſt, non prius tranſibant ad Elyſios, quàm propria crimina purgarent.

LUCUS. II.

LUcus inquiunt à *lucendo*, quia minimè luceat. Hoc refellens Dathus ait, à *lucendo dici fateor; ſed per contrarium nequaquam.* Idem putat Quinctilianum ſentire lucum per Antiphraſin dici: ſed ipſi cæterique Grammatici falluntur, quum, Quinctiliano authore, *lucum à non lucendo* deducunt: imò verò Quinctilianus irridet illos, qui talia comminiſcuntur: inquit enim *lib.*1. *cap.* 6. *Etiam ne à contrariis aliqua ſinemus trahi? ut lucus, quia umbra opacus, parum luceat: & ludus, quia ſit longiſſimè ab luſu? & Dis, quia minimè dives?* Hæc Fabius. Ego verò, miſſis aliorum rationibus, *Lucum* ab Etruſca voce deductum exiſtimo. Etruſca enim eſſe nomina Varro in Originibus aſſerit *Luceres*, & *Lucumones.* Eſt porrò Etruſcis vox *Lucà* cum accentu in ultima (ut Talmudiſtæ aiunt) idem quod *ſenex*, ſive *ſenator.* Et de antiquitate Lucorum & illorum religione pleni ſunt poëtarum libri. *Templum Pici* (inquit Virgilius;)

lius;) *horrendum erat silvis & religione parentum.* i. venerandum, ut Servius exponit: sed extat apud Lucanum elegans Luci descriptio *lib.* 3.

Lucus erat longo nunquam violatus ab ævo, &c.

BELLUM. III.

BEllum dicunt, *quia non bellum sit.* Ridet Dathus & à *belluis* dici contendit: adducens illud Ciceronis *Offic.* 1. *Nam cùm sint duo genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim; cumque proprium sit hominis illud, hoc belluarum: confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore.* Sed fallitur Dathus: hæc enim verba nihil quod ad etymon pertineat, probant: accipe igitur veram sententiam. Antiqui *duellum* antè dicebant, quod postea *bellum* vocarunt. Ciceronis hæc sunt verba in *Oratore perfecto*: *Quid verò licentius, quàm quòd hominum etiam nomina contrahebant, quo essent aptiora? Nam ut duellum bellum, & duis bis, sic Duellium eum qui Pœnos classe devicit Bellium nominarunt: quum superiores appellati essent semper Duellii.* Ex his etiam Ciceronis verbis ridere poteris Grammatistas qui inter *duellum* & *bellum* differentiam constituere solebant: quum idem prorsus significent, nisi velis dicere illud vetus: hoc autem posteà usitatum. Antiquè enim dixit Horatius:

Græcia Barbarico lento collisa duello.

OFFICIUM. IV.

OFficium aiunt ab *efficiendo*, quod nemini officiat, vel noceat. Hoc rectè refellit Aug. Dathus ex sententia D. Ambrosii, in *lib. de Officiis*, dum inquit: *Officium littera o mutata quasi efficium dicit, propter decorem sermonis.* Hæc ille. Donatus in *Adelph.* planius id ostendit, inquiens: *Officium dicitur quasi efficium ab efficiendo, quod unicuique personæ congruit.*

Lu-

LUDUS. V.

LUdus, quòd longissimè absit *à lusu*; citantque Quintilianum *lib.*1. *cap.* 6. sed ille, ut monui, irridet illos qui talia docent. Dathus malè se expedit à quæstione, dum disputat ludum litterarium non ad graviores disciplinas pertinere, sed ad Grammaticam & pueriles institutiones, qui utique lusus est, præ majoribus & altioribus scientiæ & philosophiæ studiis; in quo quantum fallat, non est difficile explicare: quum constet gravissimorum Oratorum scholas vocari ludos. Cicer. *de Orat. Isocrates magister istorum omnium cujus è ludo, tanquam ex equo Trojano innumeri principes exierunt*: sed etsi demus Dathum vera dicere, non tamen propterea ludi etymon inde apparet. Exquiramus igitur primævam ludi etymologiam; tum deinde ad ludum litterarum accedemus; cui quæstioni ut rectius satisfaciam, illud admoneo, litteram Græcam Υ perpetuò verti apud Latinos in *u*, ut φύω fuo, λύω luo, φύγα fuga; sic à Lydiis *ludus* dictus. imò & ipsos Lydios ludos vocat Plautus in Aulularia. Historiam sic narrat Herodotus in *Clione*: *Aiunt Lydii ipsi, sese ludos invenisse, qui etiamnum apud Græcos cum illis communes sunt. Simul autem hæc invenisse, & in Tyrrheniam, hoc est Thusciam colonos deduxisse, idque hunc in modum accidisse referunt: Tempore Atydis Manis regis filii annonæ difficultas per universam Lydiam valde grassabatur: adeò ut Lydii, qui tunc miserè degebant, non cessantes remedia huic malo quærere, diversa pro se quisque excogitaverit; inventumque tunc ab eisdem aleæ tesserarumque ludum, & pilæ, ceterorumque ludorum omnium genera; præterquam talorum: horum enim inventionem sibi non vendicant Lydii Porrò ad famem discutiendam altera quidem dierum in totum lusibus occupabantur: ne videlicet ciborum quærendorum solicitudine distorquerentur: altera verò à lusi-*

bus abstinentes pascebantur. Atque hoc modo annis duodeviginti vixerunt. Hæc Herodotus. Hesychius tradit à Lydiis inventa spectacula, & hinc Romanos dixisse *ludos*. Suidas λυδιάζειν & λυδίζειν, pro eo quod est Lydiorum more vivere. Hæc de vero etymo. Secundo autem modo ludus pro exercitatione capitur, ut ludus pilæ, Græcè γυμνάσια, & γυμνάζειν exerceri in palæstra, in haltere, in disco, & multis hujusmodi. Hinc eodem modo ludus litterarum, id est, gymnasium, vel exercitatio litterarum.

PARCÆ. VI.

SErvius in illo Virgil. *sic voluere Parcas*: *dicuntur*, inquit, *Parcæ per antiphrasin*, *id est*, *contrarium sermonem*, *quia nemini parcant*: *sic lucus*, *quòd non luceat*: *Bellum*, *quòd nulla res bella in eo sit.* Augustinus Dathus ibidem, post Servium non probat Antiphrasim, longamque texit disputationem de nomine *parcus*; deinde ab illo deducit *Parcas*, quia parcè nobis vitam tribuant: sed nobis Varronis sententia magis arridet quæ refertur ab A. Gellio *lib.* 3. *cap.* 16. sic: *Antiquos autem Romanos Varro dicit non recepisse hujusmodi quasi monstrosas raritates*, *sed nono mense aut decimo*: *neque præter hos alios partionem mulieris secundum naturam fieri existimasse*: *idcirco eos nomina Parcis tribus fecisse à pariendo*, *& à nono atque decimo mense. Nam Parca*, *inquit*, *immutata littera una à partu nominata. Item Nona*, *& Decima à partus tempestivi tempore.* Hæc Gellius. Parcæ autem tres finguntur Jovis filiæ, quarum nomina & officia hoc versu explicantur.

Clotho colum retinet, *Lachesis net*, *& Atropos occat.*

EUMENIDES. VII.

QUas Latini Furias appellavere, Græci Ερινυες, & Eumenides dicunt: sunt autem, ut ait Orpheus, *Tisiphone*, *necnon Alecto*, *& dira Megæra.*

Qui-

Quidam *Eumenidas* dictas putant ab εὐμενεία, i. benevolentia: εὐμενίζω enim est placo: quia minimè sint benevolæ, sed immites, & diræ. Dathus interpretatur benefurentes, ab εὖ bene, & μαίνω furere, sed fallitur. nam eo modo per æ diphthongo scriberetur Eumænides: propiùs verò qui dixerunt dictas κατ' εὐφημισμὸν, i. ut bene ominaremur: in templis enim omnia mala verba per contraria enuntiabantur, ut vita pro morte, & mactare pro cremare, & rectè pro non: sed ego longè aliter interpretor, & Eumenidas propriè pias & mites appellari contendo; quod ex Suida non erit difficile comprobare: ejus verba sic Latinè vertebam: *Eumenides, Erinnyes subterraneæ deæ, accepisse autem aiunt eas nomen ab Oreste, tunc enim primùm ab eo Eumenides, id est, mites & pias, quoniam eas expertus sit propitias, ferunt appellatas: quibus & ille maternæ cædis in Areopago absolutus, nigram ovem sacrificavit.* & paullò post: *Has & Æschylus in Eumenidibus à Minerva fuisse placatas in Orestis judicio tradit, obtinuisseque ab eis, ne in Orestem terribiles insurgerent, unde eas Eumenidas, i. propitias vocavit.* Hæc ex Suida.

OTIUM. VIII.

OCium dictum volunt quòd non ocyus sit, & velox, sed segne potius, tardumque: nam Græcis *ocys* velox est; ex quo *ocymum* dicitur leguminis genus à celeritate nascendi; & *ocyus* adverbium. Hæc destruere dum conatur Dathus, ineptè philosophatur nescio quid de vita contemplativa & activa, quòd scilicet in ocio celerius moveatur mens, quàm in actione rerum. Itaque asserit *ocium* à celeritate mentis nuncupatum: & prætereà (si Musis placet) *Ocyum* per *c* & *y* scribi debere contendit. Sed quis unquam sanæ mentis *ocium* & *negotium* per *y* scripsit? Pierius *in Virgil.* otium per *t* omnino scribi

ſcribi debere contendit. Aldus *in Ortographia* ſic, *otium* cum t libri veteres, & Q. Papirius Grammaticus his verbis, in his ſyllabis ſonus litteræ z immiſtus inveniri tantum poteſt, quæ conſtant t & i; & eas ſequitur vocalis quælibet, ut *Tatius*, *Otia*, *juſtitia*, & ſimilia, cujus ego ſententiam ſequor libentius, quàm eorum qui induciæ, & *ocium* cum c, ſcribunt Donati authoritate adducti: eum enim ſcripſiſſe dicunt; *induciæ* dictæ, quòd inde *ocium*, quod non affirmo: potuit enim *indutiæ* quòd inde *otium*: quod ſententiam meam confirmare videtur. Hæc Aldus. Sed quæris unde dicatur *Otium*; an verò neceſſe erit omnium verborum origines & etymon patefacere? Coſconius nobilis Grammaticus (teſte Varrone) ad mille verba in Latina lingua collegit, de quibus ratio reddi non poſſet. Hæc enim vocat primigenia; qualia ſunt *lego*, *ſcribo*, *ſto*, *ſedeo*, ſic fortaſſe *otium*, unde *negotium* quaſi *necotium*.

CÆLUM. IX.

CElum à *celando* deducunt, quòd patens ſit, nec coopertum. ſed nemo ſcribit *cælum* ſine diphthongo *æ* vel *œ*. illo modo dicitur à *cælando*, i. pingendo; hoc autem à Græco κόιλω. i. cavo. Plin. *lib.* 2. *cap.* 2. *Formam ejus in ſpeciem orbis abſoluti globatam eſſe, nomen in primis & conſenſus in eo mortalium orbem appellantium: ſed & argumenta rerum docent.* Ibidem *cap.* 4. *Cælum quidem haud dubiè cælati argento diximus, ut interpretatur* M. Varro. Hæc Plinius. at M. Varronis verba licet corrupta diverſum ſentire videntur: is igitur *lib.* 4. *analogiæ* ſic inquit: *Cælum dictum ſcribit Ælius quod eſt cælatum: aut à contrario nomine celatum, quòd apertum eſt; non malè quod poſterius Ælius, multo potius celare à celo, quàm cælum à cælando. ſed non minus illud alterum de celando ab eo potuit dici quòd interdiu celatur, quàm quòd noctu non celatur omni-*

no. Ego magis puto à chao cavum, & hinc cœlum; *quoniam, ut dixi*: Hoc circum ſupraque quod complexu continet terram, *cavum cœlum. Itaque*, dicit Andromacha, *Nocti, Quæ cava cœli ſignitenentibus conficis bigis*: & Agamemnon, *in altiſſimo cœli clypeo; cavum enim clypeum.* Ennius item ad cavationem, *Cœli ingentes fornices. Quare ut à cavo cavea, & caullæ, & convallis, cavata vallis, & cavædium: ut cavum ſit ortum: unde omnia apud Heſiodum à caho; à cavo cœlum.* Hæc Varro. cui aſtipulatur Lucretius, cùm dixit, *Caulas ætheris.* Ego itaque *cœlum* cum *œ* ſcribo cum doctiſſimis; & verba Plinii Varronem citantis corrupta puto, quæ ſis legenda cenſeo. *Cœlum quidem haud dubiè cavati argumento diximus, ut interpretatur M. Varro.*

Atque hactenus de novem nominibus quæ Auguſt. Dathus ſuſcepit confutanda. Nunc nos ad alia tranſeamus, quæ à maximi nominis Grammaticis, & Rhetoricis per Antiphraſin dicta paſſim adducuntur.

MORUS. X.

PLinius *lib.16. cap.21. Sicut Morus*, inquit, *quæ noviſſima urbanarum germinat, nec, niſi exacto frigore: ob id dicta ſapientiſſima arborum.* Ex his Plinii verbis multi anſam cepere, ut docerent, *morum* dici per antiphraſin, quia minimè ſit ſtulta. μωρὸς enim ſtultum & dementem ſignificat. Alciatus *in Emblematis* poſtquam dixit de Amygdalo, ſubdit:

Segnior at Morus nunquam niſi frigore lapſo
Germinat, & ſapiens nomina falſa gerit.

At verò nec Plinius id ſentit, nec ſi ſentiret, illi ſubſcriberem. Res autem ſic ſe habet. Multa nomina apud Græcos ſcribuntur per ἀυ diphthongon, quæ Latini nunc per au, nunc per ω enunciarunt; ut, ταῦρος, taurus; ἀυλὴ, aula; Καύκασος, Caucaſus; ἄυριον, aurum. *Orata* (inquit Feſtus) *genus piſcis appellatur,*

latur, *à colore auri*, *quod rustici orum dicebant* : *ut auriculas oriculas*. *Itaque Sergium quoque quendam prædivitem*, *quòd & duobus annulis aureis*, *& grandibus uteretur*, *oratam dicunt esse appellatum*. Hæc Festus. Quin & sæpe apud antiquos *au*, migrabat in *o*, ut *cauda*, *coda*; *Caurus*, *Corus*; *plaustrum*, *plostrum*; *cautes*, *cotes*; *caudex*, *codex*; *plaudo*, *plodo*, *explodo*; *Plautus*, *Plotus*, *cautio*, *cotio*; ut apud Plautum: *Nihilo cotio est*. Eodem igitur pacto ex μαυρὸς, i. obscurus & niger, fit morus, cujus fructus niger est. Quid quòd etiam apud Græcos in usu est μορέα pro ipsa arbore mori? Sæpissimè Hispani ex *u* Latino faciunt *o*; ut *Taurus*, *toro*; *aurum*, *oro*; *laurus*, *loro*; *pausas*, *posas*; *Maurus*, *Moro*, *moral*; *laus loor*, *laudare loar*, *Paulus Polo*, *cauda cola*, *causa cosa*, *paucum poco*, *audire oir*, *auditus oido*, *cautum coto*, *caules coles*. Et Italicè *Moro* significat fuscum: ut apud Tassum *in Amadigi canto* 57.

Un Gigante nel volto arsicio & moro.

MILES. XI.

FEsti Pompeii hæc sunt verba: *Militem Ælius à mollitia* κατ' ἀντίφρασιν. i. *per antiphrasin dictum putat*; *eò quòd nihil molle*, *sed potius asperum quid gerat* : *sic ludum dicimus*, *in quo minimè luditur*. Hæc ille satis ineptè. Ulpianus *lib*. 29. *l*. 1. §. *de Militari test*. *Miles* (inquit) *appellatur vel à malitia*. i. *duritia*, *quam pro nobis sustinet*: *aut à multitudine*, *aut à malo*, *quod arcere milites solent*; *aut à Græco verbo* χίλιοι, *unde* χιλίαρχος *tractum est*. *Nam ita Græci* τάγμα, *& mille hominum numerum appellant*: *quasi millesimum quemque dicas*; *unde ipsum quoque ducem* χιλίαρχον *appellant*. Hæc ille. Ex his autem opinionibus postrema verior & aptior est, utpotè quæ Græcæ origini magis quadret. Itaque

miles propriè dicebatur, qui unus è mille, non sine dignitate nomenclaturæ vocabatur. Nos dicimus de XXIV. rectoribus Hispalensibus: *Es veinte y quatro de Sevilla.* Verba porrò Ulpiani malè citat, & interpretatur Laurent. Valla *lib.* I. *cap.* 14.

SIMULTAS. XII.

SImultas, inquit Festus, *dicta ex contrario, quia minimè sint odientes se simul.* Hæc ille. Sed quur non potius à *simulando*, quum qui latenter dissentiant, semper simulata loquantur, donec vindictæ sese offerat occasio? Hîc potius Laur. Vallæ in Raudensem assentior. *Simultas*, inquit, *est latens odium: ea simultas plærunque intelligi contenta est, cùm inimicitia opere se ostendat.*

VIOLA. XIII.

VIolam dictam volunt quidam, quasi *non violatam*, *vel non violandam*. Ineptè sanè; cùm *violo* verbum à *viola* deducatur. Nam violare virginem est deflorare, & violæ colorem inferre: ut latius in nostris *Originibus* ostenditur. Alii minus malè à *vi olendi*; sed melius à Græco ἴον more deminutivorum. Idque ex eo melius potest persuaderi, quod Æoles (unde plurima Latini sibi deflexerunt) scribebant Fἴον digamma Æolico, pro *viola*: ut ait Terentianus. Et digamma Æolicum vertitur apud Latinos sæpe in u: ut ὄϊς ὄFις, ovis. ὤον, ὤFον, ovum. οἶνον, Fοῖνον, vinum. sic ἴον, Fίον, viola.

ÆGER. XIV.

ÆGer, inquiunt, ab *ago*, quòd nihil possit agere. Nihil vidi ridiculum magis. Alii ab Græco αἰ αἰ, quod est doloris signum, & querelæ. Alii ab αἰάζειν, i. lamentari. Sed non longè abierit ab ago, quòd agatur infirmitate vel tristitia. Et agere vitam

ad id alludit. Virgil. *Vitamque extrema per omnia duco.* ſed placet ab αἰ αἰ.

DIS, PLUTO. XV.

DIs, inquiunt, quia *minimè dives*: quod ex Quintil. *lib.* I. *c.* 6. eliciunt: quum potius, ut diximus, Quintilianus hujuſmodi etymologias irrideat, & inſectetur. Cicer. 2. *Naturæ Deorum*, *à dicando* videtur deducere. Cujus hæc ſunt verba: *Terrena autem vis omnis, atque natura Diti patri dicata eſt: qui Dis, ut apud Græcos* πλοῦτων, *quia & recidant omnia in terras, & oriantur è terris.* Hæc ille. quæ verba etiam ad divitias poſſemus, quibus abundat Pluto, referre. Itaque ſine antiphraſi *Dis* à *divitiis* (eſt enim ditiſſimus) poteſt nominari. Imò huc reſpexiſſe Ovidium crediderim, cùm inquit:

—— itum eſt in viſcera terræ,
Quaſque recondiderat, Stygiiſque admoverat umbris,
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.

PONTUS. XVI.

PUdet referre *Ponti* etymon, olet enim fæcem Grammaticorum: dicunt enim; quaſi *ſine ponte*; quia mare pontem habere non poſſit. Nihil magis ridiculum eſt, quàm quum Græcis vocibus etymon redditur Latinum, aut contrà: ut *lapis*, quia *pedem lædat*: quum Græcè ſit λᾶας, *petra*, quia *teratur pedibus*, aut *pedem terat*, quum ſit πέτρη, vel πέτρα. Itaque πόντος, *pontus* Græcum eſt, & à πόνῳ, id eſt, labore dicitur: quia laboribus ſcateat, ut multis placet. Mihi verò à ποντίζω, id eſt, mergo, magis arridet.

PELAGUS. XVII.

SOlent etiam & Græci Grammatici, quamvis doctiores, ineptire. Dicunt enim *Pelagus* πέλαγος, à πέλας, i. propè, & γῆς, i. terræ, quia longissimè absit à terra. Melius qui à τῆλε τῆς γῆς, i. procul à terra: quasi τήλαγος, *Telagos*, *Pelagus*. Hac etymologia utamur, dum melius aliquid occurrat.

CHARON. XVIII.

LIlius Gregorius Gyraldus *in Diis gentium* sic ait: *Charon Deus infernus dictus per antiphrasin, quasi Acheron: alias tamen Phornutus etymologias adducit, quas non satis probo.* Hæc ille. Ego verò apud Phornutum nullam hujus vocis invenio etymologiam; nec apud alios quidem, uno excepto Natali de Comitibus, ut statim subjungam. Virgilius ad etymon χάρων videtur respexisse: χάρων enim leo est, ἀπὸ τῆς χαροπότητος, id est, ab splendore oculorum. Itaque *Æneid.* 6. dixit: *Stant lumina flamma.* & Ovid. *Metamorph. undecimo*: *rubra suffusus lumina flamma.* Seneca in *Hercule Fur. act.* 3. *concavæ lucent genæ*; sic enim legendum, non *squalent*. χαρώνια dicuntur etiam à Græcis Chasmata & hiatus terræ immensi: ex Diogene Laërtio & Jos. Scaligero in *Ætnam*. unde non malè posset deduci *Charon*. Sed placet Natalis de Comitibus in Mythologiis χάρων à χαίρω. i. gaudeo: quia transitus Lethæi fluminis ad sedes beatorum maximo cum gaudio fiat.

HOLOSTEON. XIX.

HOlosteon (inquit Plinius *lib.* 27. *cap.* 10.) *sine duritia herba, ex adverso appellata à Græcis, sicut fel dulce: tenuis usque in capillamenti speciem, longitudine quatuor digitorum, ceu gramen, foliis*

angustis, astringens gustu, nascitur in collibus terrenis, usus ejus ad convulsa rupta in vino pota. Hæc Plinius. Quæ verba sunt Dioscoridis ex *lib.* 4. *c.* 9. præterquam illa (*sine duritia, ex adverso appellata à Græcis, sicut fel dulce*) qua in parte non assentior Plinio, si Plinii verba sunt. Nam si hæc herba (quæ, ut multi affirmant, nobis incognita est) similis gramini est, melius dicetur *holosteon*, quia tota sit ossea, quàm per antiphrasin, quia sit mollissima. Imò verò doctor Laguna in Dioscoridem arbitratur esse nostram *Pillosellam*, quæ ideò sic vocatur, quòd nimis sit horrida, villosa, & veluti spinosâ. Quid, quòd in Græco Dioscoridis codice non ὁλόςιον, sed ὀλίςιον invenitur?

ORTHOPNOEA. XX.

CÆlius Aurelianus *lib.* 3. *Chronion. cap.* 1. quum ferè attigisset quid esset *orthopnœa*, i. spirandi difficultas, subdit: *Item*, ut alii dicunt, contrario vocabulo suæ virtutis nomen accepit: nam quum sui ratione convertat, ac depravet, tanquam corrigat *orthopnœa* nuncupatur: quam nos spirandi dicere correctionem poterimus. Multa enim contrariæ interpretationis vocabulum sumserunt: ut fella, quæ Græci γλύκεα vocant, velut dulcia, quum sint amarissima. Hæc ille: quem Grammatici fefellerunt. Quanto verius & facilius diceretur: *Orthopnœa* ideò dicitur, quia nisi recto collo & corpore spiritum non possis emittere.

Erunt & alia multa quæ Grammatici (ut sunt ad errores ingeniosi) comminiscuntur. Sed hæc satis fuerit confutasse: ex quibus facilè intelligetur, nullam posse esse vocem, quæ ex impositoris mente contrarium posset significare.

PARADOXON IV.

De Verbis Passivis Disceptatio.

SÆPE quidem Grammatici, nunquam tamen ita egregiè delirarunt, quàm in verborum passivorum deliramensis tradendis. Aiunt enim rem, quam vocant *agentem*, in passiva in casu sexto cum A vel Ab, vel in dativo debere collocari. Nec desunt hebetiores, qui addant, etiam in casu quarto cum *Per*: ut, *Res agitur per eosdem creditores.* Totum falsum est.

Ac de dativo quidem facilè dejicientur: nam uno aut altero malè intellecto testimonio nituntur. Cicero dixit: *Neque senatui, neque populo, neque cuiquam bono probatur.* Sed deberent illi advertere sæpè apud Ciceronem, & alios reperiri in activa eundem dativum. Cicer. *pro Balbo: Non ut vobis rem tam perspicuam dicendo probaremus.* Itaque *hoc non probatur mihi*: est, *tu hoc mihi non probas.* Cicer. *Att. lib. 4. quos libros, ut spero, tibi valde probabo.* Addunt ex Virgilio: *Nec cernitur ulli*, i. ab ullo. Nec Servium consulunt, qui id Græcè dictum ostendit. Mihi tamen hîc, & ubique dativus acquisitionem significat: & quemadmodum dativus à nullo verbo regitur, ita cuivis orationi aptissimè jungetur. Nec enim aliter significat, quum dico: *Da pecunias mihi*: quàm quum dico: *Filius mihi peccat*; aut, *Non omnibus dormio.* Itaque, *Non cernitur ulli*, est, Venus nulli ostendebatur, nulli erat conspicua. Undè aptissimè Apuleius *de Deo Socratis*, Homeri versiculum vertit:

Soli perspicua, ast aliorum nemo tuetur.

Addunt etiam ex Martiale *lib. 2. Si cui fortè legeris; & si totus tibi triduo legatur.* Sed hi videntur ignorare

pare Romanorum morem, qui legentes anagnostas audiebant. Imò & ab ipso Martiale disce dativum in passiva esse acquisitionis. *lib.* 10. *at non & stamina differt Atropos, atque omnis scribitur hora tibi.* Plaut. *Mihi istic nec seritur, nec metitur.* At, inquiunt, in passivis participiis patet dativus rei agentis; ut *Dicte mihi, dicende nobis.* Respondeo, Dativos illos, non propter participia, sed propter verbum substantivum esse positos: ut si dicas: *Sunt mihi amici:* ubi etiam, si rectè perspicias, acquisitio significatur, non actio, vel passio: ut, *Causa docenda mihi est*, id est, mihi, non aliis expedit causam docere.

Qui asserunt rem agentem in accusativo collocari cum *Per*, magis falluntur. Nam quum Cicero dixit: *Res agitur per eosdem creditores*: non significavit creditores agere rem, sed regis amicos agere rem per creditores; istorum error satis refellitur ex innumeris testimoniis, ubi in voce activa *Per* adhibetur. Cæsar 3. *civil. Pompeius frumentum omne per equites comportaverat.* Cicer. *Mirificè mihi & per se, & per Pompeium blanditur Appius.* Idem: *Nihil interest, utrum per procuratorem agas, an per te ipsum.*

Si præpositio *Per* non significat rem agentem (ut facilè demonstrari potest) nec *A*, vel *Ab* significabit. Nam Cicero interrogatus per *Per*, respondit per *A*. Locus est *in prima & secunda epistola lib.* 5. *ad famil.* ubi Metellus inquit: *Non putaram Metellum fratrem ob dictum capite ac fortunis* PER TE *oppugnatum iri.* Cui respondet Cicero: *Quod scribis non oportuisse Metellum fratrem tuum ob dictum* a me *oppugnari.* Ibid. *ad Lucceium: Quum hoc demonstret me* A te *potissimum ornari, celebrarique velle*: subdit paullo pòst: *Neque autem ego sum ita demens, ut me sempiternæ gloriæ per eum commendari velim*, &c. vide infra.

Si

Si per *A*, vel *Ab*, res agens significaretur, semper apponeretur, vel saltem suppleretur ablativus cum præpositione: sed in multis suppleri non potest; non est igitur res agens ablativus. Cicer. *pro lege Manil. In quo agitur populi Ro. gloria, agitur salus sociorum, aguntur certissima populi Ro. vectigalia.* Idem Æschines in Demosthenem invehitur. Virg. *Tum verò in curas animum deducitur omnes.* Huc adde illa: *Linquor animo*: *consternor mentem*: *videris esse doctus: afficior pudore:* & innumera ejusmodi. Regula igitur artis nostræ Grammaticæ vera est: *Passivum verbum nihil præter suppositum desiderat.*

A, vel *ab* (ut in universum dicam) sive in activa, sive in passiva significat *à parte*: ut *ventus flat ab Oriente.* Et cùm Cornelius Tacitus dixit, *Trepidabatur à Cæsare*: non significat Cæsarem trepidare, sed *à parte Cæsaris*, hoc est, Cæsarianos. Et Cic. 2. *Offic.* de Alexandri Phærei morte, quum inquit: *Ab ea est enim ipse propter pellicatus suspicionem interfectus*: non significat ipsam Theben manu sua interfecisse regem, quem Thesiphonus, Pitholaus, & Lycophron ipsius Thebes fratres trucidarunt. Sic Plutarchus *in Pelopida*: & Diodorus Siculus *lib.* 16. *Ann.* 4. Pomponius Mela *lib.* 1. *cap.* 21. urbem Dioscuriada *à Castore & Polluce conditam* dicit: quam re vera Amphitus & Telchius aurigæ Castoris & Pollucis condiderunt: vide Solinum. Terent. *Phor. Non potest satis pro merito ab illo tibi referri gratia.* Hanc phrasin sic retulit Cæsar, 1. *Civil.* Pauca apud eos locutus, quòd sibi *à parte* eorum gratia relata non sit pro suis in eos maximis beneficiis.

Hic me locus admonuit, ut varia subjungam testimonia, in quibus eadem res nunc per *A*, vel *Ab*, nunc aliter enuntietur. Livius *lib.* 6.

Dec.

Dec. 3. de Jubelio: *Me quoque jube occidi, ut gloriari possis, multo fortiorem, quàm ipse es, virum abs te occisum esse.* Val. Maxim. *lib.* 3. *c.* 2. de eodem Jubelio: *Quid cessas in me cruentam securim distringere, ut gloriari possis aliquando, virum fortiorem, quàm ipse es, tuo jussu interemtum?* Idem Val. Max. *lib.* 5. *c.* 3. de Carbone: *Sed nobis tamen tacentibus Gn. Carbonis, jussu tuo interemti mors animis hominum obversabitur.* Idem rursus de eodem, *lib.* 6. *c.* 2. *Vidi Gn. Carbonem, cùm in summo esset imperio, a te equite Ro. trucidatum.* Huc adde illa paullo antè relata, de Metello, & Luceio.

Sed jam ad asylum sacrarum litterarum confugiam, ut pervicaces Grammaticos convincam. D. Paulus 6. *ad Romanos*: ὁ γὰρ ἀποθανὼν δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας. i. *Qui enim mortuus est justificatus est à peccato.* Verte in activam more Grammatico, & in hæresin incurres. sic: *Peccatum justificavit Christum, qui mortuus est.* Quid absurdius? A peccato justificatus est Christus, hoc est, à parte peccati, quia non pertinebat ad eum peccatum. Ita dixit Pilatus: *Innocens ego sum à sanguine justi hujus.* Obscurius illud Matth. *cap.* 11. & *Lucæ* 7. *Justificata est sapientia à filiis suis.* i. doctrina non pertinet ad hanc generationem.

A, vel *Ab*, idem esse quod *à parte* multis possem testimoniis ostendere: sed accipe pauca; ac primùm in verbo substantivo. Plaut. *Curc. Tam à me pudica est, quasi soror mea sit.* Terent. *Hecy. Narrat, ut virgo à se integra etiam tum siet.* Idem, Ab *Andria est ancilla hæc.* Idem *Heaut. Tantum ne est ab re tua otii tibi?* Cicer. *pro Muræn. Nostri inquam illi à Platone, & Aristotele moderati homines.* i. Platonici, & Aristotelei. Idem 3. *Orat. A cæteris silentium fuit.* Idem *pro Mil. Beatos esse quibus ea res honori fuerit* *Sum.*

à civi-

à civibus suis. Idem pro Rabir. *Quorum impunitas fuit, non modò à judicio, sed etiam à sermone.* Idem 1. *Orat. Vide ne hoc totum Scævola sit à me.* Ciceroniana sunt: *Locus à frumento copiosus: à magistratibus nuda respublica: ab amicis inops; à propinquis nudus; à suis munitus: orba ab optimatibus concio.* Cic. 3. *Orat. Nihil isti adolescenti, neque à natura, neque à*
Desum. *doctrina deesse sentio.* Terentius *Heaut. Sed hic*
Possum. *actor tantum poterit à facundia, quantum, &c.*
Sto. Cicero *à voluntate scriptoris stare:* aut *à se potius, quàm ab adversariis stare: à senatu stare.*
Concrepo. Terentius *And. Concrepuit à Glycerio ostium.* Idem;
Crepo. *Sed quid ab illo crepuerunt fores?* Ovidius 5. *Metamorph. Magna feres tacitus solatia mortis ad*
Cado, Occido, pereo, *umbras, A tanto cecidisse viro.* Idem 13. *Metamorph. Occidit à magno (sic Di voluistis) Achille.* Idem 3. *de Ponto: Discipulo perii solus ab ipse*
intereo. *meo.* Cicero 2. *Offic. Phalaris non à paucis interiit,* ut *hic noster.* Idem, *à valentiore interire.* Plin. *lib.* 11. *Quum periit ab Annibale.* Livius
Ciere. *lib.* 1. *Utrinque pugnam ciebant, ab Sabinis Metius Curtius, ab Romanis Hostius Hostilius.* Ci-
Concilio. cero: *Tantum amorem sibi conciliarat à nobis omnibus.* Plaut. *Mostell. Qui à patre ejus conciliarem pacem.* Terent. *Eun. Nequis fortè internun-*
Cursito. *cius clàm à milite ad eam cursitet.* Cicer. *Att.*
Collucet. *Mare nunc, quia à sole collucet, albescit.* Horat.
Defluo. *Multaque merces defluat tibi æquo ab Jove.* Virg.
Dicor. *Qui nunc Misenus ab illo dicitur.* i. propter Misenum sic *dux dicitur à ductu, & rex à regendo.* Plin. *Ab amicitia ejus Gracchanus appel-*
Doleo. *latus.* Plau. *Cistel. Doleo ab animo, doleo ab oculis, doleo ab ægritudine.* Plin. *lib.* 24. *cap.* 8. *Si*
Metuo. *caput à Sole dolet.* Cic. *Et à me insidias metuunt.*
Madescit. Ovid. *Nubibus assiduis pluvioque madescit ab Au-*
Nuncio. *stro.* Cic. 1. *Acad. Nunciatum est nobis à M. Varrone,*

tone, venisse eum ab Roma. Valer. Max. *lib.* 4. *c.* 3. *Interim velim ne mihi à Sole obstes.* Cic. 2. *Obsto.*
Nat. Et, si est calor, à Sole sese opponant. Ovid. 1. *Oppono.*
Metam. Postquam vetus humor ab igne percaluit *Perca-*
Solis. Lucret. *lib.* 6. *& in lucem tremulo rarescit* *leo.* *Raresco.*
ab æstu. Cic. *Att. Quum Romæ à judicibus fo-* *Refri-*
rum refrixerit. Cicer. *Salvebis à meo Cicerone.* *geo.*
Quintil. *lib.* 3. *An timendum à rege bellum.* Ovid. 2. *Salve.*
Fastor. Sed tamen à vento, qui fuit, unda tumet. *Timeo.*
Cæsar *lib.* 3. *civil. Hæc à custodibus classium loca* *Tumeo.*
maximè vacabant. Plaut. *Epid. A morbo valui,* *Vaco.* *Valeo.*
ab animo æger fui.

Sed quid in his moramur, si sola hac ratione hoc evincere possemus? Si præpositio *A*, vel *Ab* cum eodem verbo, & eodem sensu in activa & passiva reperitur: insipientis præceptoris erit, utrobique rem agentem explicare. Verbi gratia: *Dabuntur à me pecuniæ*: non est, *Ego dabo pecunias*, sed *dabo à me pecunias*: quod Hispanè dicitur: *De mi parte, o à mi cuenta.* Adferamus igitur exempla, ubi *A*, vel *Ab* eodem sensu in activa & passiva in uno eodemque verbo reperiatur.

Cicer. *Senect. Eique dona à sociis adtulisset.* *Adfero.* Idem 3. *Leg. Cui ne reditus quidem ad bonos salutem à bonis potuit afferre.* Idem *Att. Et plus à vobis præsidii, quàm à cæteris opis ad salutem potest afferri.* Idem: *Nuncii à Parthis adferuntur.*

Cic. *pro domo sua: Clodius pecunias consulares abstulit à senatu.* *Aufero.* Idem *Att. Totam Academiam à nominibus nobilissimis abstuli.* Plaut. *Pseud. Auferetur id præmium à me, quod promisi per jocum?*

Terent. *Adelph. Abs quivis homine, quum est opus, beneficium accipere gaudeas!* *Accipio.* Cic. *Acad. Quæ à quovis accipi oporteret, & quæ repudiari.*

Plaut.

Amo. Plaut. *Pseud. ubi sunt isti, qui amant à lenone?* Cic. *Ut scires, eum non à me diligi solum, verùm etiam amari.*

Averto. *Avertit oculos ab illo. A judicibus oratio avertitur.*

Avello. *Sperat se à me avellere. Non ab ea rep. avellar.*

Audio. Cicer. *de Senect. Sæpe à majoribus natu audivi.* Idem 3. *Fin. Esseque hominis ingenui, velle bene audire à parentibus. Nostros senes commemorare audivi ab aliis senibus auditum.*

Do. Cic. *Attic. lib.* 14. *A me hoc illi dabis.* Idem *pro Flac. Ab Attilio Servilio dicit se dedisse, & à suis fratribus.* Idem *Att. Se à me quodammodo dare.* Plaut. *Capt. Viaticum ut dem ab trapezita tibi.* Idem *Mænech. Da sodes à te, pòst reddidero tibi.* Terent. *Adelph. Dabitur à me argentum.* Cic. 1. *Verr. Tempus quod mihi ab amicorum negotiis datur.* Idem *Att. Datur mihi epistola à sororis tuæ filio.* Idem 1. *Leg. Nullam tibi à causis vacationem video dari.* Idem *lib.* 7. *Epist. Ad Cæsarem litteræ mihi dantur à te.*

Defendo. Virgil. *Dum teneras defendo à frigore myrtos.* Plin. *Vestes à tineis defendit hæc herba.* Cæsar 2. *Civil. Musculus defenditur à nostris.* Cicer. 2. *Agrar. Ab hostibus defendi paludibus.* vide *Munio & Prohibeo.*

Dejicio. *Dejicere oculos à rep. Dejectus ex aliquo, & ab aliquo loco.*

Desidero. *Desidero abs te aliquid. Desideratur à magno philosopho gravitas.*

Emo & redimo. Plaut. *Rudent. Qui prædam ab eo emerat.* Valerius Maxim. *lib.* 4. *c.* 2. *A piscatoribus in Milesia regione verriculum trahentibus quidam jactum emerat.* Cicer. *Offic. Aut captos à prædonibus redimunt.* Cicer. 1. *Verr. Emtum est ex senatusconsulto frumentum ab Siculis prætore Verre.* Idem *Senect. Ex his princeps emitur ab inimicis meis.* Plaut. *Epid. A lenone quædam ut fidicina, quam ama-*

amabat, emeretur sibi. Suet. *August. Caium & Lucium adoptavit, domi per assem, & libram emtos à patre Agrippa.* Livius *dec.* 4. *lib.* 4. *Ut captivi ab Annibale redimantur.* Juven. *Satyr.* 4. *Monstrum nulla virtute redemptum à vitiis.* Ovid. *in Epist. Si tibi ab Atrida precio redimenda fuissem.* Vide *Peto*, & *postulo.*

Eripere à periculo. Vereor ne eripiatur à nobis regia causa. Eripio.

Exigere aliquid ab aliquo. Quintil. *lib.* 1. *A Grammaticis exigitur poëtarum enarratio.* Cæsar 1. *Civil. Pecuniæ à municipiis exiguntur.* Exigo.

Extorquere aliquid ab aliquo tritum est. Cicer. *Pecunia omnis ab eo extorta atque erepta est.* Extorqueo.

Cicer. *de univers. Mundus per se, & à se & patitur & facit omnia.* Idem 1. *Invent. Commune est, quod nihilo magis ab adversariis, quàm à nobis facit.* Idem *de Orat. A se aliquid facere.* Tritum est: *hoc factum est à vobis.* Facio.

Terent. *Phorm. Otium à senibus ad potandum ut habeam.* Cicero *Bruto*: *Nullas adhuc à te litteras habebamus.* Idem *pro Sext. Habere beneficium ab aliquo.* Idem 1. *Offic. Scenicorum quidem mos tantam habet à vetere disciplina verecundiam. &c.* Idem 12. *Famil. Habeas eos à me commendatos.* Idem, *habere præsidium, vel spem ab aliquo.* Idem *in Vatin. Quare ne tibi hunc honorem à me haberi fortè mirere.* Idem *pro Cælio, Eam dignitatem in M. Cælio habitam esse summam, hodieque haberi ab omnibus.* Habeo.

Civitatem ab aliquo impetrare, tritum est. Cic. *Amicit. Quid postules ab amico, & quid patiare à te impetrari.* Plau. *Mostel. Aliud quidvis impetrari à me facilius perferam.* Val. Max. *lib.* 4. *c.* 3. *A servis vix impetrari potest, ne eam supellectilem fastidiant, qua uti Consul non erubuit.* Cæsar 1. *Civil. Ægrè ab iis impetratum est, ut in senatu recitarentur.* Impetro.

Cic.

Lego, as. Cic. *pro Cluent. Itaque ei testamento legat pecuniam grandem à filio.* Idem *in Topic. Uxori ancillarum usumfructum legavit à filio.* In passiva tritum est apud Jurisperitos: *Domus legata est à Titio.* Vide Brissonium & Hotom. in *A*, vel *Ab*, & pensita phrasin.

Lego, is. Cicer. *Att.* 16. *A Bruto legi Antonii edictum.* Sic dicimus, *Legi à te litteras.* Ovid. 3. *Pont. A posteritate legi.* Cic. *Liber tuus legitur à me diligenter*, & per meos: ut, *Trepidabatur à Cæsare. Et captus oculis etiam diceret: Terentius legitur à me diligenter.*

Libero. Cic. *Liberavi hunc à Cæsare*, tritum est. Idem, *liberari se ab aliquo.* Idem: *A scelere certè liberati sumus.* Idem: *Te à quartana liberatum gaudeo.* Vide *Separo.*

Mitto. Cicer. 13. *Att. Ab illo mihi mittas.* Idem, *& à me missi sunt.*

Moveo, Removeo. *Movebo hunc à sacra linea: remove te ab illo. Removentur à vitiis.*

Munio. Tacitus *lib.* 10. *Sævus ille vultus, & rubor à quo se contra pallorem muniebat.* Columel. *Quantumque res patietur, à frigore & tempestate muniemus.* Idem, *Hortum ab incursu hominum pecudumque munire.* Horat. *Inclusam Danaen munierant satis nocturnis ab adulteris.* Lucret. *lib.* 3. *Quòd letalibus ab rebus munita tenetur.* Cæsar 2. *Civil. Tecta, atque munita ab omni ictu telorum.* Tacitus, *munitus ab insidiis*: ut Horat. *Tutus ab infestis latronibus*, & Ovid. *Tutus ab insidiis.* vide *Defendo.*

Numero. Cic. *pro Flac. Si prætori dedit, à quæstore numeravit.* Idem 2. *Phil. à se numerare.* Martial. *Omnis ab infuso numeretur amica Falerno.* vide *Solvo.*

Pello. Livius *lib.* 2. *Tarquiniensis ab sua parte Romanum pepulit.* Terent. *Quisnam à me pepulit tam graviter fores?* Idem, *Et istum æmulum ab ea pellito.* Cæsar 1. *Gall. Quum hostium acies à sinistro cornu pulsa.* Li. *Cætera à fronte pulsa.*

Peto à te, tritum est. Cic. 6. *Epist. Nec tamen ipse, à quo salus petitur, habet explicatam rationem salutis suæ.* Idem 1. *Divinat. Ut ab ejus solo in quo est humatus oracula peterentur.* Martial. *A caupone tibi fæx Læletana petatur.* Vide *Emo*, & *Reposco*. Peto.

Postulare ab aliquo, tritum est. Cic. 1. *Leg. Veritas à te postulatur.* Idem 2. *Tuscu. Quod ergo & postulatur à fortibus, & laudatur, quum sit, &c.* Idem, *Postulatur à te jam diu, vel flagitatur potius historia.* Cic. *Philip. Sed quoniam ab hoc ordine non fortitudo solùm, sed etiam sapientia postulatur, &c.* vide *Emo*. Postulo.

Dicimus, *prohibeo vim ab amico, & amicum à vi.* Cic. 3. *Offic. Nam & à rep. forensibusque negotiis armis impiis, vique prohibiti.* Prohibeo.

Projicere, & rejicere à se mala, tritum est. Cic. *A liberis suis abstrahi, & à conjuge abripi, & ab aris, focisque innocentem projici.* nota hæc infinita verba. Projicio.

Cic. 2. *Orat. Ne ipse aliquid à me promsisse videar.* Idem: *Juris utilitas vel à peritis, vel de libris depromi potest.* 1. *Orat.* Promo; Depromo.

Cic. *Litteras à te mihi Stator tuus reddidit.* Idem, *Litteræ mihi redditæ sunt à te.* Idem: *Litteræ mihi redditæ sunt in senatu ab Lentulo.* Reddo.

Rapere ab aliquo, tritum. Horat. 3. *Carm. Aut aquosa raptus ab Ida.* Rapio.

Cic. 1. *Verr. Nihil est, quod minus ferendum sit, quàm rationem ab altero vitæ reposcere eum, qui non possit suæ reddere.* Val. Maxim. *lib.* 3. *cap.* 6. *Quum à Scipione ratio in curia posceretur.* i. quum Tribuni ab eo peterent rationem. Vide *Peto*, & *Postulo*. Reposco.

Cic. *Luceio*: *Qui omnes à perpetuis suis historiis ea, quæ dixi, bella separaverunt.* Idem 4. *Acad. Quoniam vera à falsis nullo discrimine separantur.* Ovid. 1. *Amor. A domina separari.* vide *Libero*. Separo.

Cic. 5. *Att. Sed etiam hoc dicit; se à me solvere.* Ibidem *lib.* 7. *Ab Egnatio solvat, quod tibi debet.* Idem *pro Planc. ab aliquo persolvere.* Idem. *Id à vo-* Solvo; persolvo.

bis persolvere me sinite. Plaut. *Res solvetur ab trapezita meo.* Cic. *Solutus à cupiditatibus.* Ovid. *Ab amplexu alicujus solvi.* vide *Numero.*

Sumo. Terent. *Adelph. Postremò à me argentum, quantum est, sumito.* Cic. *pro Lege Man. Ab eodem Pompeio omnium rerum egregiarum exempla sumantur.* Ovidius 2. *Amor. Fastus sumuntur ab imagine speculi.*

Tego. Cæsar 3. *Civil. Qui portus ab Africo tegebatur, ab Austro non erat tutus.*

Verbum igitur passivum solo supposito contentum est. Cic. *lib.*15. *Epist.* citat versiculum Nævii, *Lætus sum laudari me, abs te pater laudato viro.* Sed attende quomodo distinguat idem Cicero *lib.*5. *ad Luceium: Placet enim Hector ille mihi Nævianus, qui non tantùm laudari se lætatur: sed addit etiam, à laudato viro.* Item *pro Milone. Factúmne sit? at constat: à quo? at patet.* Vides particulas (*à quo*) separari à verbo passivo. Denique eodem prorsus manente sensu activa oratio in passivam verti non potest. Unde falluntur Alciatus *lib.*2.*Parerg. c.*28. & Rævard. *lib.*2. *c.*5. *Varior.* qui putant valere stipulationem etiam in passiva voce: ut *dabis? dabitur.* Id ostendunt ex loco Plauti *in Pseud. scen. Viso quid rerum.* Ubi Simo dicit: *viginti minas dabin'?* Respondet Ballio: *Dabuntur.* Sed in sequenti scena sic se excusat Ballio: *Auferetur id præmium à me, quod promisi per jocum?* Quasi dicat: *Ego nec verè promisi, nec verè, aut ex formula fui stipulatus, sed jocosè, & quasi coactus.* Cui Simo respondet: *De improbis viris auferri præmium & prædam decet.* Quæ dixi de verbis passivis Latinis, eadem de Græcis dictum esse velim. In omni enim idiomate passivum solo supposito contentum est. Et quamvis vernaculæ linguæ careant omnino passiva voce, dicimus tamen, *correse, andase, acabòse la guerra, mejor se vive en el campo, que en la ciudad.* ubi solo supposito, etiam subintellecto perficitur oratio.

PARA-



PARADOXON V.

Unum uni contrarium est.

PLato in *Alcibiade secundo*, & præcipuè in *Protagora* sic ait: Οὐκοῦν (ἦν δ' ἐγώ) ἑνὶ ἑκάστῳ τῶν ἐναντίων ἓν μόνον ἐστὶν ἐναντίον, καὶ οὐ πολλά. i. *Nónne, dicebam ego, unicuique contrariorum unum solum est contrarium, non multa?* Hanc Platonis sententiam, contra cæteros & Græcos & Latinos Philosophos, verissimam puto. Non enim probari poteſt viris doctis esse virtutes in medio vitiorum sitas. Quare illud Horatii: *Virtus est medium vitiorum, & utrinque reductum.* & illud ejusdem: *Est modus in rebus, sunt certi denique fines, Quos ultra citraque nequit consistere rectum.* tum illa: μηδὲν ἄγαν, *nihil nimis*: πάντων μέτρον ἄριστον, *Omnium modus optimus*: præcepta popularia sunt, & ad vulgi captum accommodata. Medium enim vulgò quæritur inter amare, & odisse: inter effusionem & avaritiam: unde illud tritum: *In medio consistit virtus.* At verò exactius rimanti, pressiusque hæc consideranti quomodo satisfaciet Aristoteles, quum unicuique morali virtuti duo vitia hinc inde constituerit? Nam primum omnium ipsemet Aristoteles fatetur virtutem non æqua portione in medio vitiorum collocari, neque ab utroque vitio æqualiter diffidere. Liberalitas etenim inter effusionem & avaritiam ita collocatur, ut effusioni propinquior longè ab avaritia separetur. Eodem modo fortitudo audaciæ proxima longè diffidet à timiditate. hicque ordo cæteris in virtutibus servatur. Jam igitur quomodo ab hac quæstione te expedies? Si timiditas audaciæ contraria est, quomodo audacia fortitudini ad-

versabitur, & fortitudo timiditati: quum præsertim vitia hæc duo simili positu à virtute non separentur, sed timiditas longissimè absit à fortitudine; & fortitudini conjungatur audacia? Deinde Aristoteles ipse sic definit contraria. *Contraria sunt quæ sub eodem genere maximè distant.* Nunquam igitur sub eodem genere tria contraria, sed duo tantum invenientur. Quid quòd fortitudo & audacia in subeundis periculis versantur, at verò timiditas in fugiendis? non possunt igitur hæc inter se convenire. Ego meam sententiam sic astruo. Quum duobus vitiis duæ sint contradictiones, cujusque autem contradictionis duæ sint partes, una turpis, altera honesta: duobus utique vitiis duas virtutes repugnare oportebit.

Sunt præterea (ut ferè omnes testantur) proxima virtutibus vitia: & ita hæc illas mentiuntur, ut stannum, argentum; aurichalcum, aurum. Quî fieri potest igitur ut fortitudo adversetur ignaviæ, cum qua nihil habet similitudinis? *Fallit enim vitium specie virtutis & umbra.* ut præclarè scripsit Juvenalis. Cicero *in Partitionibus* uni virtuti unum tantum opponit vitium. *Cernenda sunt*, inquit, *diligenter ne fallant ea nos vitia, quæ virtutem videntur imitari: nam & prudentiam malitia; & temperantiam immanitas in voluptatibus aspernandis; & magnitudinem animi superbia in animis extollendis; & integritatem despicientia in contemnendis honoribus; & liberalitatem effusio; & fortitudinem audacia imitatur; & patientiam duritia immanis; & justitiam acerbitas; & religionem superstitio; & lenitatem mollitia animi; & verecundiam timiditas: & illam disputandi prudentiam concertatio, captatioque verborum: & hanc oratoriam vim inanis quædam profluentia loquendi.* Horatius item in arte Poëtica unum uni in scribendo vitium opponit:

Maxi-

Maxima pars vatum (pater, & juvenes patre digni)
Decipimur specie recti: brevis esse laboro,
Obscurus fio: sectantem levia nervi
Deficiunt, animique: professus grandia turget;
Serpit humi tutus nimium timidusque procellæ:
Qui variare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum silvis appingit, fluctibus aprum.
In vitium ducit culpæ fuga, si caret arte.

Idem lib. 2. Epist. 2.

Scire volam quantum simplex, hilarisque nepoti
Discrepet: & quantum discordet parcus avaro.

Sed libet apponere tabellam Aristotelicam in tribus lineis: deinde nostram in quatuor lineis subjungam, in qua unicuique virtuti unicum duntaxat vitium respondebit.

	EXUPERANTIA.	MEDIOCRITAS.	DEFECTIO.
In metu & confidentia.	Audax.	Fortitudo.	Ignavia.
In voluptatibus & doloribus.	Intemperantia.	Temperantia.	Sensus expers.
In dandis accipiendisq; pecuniis.	{ Effusio.	Liberalitas.	Avaritia.
	{ Nimius splendor.	Magnificentia.	Sordes.
In honore & infamia.	{ Elatio animi.	Magnitudo animi.	Pusillus animus.
	{ Ambitiosus.	Modestia.	Vacuus ab honore.
In ira.	Iracundia.	Lenitas.	Lentitudo.
In veritate.	Arrogantia.	Veritas.	Dissimulatio.
In jucunditate joci.	Scurrilitas.	Comitas.	Rusticitas.
In jucunditate seria.	Assentator.	Amicus.	Morosus.
In perturbationibus.	{ Pavidus.	Verecundus.	Impudens.
	{ Invidentia.	Indignatio.	Malevolentia.
	Plus.	Justitia.	Minus.

In periculis subeundis.

Μαινόμενος, furiosus, qui timoris vacuitate superat.
Θρασύς, audax, qui fidendo superat. Cic. cum facinorosis audacter.

Ἀνδρεία, fortitudo.

In voluptatibus corporeis sectandis.

Ἀκολασία, intemperantia. Cic. cum libidinosis luxuriosè.

Σωφροσύνη, temperantia, moderatio, modestia.

In erogandis pecuniis.

Ἀσωτία, ἀνελευθερία, effusio, profusio, luxuria.

Ἐλευθεριότης, liberalitas, largitas, elegantia.

Idem in rebus magnis.

Ἀπειροκαλία, βαναυσία, nimius splendor, Insolentia operaria.

Μεγαλοπρέπεια, magnificentia, sumtuosus.

In sectandis honoribus.

Χαυνότης, elatio animi, laxitas animi.

Μεγαλοψυχία, magnitudo animi.

Idem in rebus parvis.

Φιλότιμος, superbus, ambitiosus.

Modestia, caret nomine.

In ira, vel punitione.

Ὀργιλότης, iracundia.

Severus, caret nomine.

In veritate promenda.

Ἀλαζονία, arrogantia, jactantia.

Ἀλήθεια, veritas, verax.

In jucunditate circa jocum admittenda.

Βωμολοχία, scurrilitas.

Εὐτραπελία, facetus, urbanitas.

In jucundis seriis admittendis.

Ἄρεσκος; si non utilitate ducitur, blandus, placendi studiosus.

Κόλαξ, scurra si emolumenti causa.

Φίλος, affabilis, facetus, amicus Horatio.

In tractandis negotiis.

Ἀναίσχυντος, impudens.

Πρακτικὸς, sollicitus, agilis.

In alterius gloria.

Φθόνος; invidentia.

Ζῆλος, æmulatio.

In periculis fugiendis.

Cautus; εὐλαβὴς Cic. 4. Tusc. A malis natura declinamus, quæ declinatio si cum ratione fiat, cautio appellatur: quæ autem sine ratione, metus.

Δειλὸς, timidus, metuens, pavidus.

In voluptatibus corporeis aspernandis.

Ἀποχὴ, ἐγκράτεια, ἁγνὸς. Abstinentia, continentia, castitas.

Ἀναίσθητοι, sensus expertes; Immanitas Cic.

In retinendis pecuniis.

Φειδωλὸς, Parcus. frugi. Juve. Frugi laudatur avarus.

Ἀνελευθερία, tenacitas, avaritia, illiberalitas.

Idem in rebus magnis.

Καθαροὶ; φιλοκαλοὶ, mundi, splendidi, elegantes.

Μικροπρέπεια. sordes, indecora, parsimonia sumtus.

Horat. lib. 2. Saty. 2. Mundus erit, qui non offendet sordibus.

In contemnendis honoribus.

Ὁλόκληρος; integritas, sanctitas.

Μικροψυχία, parvus animus; pusillus.

Idem in rebus parvis.

Ταπεινότης; humilitas.

Ἀφιλότιμος, despectus; contemtor honoris.

In non puniendo.

Πραότης; lenitas, clementia, mansuetudo.

Ἀοργησία, lentitudo; animi mollities.

In veritate celanda.

Εἰρωνεία, dissimulatio. Socrates dictus est εἴρων.

Βαυκοπανοῦργοι; Veteratores gloriosi.

In jucunditate jocosa repudianda.

Σεμνὸς, severus, tristis.

Ἀγροικία, rusticitas, agrestis.

In jucundis seriis repudiandis.

Βαρύς, gravis, Cic. cum tristibus severè, cum senibus graviter.

Δύσκολος, δυσχερὴς, Asperitas, agrestis. Horat.

In detrectandis negotiis.

Αἰδήμων, pudens, verecund.

Καταπλὴξ, pavidus, timidus; remissus.

In alterius malis.

Νέμεσις, Indignatio.

Ἐπιχαιρεκακία; malevolentia.

DE

DE
AUTORIBUS
INTERPRETANDIS,
SIVE DE EXERCITATIONE,
PRÆCEPTA
FRANCISCI SANCTII
BROCENSIS,
In Inclyta Salmanticensi Academia Rhetorices Professoris.

Juxta Exemplar Antverpiense anni 1581.

GENEVÆ MDCCLXV.

FRANCISCI SANCTII BROCENSIS,

In Inclyta Salmanticensi Academia Rhetorices Professoris,

DE AUTORIBUS INTERPRETANDIS, Sive de Exercitatione, PRÆCEPTA.

MAJORIS esse semper credidi diligentiæ aliena scripta retexere, quàm nova proprio Marte componere. Nam ut opus conficias novum, si favente natura, præcepta quæ traduntur à Rhetoribus capessas: facilis via erit, facillimoque negotio, quod velis, indipiscêris. Hinc est, ut sæpe videamus quosdam linguæ volubilitate, quos si ad Poëtam quempiam vel oratorem explanandum avocaveris, aut obmutescant protinus, suam inscitiam confitentes, aut, quod frequentius est, magno conatu magnas nugas effutiant. Quare qui in componendo operam suam non spernit collocare, in retexendo aliorum scripta oportet quoque laborare. Hæc ratio ab Aristotele dicitur Analysis, qua spectare jubet operis jam confecti speciem num ad regulas & legem omnia sint accommodata, suisque omnibus partibus absoluta. Analysis igitur officium est totum opus, quod

quod susceperit explicandum, à capite retexere, & primum quæstionem invenire, hoc est, quid sit id de quo agatur. Deinde argumenta quibus id confirmatur, aspicere: & ad locos, unde sumpta sunt, referre. Postremò dispositionis leges animadvertere, in illaque & argumentationes, & methodum considerare. Videreque methodóne doctrinæ, an prudentiæ usus fuerit auctor, cujus opus retexitur. Quæ omnia si enarratores librorum considerassent, non dubito quin sibi & aliis melius consuluissent. Sed ut hoc exemplis illustremus, aliquas Horatianas Odas excutiamus ex libro tertio, quem hoc anno 1556. meis auditoribus explicavi: ubi sæpè supinam interpretum negligentiam sum admiratus. Prima igitur Oda pro titulo habet: *Varia esse hominum ingenia variasque fortunas.* Quid hoc est, aut ubinam id canit Horatius? Longè alia Horatii mens est. Hac enim Ode docet tutiorem esse vitam illorum qui parvo contenti vivunt, quàm divitum & regum, quandoquidem omnibus moriendum est: neque amplæ opes & divitiæ possint aut curas levare, aut somnum reducere. Hæc tamen omnia vita tenuis præstat. Hæc igitur est exoptanda. In secunda Ode tolerari poterat epigraphe, non tamen omnino sententiam assequitur Poëtæ. Quum potius id sentiat, quod alibi dixit: *Quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu.* In tertia verò, quàm aliena sunt quæ præponuntur, ab his quæ scripsit Horatius? Quum in illa Oda Romuli sit apotheosis, qualem describit Herodianus in principio quarti. Quarta verò: Musarum amicos, docet, tutissimam vitam degere; curæque Diis esse: quod inductione probat. Cùm ad quintam ventum est, fateor, risum non potui continere, quum *Augusti laudes*, pro Epigraphe legi. Consului deinde commentaria. O Deus bone, quàm fœtidè, quàm pueriliter argumenta eliciunt, Augustum majorem esse Jove, quando quidem

dem Jovem ex fama cognoscimus, Augustum videmus præsentem. Quum potius sit querela contra Romanos, qui quum ad decus & libertatem sint nati, non erubescant captivi vivere à patria procul. Incipit igitur Horatius ab indignatione: Neque credimus Jovem in cœlo regnare: nec Augustus mortalis habetur Deus, & urbis custos, quando hæc flagitia committuntur, ut miles Romanus Persis serviat, & Carthaginensibus. Sed omnia velle persequi longum est, omnia enim sunt ejusmodi. Quare inspicienda methodus est, in qua semper Horatius ita fallit auditorem, ut nisi Lynceis contemplere oculis, credas illum centum proposita in satyra una urgere: cùm simplex & unum sit, quod unaquæque satyra vel epistola contineat. Experiamur id in Arte Poëtica, ad cujus expeditionem cùm plures quàm ad vellus aureum properarint, nullus tamen quid auri lateret, hactenus demonstravit. sed lanam externam, eamque caprinam, pro aureo vellere omnes ostentant. Paucis igitur præceptis perfectum poëtam nobis describit Horatius, quæ ordine optimo sunt collocata. Pisones invenio fuisse æditimos, quibus curæ fuit Comœdis præmia distribuere: quos credibile est petiisse ab Horatio normam qua id possent pro meritis præstare.

PRIMUM PRÆCEPTUM,

De fine & scopo quem intueri debet Poëta.

SIt quod vis scribere *simplex duntaxat & unum.* At dicat aliquis: Poëtæ his legibus non astringuntur: liberi enim sunt, quemadmodum & pictores. Falleris, inquit, si ista simpliciter accipis. Quis enim non irrideat pictorem illum, qui cùm virginem pingere destinarit, pulcram ei faciem tribuat, collum equinum, variisque plumis obtegat, pictura deni-

denique in atrum piſcem deſinat? Eodem igitur pacto poëſis reprehenditur, *cujus inanes Fingentur ſpecies, ut nec pes, nec caput uni Reddatur formæ.* Quid igitur, dices, habet ſimile poëſis cum pictura? aut unde proverbium emanavit, *Liberi poëtæ & pictores*? Dicam, ſi potero, paucis. Accedit aliquis ad pictorem, petens ut in tabella Venerem formoſiſſimam depingat. Num pictor utetur illa ſua libertate: & Venerem monoculam effinget, barbatam, obequitantem, manibus haſtam tenentem? Minimè, inquis, ſed ei reddet illam formam quæ maximè Venerem deceat. Rectè ſanè judicas: nec hic aliqua pictoris erit libertas: ſed in his, qui in tabula ſunt loci vacui circa Venerem. Nam in illis conceſſum eſt pictori, aviculas, flores, arbores, flumina pro arbitrio depingere; neque vitio vertetur illi, ſi multi variique generis flores ex una radice pullulent (quanquam natura ſemper eſt intuenda) Sic Poëta ſi Achillem cantandum ſuſcipiat, nulla utetur licentia artis, ut nunc timidum, nunc fortem deſcribat: alias pium, rurſus deorum contemptorem: ſed ſemper idem erit, qualem fuiſſe accepimus. Dum tamen hujus egregia facta Poëta concinit: pro libito Lucum deſcribet, vel flumen, vel Dianæ aram, vel pluvium arcum. Atque etiam hæc cum moderamine certaque lege: non enim ſemper his locus eſt: nam qui non debito loco mihi lucum deſcribit, aut ſæpè id facit, ſuſpicionem ingenerat, nihil illum melius ſcire: quemadmodum iners ille pictor, qui ubique cupreſſum appingebat, etiam in naufragiis. Quare danda opera eſt, ut id quod aggredimur, ſit unum, eodemque tenore procedat: Ineptum enim figulum judicabimus, qui amphoram cœperit inſtituere, urceolumque ex ſuſcepta maſſa confecerit.

SECUNDUM PRÆCEPTUM.

ITa *vitia ſunt conjuncta virtutibus, ut fallant oculatiſſimos quoſque niſi arte diſcernantur.* Id probat inductione. Brevitas virtus eſt eximia in oratione, ut ſcripſimus *cap. De narratione.* Hanc verò dum ſequi cupio, in vitium obſcuritatis delabor. Præterea, tres ſunt ſcribendi characteres, teſte Cicerone. Nam tenuis & gracilis eſt ſtylus, acutus, omnia docens, non amplificans, ſubtili quadam & preſſa oratione limatus: hunc qui volunt ſectari, ita ſeſe extenuant, ut ſerpere humi dicantur ab Horatio. Eſt & alius ſtylus plenus, cum ampla & ſententiarum gravitate & majeſtate verborum, vehemens, varius, copioſus, gravis: ad permovendos & convertendos animos inſtructus: hunc qui affectant, ſi arte careant, pro gravibus & grandiloquis, turgidi & inflati fiunt: ut, *Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis.* Ille enim ſtylus turgidus & inflatus eſt, non ſublimis. Eſt & alius ſtylus interjectus, intermedius, & quaſi temperatus ex utroque, vicinus amborum, utriuſque particeps, vel potius expers, uno tenore in dicendo fluens, ornamentis modicis verborum ſententiarumque orationem picturans. In quo Virgilius excelluit in Georgicis. Hunc vocat Horatius *lævem*, id eſt, ſplendentem & nitidum, quem qui ſine arte modulari ſtudent, carmina ſine nervis & animis componunt. Varietas inſuper virtus maxima eſt in poëſi, ſolet enim animos mirum in modum allicere: ſed hanc comitatur vitium vel maximum: Nam qui cupiunt variare rem aliquam, nulla lege aut arte id facientes, portentosè delphinum ſilvis appingunt, fluctibus aprum; credentes hanc eſſe veram varietatem. Denique dum vitium fugimus ſtulti, in vitium incidimus. Neque ſatis eſt artem in una alterâve parte callere, quum tot Poëtæ ſint neceſſaria: nam infelix ille faber eſt,

qui

qui capillos & ungues ad amussim exprimit, si totam statuam nescit partibus suis adaptare. Nec ille formosus est, qui nigros oculos nigrumque capillum est sortitus, si tamen deformis nasus totam oculorum præstantiam deturpat. *Molles capillos* dixit quum de ære loquatur, id est, aptos & ad vivum depictos. Sic Virgilius:

Excudent alii spirantia mollius æra. Idem.
Et molli circum est ansas amplexus acantho. Martial.
Nec Triviæ templo molles laudentur honores.

TERTIUM PRÆCEPTUM.

De Collocatione Rerum & Verborum.

SUmite materiam, &c. Optima dispositione nihil pulchrius. Huic igitur incumbat Poëta: observetque qua methodo sit disponenda materies: diximus esse methodum prudentiæ, atque doctrinæ. Horatius prudentiæ ordinem in poëtis probat. Non enim ut quæque natura prima sunt, ita primùm narranda: sed dicenda primùm, quæ primò dici postulant: pleraque differenda & in præsens tempus servanda. *præsens tempus* vocat proprium, & commodam opportunitatem: quædam verò retinenda & amanda: quædam omnino repellenda. Si quæras quomodo tantam rem assequaris, accipe præceptum.

Sumite materiam vestris qui scribitis æquam
Viribus, & versate diu quid ferre recusent,
Quid valeant humeri:

Nam qui rem de qua dicturus est, bene legerit, id est, selegerit, & perpenderit: neque methodo & ordine lucido destituetur, neque etiam facundia. Omnis autem oratio (ut cum Quintiliano loquar) constat aut ex his quæ significantur, aut ex his quæ significant, id est, rebus & verbis. Quare Horatius hoc in loco de collocatione simul & inventione

tione verborum differit: *In verbis etiam tenuis &c.* Quasi dicat in verbis collocandis memor esto proverbii, *Communia novè, nova communiter.* Nam si ex verbis tritis & obviis cuilibet tuam telam texueris, & in collocatione aliquid ingenii ostenderis, novus & nitidus apparebis. exempla non longè petantur; nam ipse apposuit Horatius, quum *juncturam* appellat *callidam.* Callidum enim, quum de homine dicatur, novè tribuit juncturæ. Novè item ex verbis tritis dixit Virgilius,

Et pontem indignatus Araxes.

Hic nullum nomen novum est: cùm junctura sit nova & pulcherrima. Idem:

Ferrúmque armare veneno.

Addit etiam Horatius licere novis rebus nova nomina invenire. M. Cornelius Cethegus Annibalis temporibus consul fuit. G. Cornelius Cethegus annis octo pòst creatus consul & in Hispaniam missus XV. millia Hispanorum uno prælio cecîdit. Hi igitur Cethegi (ut conjectari par est) non togati more Romanorum obambulabant, sed veste militari (quæ *cinctus* dicitur) induti. Quare Horatius novum morem novo vocabulo nominavit; appellavitque *cinctutos.* Sed pudenter (inquit) hac utamur licentia, id est, semper cum aliqua præfatione temperetur. qualis est; *Ut ita dicam*: *ut sic loquar*: *liceat sic nominare.* Cicero: *Nam & grandiloqui, ut ita dicam, fuerunt. Et nova fictáque. Etiam aliquando*, inquit, *nulla cogente necessitate verba poteris effingere, non tamen pro libito, sed ex Græcis fontibus derivata: ut, Rhetorica, Dialectica, Philosophia, triclinium, dica pro lite, acta pro littore.* Virgilius:

At procul in sola secretæ Troades acta.

Hinc Martialis carpit Æmylianum, quòd *Mistyllum* pro *coco* dixerit, ductus Homeri versiculo: Μιςυλλόν τ' ἄρα

τ'αρα τ'αλλα, id est, *secabant sanè alia*. Quare, inquit Martialis :

Si tibi Mistyllus cocus Æmyliane vocatur:
Dicetur quare non Taratalla mihi?

Ergo parcè detorquenda sunt nomina & cum judicio. Ac tandem linguam Latinam ditare cur non licebit, vel nulla cogente necessitate, etiam si à Græcis nihil mutueris? Nam Cicero primus dixit *favorem*, & *urbanum*. Terentius, *obsequium*. Plautus & Ennius multa finxêre nomina. Horatius addidit pro exemplo (*Invideor.*) Ultimum denique præceptum circa verba collocanda est, ut possimus aliquando vetusta & obsoleta vocabula renovare, ut *prosapiam*, pro *genere*, *olli* pro *illi*, *fuat* pro *sit*, *indugredi* pro *ingredi*. Hæc omnia pulchra similitudine, & argumentis à minori dictis confirmat: usumque plurimum valere contendit.

QUARTUM PRÆCEPTUM.

Singula quæque locum teneant sortita decenter.

ROscius apud Ciceronem caput *esse artis decere*, solebat dicere: quod tamen unum id esse; quod tradi arte non posset. Et Cicero ipse: *Est* (inquit) *eloquentiæ, sicut reliquarum rerum fundamentum sapientia. Ut enim in vita, sic in oratione nihil est difficilius, quàm quid deceat videre.* Πρεπον *appellant hoc Græci, nos dicamus sanè decorum: de quo præclarè, & multa præcipiuntur, & res est cognitione dignissima. Hujus ignoratione non modò in vita, sed sæpissimè & in poëmatis, & in oratione peccatur. Est autem quid deceat oratori videndum, non in sententiis solùm, sed etiam in verbis. Non enim omnis fortuna, non omnis honos, non omnis auctoritas, non omnis ætas, nec verò locus, aut tempus, aut auditor omnis eodem aut verborum genere tractandus est*

est aut sententiarum. Hoc autem in re, de qua agitur, positum est: & in personis & eorum qui dicunt, & eorum qui audiunt. Hæc Cicero. Nunc nostrum Poëtam audiamus omnia hæc fusius tradentem. Agit enim primò de decoro verborum, id est, pedum sive carminum, deinde de re ipsa: hoc est Tragœdia & Comœdia. Postea de personis, & eorum ætatibus.

Res gestæ regum. Non omnia, inquit, eodem carminis genere sunt celebranda: indecorum enim fuerit Lyricis carminibus bellum Trojanum exarare. Quare res gestæ regum & horrida bella heroico carmine celebrari debent: quod satis Homeri poësis ostendit. Elegiaco carmine primùm querelæ tantùm scribebantur: unde *Elegum* dicitur, id est, flebile. Postea tamen res lætas est complexum, & amores. Hujus carminis inventor incertus est: quamvis Terentianus Maurus Callinoum dicat. Iambico carmine scriptæ sunt imprecationes: inventor fuit Archilochus. Id enim sentit Horatius quum dixit (*proprio.*) Scribuntur hoc pede Tragœdiæ & Comœdiæ: quia maximè aptus est *alternis sermonibus*, id est, interrogationibus & responsionibus, ut inquit Aristot. Et Cicero in *Orat. perfecto*: *Magnam* (inquit) *partem ex Iambis nostra constat oratio; Natus est etiam rebus agendis*, id est, tractandis. Unde in actus dividitur Comœdia. Lyrico versu referuntur hymni, encomia, & Olympica certamina, in quibus Pindarus pugiles celebrat, & reges equis vincentes: referuntur & amores juvenum, & libera convivia.

Descriptas servare. Indignatur Horatius, & in illos invehitur, qui se putant Poëtas, si versum claudere didicerint: quasi eodem carmine scribatur Comœdia, quo Tragœdia. An non ita est? nónne iisdem iambis, iisdem trimetris, eadem denique lege metimur carmen Comœdiæ & Tragœdiæ? Verum est: sed in decoro maxima est differentia: nam senarius comicus non ferè differt à sermone populari & communi. Senarius Tragicus

gicus figuris & tropis, historiis, fabulis, similibus est refertus. Exempla ponit Horatius: *Versibus* (inquit) *exponi tragicis res comica non vult*. Expende versiculum hexametrum, quàm longè absit à majestate carminis, nihil habet poëseos præter pedes: Comicis denique verbis & popularibus, & minutis est compositus: Præterea uno versu absolvit rem Comicam. Attende duos sequentes quàm Tragicos, quàm tropis & figuris ornatos. *Indignatur item* &c. Quamvis aliquando contingat, ut decorum ita postulet, ut Comœdia attollatur, Tragœdia deprimatur. Attende quibus verbis id dicat Horatius, & quomodo duobus versibus eisque paulum ornatioribus de comœdia loquatur: & tragœdiam uno versiculo absolvat. Subdit nihilominus utriusque parti exemplum: Nam quomodo Comœdia vocem tollat, declaravit exemplo irati Chremetis: quo verò pacto Tragœdia se gerat submissius, exemplo Telephi & Pelei, qui quum essent à patria terra exules, & pauperes, in Tragœdia inducebantur humili sermone utentes, & ampla magnificaque verba projicientes, id est, abjicientes. Nam si aliter inducerentur, riderent auditores, aut dormitarent, supinam Poëtæ negligentiam notantes qui decorum personarum non animadverterit.

QUINTUM PRÆCEPTUM.

De motu Animorum.

N*On satis est pulchra esse*, &c. Hoc præceptum pendet à superiore: adhuc enim de decoro personarum servando agit: sed quia insuper tria videnda sunt Poëtæ, *ut doceat*, *moveat*, *& delectet*: agit nunc de præcipua illa parte, quæ posita est in motu animorum. Nam cæteræ partes hanc comitantur: docere enim sive probare necessitatis est, delectare suavitatis, flectere victoriæ. Qui igitur permovendi præcepta tradit, reliquarum tradit. Hoc verè est quod tradi arte non

non posse dicebat Roscius. Nihilominus tamen utilissimas admonitiones Horatii audiamus. Prima est: si vis alios ad lætitiam, dolorem, iram, misericordiam, & ad alios hujusmodi affectus pertrahere: teipsum prius iisdem move. Hoc præceptum non minus ad Poëtam ipsum, qui scribit, quàm ad actores sive histriones pertinet. Unde legimus Æsopum illum celebrem histrionem quum Atreum ageret, ita ira excanduisse, ut sceptro percussum ministrum interfecerit. Hoc sibi præceptum falsò tribuit Quintilianus, ut diximus quum de epilogo egimus. Secunda admonitio: Intuendæ sunt personæ dignitates, ut servus, dominus: ætates, ut senex, juvenis: sexus, ut matrona, nutrix: officia, ut mercator, arator: nationes, ut Colchus, Assyrius: patriæ, ut Thebanus, Argivus. Si verò quæras quomodo in his te debeas gerere, quidve faciendum: postquam hæc consideraveris, ipse tibi demonstrat Horatius, qui non solum quid faciendum, sed quomodo id fiat ostendit. Considera, inquam, epitheta quæ in præcipiendo apposuit, & regulam habebis brevem quidem illam, sed magni momenti. Senex, inquit, depingendus est *maturus*, juvenis *fervidus*, matrona *potens*, *sedula* nutrix, *&c.* Tertia præclara & à paucis intellecta admonitio. Aut scribis res notas & ab aliis celebratas, aut novam & invisam arripis scribendi materiam. Si notam rem scribis, famam sequere: non enim licebit tibi à fama discedere: nec Polyphemum, aut Achillem, aliter quàm ab Homero depinguntur, fas erit tibi depingere: nec Medeam nisi ferocem & invictam, &c. sin autem nova scribis, sibi convenientia finge: hoc est, servetur ad imum res illa qualis ab incepto processerit, & sibi constet. Denique in rebus jam notis standum est alieno decoro: in nostris verò standum est naturæ & philosophiæ rationibus. Id quomodò possis assequi, statim aperiet: nunc ex ipsa re quæstionem natam

prius dissolvit: in qua quæri solet: Major ne laus & fama nobis accrescat ex publica materia, quàm ex nostra & nuper inventa. Quæstionem breviter absolvit, inquiens: Quemadmodum difficilius est publicam materiam propriè dicere (quia omnibus ex æquo est proposita, & plures habet judices) ita potior laus & major sequitur Poëtam, si res communes sibi facit proprias, quàm si primus indicta proferret. *Et rectius.* i. melius & cum majore laude ex historia Homerica compones Tragœdiam, quàm si novam tu teipse excogitasses.

Publica materies, &c. Nunc exequitur præcepta quæ servanda sunt illi, qui publicam materiam conatur efficere suam. Primùm ne moretur in periodis vilibus, periodum vocat *orbem*: deinde ne sit fidus interpres; cujus officium est verbum verbo reddere: aliqua etiam prætermittantur, quæ si cantare coneris, aut turbabunt ordinem, aut sibi pugnabunt: denique te arctatum & implicatum cernent, qui noverunt historiam: nec incipies inflatus, ut scriptor ille Cyclicus: *Fortunam Priami cantabo. &c.* Nam qui sic incipit, majora promittit: quod si posteà non præstat, ridebitur. Ex hoc loco, quidam ineptissimè reprehendunt Lucanum: *Bella per Emathios*: Silium Italicum, *Ordior arma, quibus:* Statium, *Magnanimum Æacidem formidatámque Tonanti Progeniem.* Quasi verò vetet Horatius à magnis principiis exordiri, si totum opus consonet principio. Sed illos taxat qui magna pollicentur, & nihil ostendunt. Id quod appositissimo declaravit exemplo: *Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.* in quo versu adhuc notabis, primam partem gravibus compositam verbis magnum quid enunciare: secundam ita paulatim decrescere, ut in unam dictionem monosyllabam desinat, epitheto etiam apposito ex gracilibus literis, *i*, & *u*. Nunc omnia præcepta quomodo servarit Homerus, demonstrat, qui bellum Trojanum &

Hæc 17. carmina videntur alieno loco posita. locum haberent post illa: Amphora cœpit institui curr. Nam hic agit de partibus Tragœdiæ, de cujus initio regulæ tradi non possunt.

& Ulyssis historiam à multis decantata & in ore omnium posita, propria & sua effecerit, ut scriptor belli Trojani dicatur, quum plures belli Trojani extiterint scriptores.

Tu quid ego & populus, &c. Secundam partem aggreditur, quum ex nobis aliquid gignimus. In hac parte, inquit, non standum est famæ, sed ex morali philosophia eruenda præcepta: quæ tibi omnia collecta proponit Horatius plenius ac melius Chrysippo & Crantore. Maximè tui operis, ait, decorum servabis, si ætates cujusque personæ loquentis considerabis. Hæc omnia plana sunt: solùm adnotabo in senum ætate; malè intelligi à Laurentio Valla versiculum illum, *Laudator temporis acti se puero:* non enim ordinandum est, laudator se puero, sed acti temporis se puero.

SEXTUM PRÆCEPTUM,

De Rerum decoro, vel de Comœdia & Tragœdia, & ipsarum partibus.

NEc hoc præceptum aliud est à quarto; diximus enim decorum versari circa personas, & res: sed perspicuitatis gratia separamus, simul quia Horatius ad Tragœdias & Comœdias totum se convertit. *Aut agitur ergo res in scenis, aut acta refertur.* Hæc distinctio huc spectat, ut quæ optima credideris in actione, minimè narrentur esse facta, sed agantur palàm: nam quæ videmus, validiùs mentem excitant, quàm quæ audimus. Quædam tamen etiam si sint admirabilia, potius narranda sunt, quàm in theatris peragenda: Circa hoc decorum reprehensus fuit Euripides (ut ait Aristot.) quòd Medeam in theatro fecerit filios suos trucidantem, denique nefaria aut incredibilia non oculis, sed auribus objiciantur.

Neve minor quinto. Quoniam Tragœdia (ut ait

Aristot.) actio est unius solis, vel paulò plus minusve: in quinque actus videtur propriè posse distribui, ut temporis servetur decorum. *Nec Deus intersit, nisi magnopere causa postulet: nec quatuor personæ simul loquantur*: quod & si sæpè facit Terentius, ita tamen ordinat sermonis seriem, ut nihil sit impedimenti, aut confusionis: nam si tres loquantur, quarta ex occulto sola loquitur: & loquentium sermones aucupatur.

Auctoris partes chorus. Nunc illa Horatius aggreditur, quæ aut sunt ex fabula, aut fabulæ partes: ut chorus, tibiæ, tibicen, episodia, sive Satyri.

Chorus, inquit, auctoris partes defendat, id est, aliquando in auctoris laudem secedat; non enim ex ipsa fabula constat chorus, sed ex his qui extra fabulam sunt, ut populus aut nymphæ, aut aliquid simile. Defendat officium virile, hoc est, in virtutis laudem sit multus. *Officium virile*, quid sit, video à multis ignorari: nihil aliud tamen est Aristoteli, quàm virtus ipsa. Ethic. *libro primo*, *cap.* 7.

Tibia in fabulis antiquis tenuis erat, paucisque prædita foraminibus: sed postquam crevit populus: & tibiæ, & tibiarum ornamenta sunt adaucta. Major enim populus, & qui minus attentus quàm antea conveniebat, propter diurnas comessationes, majore tibia erat excitandus.

Tibicen qui ante sedens canebat, postea cœpit Scenicis vestibus ornari, & per theatrum syrma trahens spatiari.

Carmina quæ antea à Musicis canebantur, communia erant, & popularia: postea adeò res rediit, ut cum Delphicis oraculis concertarent, adeò eloquentiam & Divinam sententiam redolebant.

Carmine qui Tragico, &c. Agit tandem Horatius de Episodiis ut vocat Aristot. quos hic vocat *Satyros*. Locus hic est obscurissimus, & à nemine hactenus (quod sciam) animo adversus. Episodium est (ut ait Suidas) id quod inducitur & adjicitur præter legitimam fabulam risus gratia. hoc vocat Horatius Satyros, vel Faunos, vel

vel Silenos. Hiſpani vocamus *Entremeſes*, quòd inter medias actiones irrepant. Unde igitur hæc Epiſodia ortum habuerint, declarat, inquiens: Poëtæ tragici, etiam ſi graves ſint & aſperi, tentaverunt an riſum poſſent elicere ſalva tragica gravitate: quare Satyros nudaverunt, id eſt, inverecunda induxerunt Epiſodia, quia functus ſacris auditor & benè potus, & ſine lege & ordine ſedens, erat jocis & aliqua novitate detinendus. *Verùm ita riſores, &c.* Satyri in Tragœdia riſus ciendi gratia quamvis inducantur, memineris tamen te Tragœdiam agere: & ita riſum attemperandum eſſe, ut Tragœdiam deceat. Nam quid magis indecorum, quàm ſi rex aliquis aut heros pulcherrimis & regalibus conſpectus veſtibus, ſubitò viliſſimum dicendi genus arripiat? aut contrà ne videatur humili ſermone uti, ita infletur, ut nubes tranſcendere videatur? Tragœdia denique inter protervos Satyros paulum interſit pudibunda, ſimilis matronæ gravi, quæ feſtis diebus aliquando cogitur choreas ducere. *Non ego inorn.* Quo ſtylo componenda ſint epiſodia docet. Scio, inquit, moris eſſe, ut ſatyri ſcribantur verbis inornatis, id eſt, communibus: & dominantibus, id eſt, propriè unamquamque rem, etiam obſcœnam, enuntiantibus. Sed ego non ſolùm his ero contentus verbis propriis & ſignificantibus: nec ſolùm illud obſervabo, ut Silenus in Satyra multum diſtet ab ancillula protervula & audaci, quæ eſt in Comœdia: Hæc enim obſervanda ſunt: ſed non ſolùm (inquam) his ero contentus: ſed ex notis & communibus verbis tale texam carmen, quale quiſque ſe poſſe præſtare credat: quum tamen id experiatur, fruſtra erit, ludetque operam. Nam, ut diximus, callida junctura tritorum verborum tantum poteſt, ut nova & inaudita videaris efferre. Satyri denique in Tragœdia nec ſint nimium laſcivi, nec obſcœni & ſpurci: nam offenduntur equites, qui ſpectant Tragœdiam, & reliqui homines, etiam viles, nec probant, nec præmio dignum judicant Poëtam: Vide adag. *Ciceris emtor.*

His

His sex præceptis, aut veriùs, quatuor, complexus est Horatius quicquid ad perfectionem poëseos spectare poterat. Nunc aliquas prosequitur quæstiones, quæ ab illis præceptis pendent: quas in hunc locum distulit, ne præceptorum turbaret claritatem. Nam qui præcipit, brevis esse debet.

Poetæne Græci an Latini diligentiores, & de pedibus.

SYllaba longa brevi subjecta vocatur Iambus;
Pes citus: unde etiam trimetris accrescere jus-sit
Nomen Iambeis. Quum senos redderet ictus,
Primus ad extremum similis sibi: non ita pridem, &c.

Fabula, inquit, constat ex pedibus iambicis: Iambus porrò ex syllabis duabus, prima brevi, altera longa: qui pes adeò currit celeriter ut fas sit, & jus iambico senario accrescere nomen trimetro. Id est, quum sit senarius, propter celeritatem aptè etiam vocatur trimeter: de quo dixit Quintilianus: *Sex enim pedes tres percussiones habent*. Hic, inquam, iambicus senarius, quum senos olim ictus reddebat, ex puris iambis constabat; sed jam, non ita pridem, recepit in locis imparibus spondeos socios ut gravior aliquanto exaudiretur: non tamen ita socium admisit spondeum, ut illi cederet secundum locum, aut quartum, nec etiam sextum, quæ sedes propria iambici est. Verbum (*jussit*) divisi in jus sit: ut infra, *sit jus, liceatque perire Poëtis*. Hunc pedem & hanc legem nec Accius nec Ennius in suis tragœdiis servaverunt. Quid ergo agit uterque? Mittit in scenam versus quidem sonoros, sed properatos, & carentes cura & lima, atque ita premit, id est, cudit & vix exprimit, ut appareat ignorasse artem. Et quod pejus est, sic se defendit. Quis est aut quotusquisque qui inter agendum possit judicare legitimus ne sit iambus nec ne? Præcipuè quum Romanis Poëtis hæc indigna sit concessa venia? Ah, quantò rectius esset, si Poëta

quum carmen condit, visuros cunctos crederet peccata, quæ committat. Hoc vitare culpam est, non laudem mereri, & intra spem veniæ securitatem sibi promittere. Quid igitur agendum? Evolve Poëtas Græcos, ad illorumque normam tua scripta dirige. Nam qui Plautum conatur imitari, nec versus faciet, nec jocos homine docto dignos unquam proferet.

Unde ortum habuerint fabulæ: & quis quæque in his invenerit.

I*Gnotum Tragicæ.* Thespis Poëta primùm invenit tragœdiam, actoresque plaustris circumvehebat fæcibus perunctos, ne agnoscerentur. Æschylus tragicus invenit personas quibus actorum obtegeret vultus, & agere instituit in theatris, idemque grandiloquentiam, & cothurnos invenit. Postea inventa est Comœdia vetus, quæ maxima cum libertate notabat pravos civium mores. sed hæc licentia lege cohibita est, & chori sublati sunt. Hæc de Græcis. Latini autem omnia cum laude tentarunt, nec minus clari fuissent lingua quàm armis, si quæ scribebant, voluissent limare: poëma verò nisi sæpius castigetur, reprehensione non carebit.

Utrum ingenium an ars plus in carmine condendo valeat.

I*Ngenium misera.* Dicebat Democritus poëtas non fieri, sed gigni, quare ingenium sive natura & furor ille insitus efficit Poëtam, non ars. Hanc quæstionem paulò post dissolvit Horatius: nunc irridet illos, qui huic Democriti dicto adhærentes, nec ungues, nec capillos, nec barbam abscindunt: & secreta loca petunt; & balnea vitant: quasi illud sit quod Poëtam possit efficere. Addit ridens: ô me dementem, qui quotannis bilem purgo, & munditiis indulgeo: quod si non fecissem, jam in celeberrimum Poëtam evasissem.

Sed

Sed quando hac non ſucceſſit, ero præceptor Poëtarum: &, quid optimum efficiat Poëtam, ipſe nihil ſcribens, docebo. Proponit autem ſe dicturum quod in his carminibus ſequentibus continetur: quod cùm expleverit, finiet artem.

Unde parentur opes:
Quid alat formetque Poëtam:
Quid deceat, quid non,
Quò virtus, quò ferat error.

Hæc eſt materia dicendorum uſque ad finem libri. *Unde parentur opes* egregiè docet, inquiens: *Scribendi rectè ſapere eſt, & principium, & fons.* Quaſi dicat, ſine ſapientia, ſine philoſophia, inane eſt quicquid ſcribis. *Rem tibi Socraticæ.* Admonuimus ſuperius ex Quintiliano conſtare orationem ex rebus & verbis. Et Cicero in partitionibus vim Oratoris *in rebus & verbis* eſſe dixit. Idem in calce ſecundi de Oratore: *Verba igitur*, inquit *Craſſus, mihi reliquit Antonius, rem ipſe ſumpſit.* Et noſter Horatius in principio artis: *Cui lecta*, inquit, *potenter erit res.* & infra: *In verbis etiam tenuis cautuſque ſerendis.* Eodem ergo pacto in hac parte inquit: Quum ex rebus & verbis conſtet oratio: Res ab ipſa philoſophia ſunt petendæ, & à Socratica doctrina: nam ſine philoſophia nullus extitit unquam Poëta: Quam ſi rectè calluerit, de verborum inventione jubebo illum eſſe quietum, aut ſaltem non ſollicitum. Nam qui didicit quid debeat patriæ, quo amore parentes, quo amici, quo hoſpites amandi, & cætera quæ adjecit Horatius: non multum laborabit in inveniendis propriis cujuſque rei nominibus: Verba namque facilè ſequuntur rem prævíſam. Hac aliquanto longius congeſſi, ut intelligamus quid voluerit Perſius in tota prima Satyra: qui reprehendit ſcriptores qui repentè Poëtæ ſunt effecti, qui quum *verſus inopes rerum, nugaſque canoras* effutirent, ſe perfectos Poetas exiſtimabant. Quare meritò incipit exclamando: *ô quantum eſt in rebus inane*: in rebus, in-

inquam, non in verbis, nam Pædius *crimina rasis librat in antithetis, doctus posuisse figuras*. Denique quamvis verba sint lectissima, versusque politissimi, non carent acerrima reprehensione: quia, ut inquit Cicero: *Si res non subest ab Oratore percepta & cognita, aut nulla sit oratio necesse est, aut omnium irrisione ludatur. Quid est enim tam furiosum, quàm verborum vel optimorum atque ornatissimorum sonitus inanis, nulla subjecta sententia, neque scientia?* Hæc ille: quæ omnia optimè declarant scopum Persii in tota prima Satyra. *Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo Musa loqui.* Hos igitur imitaberis qui, nisi laudis, nullius rei fuerunt avari. Contrà verò Romani toti sunt in pecuniis acquirendis, qui jam à pueris se totos dedunt numerandi arti, & si fieri posset assem in centum aut mille partes poterunt dissecare, quum tantùm in duodecim dividatur. Accedat exempli gratia filius Albini qui rogetur à præceptore suo sic: Si de quincunce remota est uncia, quid remanet puer? eia citò, jam poteras dixisse. Respondet: Triens. cui præceptor: en, bene, jam tu puer poteris rem tuam servare: sed age, si additur uncia, quid fiet? respondet: semis. Itaque quum ita in pecunias intendant animum Romani, quî fieri potest, ut duratura carmina possint exarare?

Aut prodesse volunt, aut delect. Secunda hæc pars est, quæ docet, *quid alat, & formet Poëtam.* Nam quum tria sint Poëtarum genera: vel potius tres Poëtarum scopi: in quo velis excellere, considerandum est. Quidam volunt prodesse tantùm, ut Theognis apud Græcos, apud nostros Cato ille qui circunfertur. Quidam delectare tantùm, ut Ovidius in Metamorph. Quidam verò utrunque, ut Homerus & Virgilius. hoc genus longè cæteris antestat: hi Poetæ sunt qui leguntur, & vivunt æternum. In quibus si fortè sit aliqua incuria, ignoscendum est, nam & peritissimi sagittarii aliquando aberrant ab scopo, & doctissimi musici dissonantiam efficiunt. At contrà, *ut librarius*, id est,

librorum ſcriptor, ſi ſæpius peccet; venia caret: & citharœdus qui ſemper eadem oberrat chorda, ridetur & exploditur: ſic Poëta, qui ſemper eòdem revertitur, comparatur Chærilo peſſimo Poëtæ, quem, ſi bis aut ter aliquid acutè protulit, miror: quemadmodum etiam indignor quoties egregius Poëta Homerus dormitat. Notabis autem quomodo explanaverim verſiculum contra omnium opinionem. Nam dictio (*quandoque*) apud Horatium ſemper pro (*quotieſcunque*) accipitur. Vide Odam primam & ſecundam quarti Carminum. Expone igitur alia diſpunctione, ſic, quemadmodum peſſimum Poëtam miror, quando bis aut ter bonus eſt, ita indignor quotieſcunque bonus dormitat Homerus. *Ut pictura poëſis Erit, quæ ſi prop.* Tertium documentum, *quid deceat, quid non.* Decet enim conſiderare in rebus omnibus tolerabilem eſſe mediocritatem, non autem in poëſi, quæ niſi fuerit optima, contemnitur: Cauſam reddit Cicero in fine primi de Orat. *A quibus*, inquit, *nihil præter voluptatem aurium quæritur, in iis offenditur, ſimul atque imminuitur aliquid de voluptate.* Et ipſemet Horatius egregia hoc probat ſimilitudine. Quum tamen hæc ita ſeſe habeant, ut in rebus cæteris ſit mediocrè laudandum, & Poëta non niſi optimus probetur: tamen omnes audent verſus fingere, & indignum putant, ſi poëſin ignorent: quum cæterarum rerum ſe eſſe rudes dicere non erubeſcant, ne rideantur ab aſtantium corona. Expedit etiam Poëtæ ut emendet quæ ſcripſerit, & doctis etiam tradat emendanda. Deinde ne præcipitet opus, ſed domi per multos annos retineat, quia domi ſubinde corrigitur, at poſtquam evolavit, *neſcit vox miſſa reverti.* Nunc huic parti coronidem addit Horatius de præſtantia & antiquitate artis Poëticæ diſputans: quod non alia cauſa facit, quàm ut ad rem præclaram excitet juvenum animos: & tot præcepta ne pertimeant ſubire, quando quidem ars ipſa præſtantia ſua his & maximis aliis ſudoribus non ſit indigna.

Na-

Natura fieret. Ultimum hoc est quod proposuit: quò virtus & ars nos ducat, quóve error & artis ignorantia. Locus hic aptus est ad discutiendam quæstionem illam plúsne ingenium valeat an ars, quam quæstionem prius tetigit, nec solvit. Hic autem differendum est de præstantia artis, & de ignorantiæ malis. Respondet itaque, Nec artem sine natura, nec naturam sive ingenium sine doctrina quicquam proficere affirmo: ambo præcipua sunt, & inter se connexa. Sed si liberè sentiendum est: qui student optatam metam consequi, à teneris unguiculis industria, laboribus, vigiliis se macerent oportet. Nam si in Olympiis non accipit coronam, nisi qui multa tulit, nisi qui ab ipsa infantia se exercuit, nisi qui Venere & vino abstinuit: Et *si* cantores, ut in Pythiis ludis excellant, non nisi plurimis laboribus & industria id assequuntur: quorsum tu in arte omnium præclarissima sine doctrina, labore, sudore, sed solo ingenio & natura vis egregius haberi? Aspice rursus qui ingenio fretus tibi Poëta videris, quot te sequantur incommoda: Primùm quoniam tu teipsum fallis, omnes te decipiunt. Nam scis comitem horridum (ut ait Persius) *trita donare lacerna; scis spondere levi pro paupere & eripere atris litibus*; deinde tradis illi carmina emendanda: Et verum (inquis) amo: verum mihi dicito de me. Ille quid? Laudabit & in cœlum tollet, tundet pede terram, denique derisor plus quàm laudator verus movetur. Multò sapientius magnates agunt, quum aliquem volunt probare, an sit amicitia dignus: torquent enim vino: & ita interiores omnes cogitationes scrutantur: juxta proverbium: *In vino veritas.* Qui adversus factos veros judices vult adhibere, similes eligat Quintilio, qui nullo habito personarum respectu, vitia notabat; quæ si defendere conarêre, te missum cum tuis carminibus faciebat. Hinc arrepta occasione Horatius describit nobis optimum carminum emendatorem, *Ut mala quem scab.* Hoc aliud malum est, quod

quod inſcios comitatur Poëtas. Nam ſicut ſcabioſos & phanaticos ſolemus fugitare: ita qui ſapiunt, veſanum Poëtam averſantur, præterea exagitatur à pueris, & fit vulgi fabula: nec jam vult ſervari, & ad meliorem mentem reduci: erroreſque ſuos diligit, veluti qui in puteum decidit, nec ſi quis demittere funem curet, ipſe ſervari velit. Quemadmodum Agrigentinus Empedocles philoſophus & Poëta dum Siculos ſuam mortem voluit celare ut pro Deo coleretur, ſeſe in Ætnam præcipitavit: Pereant, pereant fanatici Poëtæ, quando & volunt ipſi perire: non ſit qui, quo minus id faciant, obſtet: nam *invitum qui ſervat, idem facit occidenti.* Hic verſiculus non parum torquet eruditos, nonnullos etiam Grammaticos: at verò ſi conſideres Horatium aliquando ex Græcis plurimas loquendi formulas arripuiſſe, nullus hîc ſcrupulus remanebit. Hoc nomen (*idem*) apud Græcos aptè jungitur dativis: ut ſi dicas *habeo idem nomen regi*, hoc eſt, habeo idem nomen cum rege. Uſus eſt & Lucret. hac loquendi formula *lib.* 3. in calce.

Adde Heliconiadum comites: quorum unus Homerus,
Sceptra potitus, eadem aliis ſopitus quiete eſt.

Et Ovidius *in Ibin*:

Utque duobus idem dictis modò nomen habenti.

Sententiam verò Horatianam expreſſit clarius Seneca *in Thebaide* inquiens:

Occidere eſt, vetare cupientem mori.

FRAN-

FRANCISCI SANCTII BROCENSIS,

In Inclyta Salmanticensi Academia Rhetorices, Graecaeque Linguae Primarii Doctoris,

IN ARTEM POETICAM HORATII ANNOTATIONES.

Juxta Exemplar Salmanticae anni 1591.

GENEVAE MDCCLXV.

APPROBATIO.

ANnotationes istæ in Artem Poëticam Horatii quas composuit doctissimus vir Franciscus Sanctius Brocensis, quum nihil habeant bonis moribus aut fidei catholicæ repugnans, digna suo authore sunt, ut in lucem prodire permittantur: quod fiet non sine magna utilitate legentium. Salmanticæ in nostro collegio majori Conchensi, 4. die Septemb. Anno 1591.

Doctor Gomez de Contreras.

LICENCIA.

EL Licenciado don Phelippe de Haro collegial del collegio mayor de Cuenca, y Provisor y Vicario general en todo el Obispado de Salamanca por Don Hieronymo Manrique Obispo del dicho Obispado, del Consejo del Rey nuestro señor, &c. Damos licencia a qualquier impressor de libros para que pueda imprimir esta obra, guardando las pragmaticas del Reyno, sin pena, attento que esta vista y examinada, y no contiene error alguno. Dada en Salamanca a cinco de Setiembre de 1591.

Licenciado don Phelippe
de Haro.

D. ANTO-

D. ANTONIO GUEVARA

Priori Sancti Michaëlis de Scalada,

FRANCISCUS SANCTIUS BROCENSIS S. P. D.

QUANVIS majoris esse diligentiæ semper mihi persuaserim doctorum virorum scripta retexere, quàm nova, licet sint accurata, componere: Tua tamen autoritas, vir & natalium splendore perillustris, & virtutum, atque literarum concentu præclare, sic meam hanc opinionem confirmavit, ut jam in explicandis autoribus, atque etiam in novis scriptis cudendis nihil præstabilius, aut magis palmarium esse putem quam prudentiæ methodo, quæcunque scripta aut scribenda sunt, perpendere, & examinare. Hoc facile intelliget, qui attentè, atque æqua lance tua in Habacuc Prophetam doctissima scripta examinaverit: promptè enim eliciet, quanta ingenii perspicuitate, quanta cura & diligentia latentem erueris in commentando methodum, & ipsa commentaria quanta dexteritate confeceris. Unde major mihi accrevit sitis majora videndi, quum sciam te propediem auctiora, politiora, & limatiora illa ipsa commentaria daturum. Analyseos igitur tam est virtus excellens, ut sine illa quæcunque aut scribentur, aut scripta sunt, muta, surda, & sine vita esse censeantur. Nam (ut mittam Davidicos Psalmos, qui tanta cura compositi sunt, ut sine analysi nequeant explicari) quis unquam Horatianam methodum ita est interpretatus, ut nobis in singulis satyris, vel epistolis quid voluerit, aut senserit politissimus poëta, patefecerit? Sed quid mi-

remur in longioribus satyris interpretes hallucinari; si in brevibus Odis cæcutiunt? Omnes fere, qui in Horatianis Odis præfiguntur tituli, sunt inepti, & à perditissimis Grammaticorum ingeniis excogitati. Virgilii itidem Eclogas corruperunt. Sed nihil putidius, & insulsius titulis illis qui Paradoxis Ciceronis accommodantur: quibus deceptus Antonius Majoragius sex Antiparadoxorum libros satis impudenter effutiit. In quinta libri 3. Horatiana Oda, & ultimo Martialis spectaculorum epigrammate titulus hic legitur: Augusti laudes. *Sed Horatii mens aliò tendit: Martialis vero dum Domitianum extollit, Augustum deprimit, & quasi vituperat. Huic tanto malo cupiens ego succurrere, libellum, ante annos triginta, de interpretandis autoribus publicavi, in quo Artem poeticam Horatii cursim per methodum explicavi. Sed quia rem ipsam tibi & doctis multis magis attigisse, quam explicasse videbar: tuo monitu & hortatu non solum Artem poeticam, sed & Silvas Angeli Politiani, quas adolescentulus illustraveram, nunc auctiores & emendatiores repono. Et quoniam tuo hortatu, atque adeo tuo exemplo hoc fit (qui tuum Habacuc ex perfecto remittis nunc auctiorem & perfectiorem) par & æquum censui hoc totum, licet tenue & exile, tibi dicare. Quandoquidem jam diu te talem credidi & existimavi, qui mea omnia (quicquid illud sit) hilari fronte amicaque humanitate sis accepturus. Vale Salmanticæ, XIIX. Octob. Ann. CIↃ IↃ XCI.*

FRAN-



FRANCISCUS CABRERA MORALES BROCENSIS,

Latinæ, Græcæque linguæ Salmanticæ Primarius,

Ad M. Franciscum Sanctium Brocensem.

O *Manes lyrici pandite Sanctio,*
Quos olim modulos concinuit lyra,
Romanus Fidicen vester Horatius
Liber mortis ab impetu.
Illum Pierides arboris ictibus
Non lustrare feræ regna Proserpinæ
Sunt passæ, aut Siculis fluctibus obrui,
Versa non acie premi.
Illius melior pars tamen ingeni
Lethes immemoris littora inambulans,
Vidisset cytharæ munera tristia
Lapsu temporis invido.
Ni noster properè Mercurius favens
Musarum decus & præsidium choris,
Vindex carminibus ferret opem sacris,
Nigra nocte latentibus.
Et verè celeres induit alitis
Pennas marmorei, compleat Æthera
Queis Flaccus maculis tersus, & integer,
Solo vindice Sanctio.
Ergo vos cineres dicite Sanctio
Quæ vivens caneret gratus Horatius:
Nam si spirat adhuc, si placet, unius
Totum à munere Sanctii.

IDEM AD EUNDEM.

Cedant prisca tuis sinuosa volumina chartis,
Musa quibus Flacci desipit, hisque sapit.
Acron, Porphyrius procul hinc, Ascensius absint,
Musa quibus Flacci conticet, his loquitur.
Assiduosque tuos taceas, Lambine, labores,
Musa quibus Flacci si docet, id temerè.
Nec jactent alii nocturni temporis horas,
Musa quibus Flacci garrulitate perit.
Unus pro cunctis pandens Helicona Brocensis,
Explicuit victor bellica signa potens.



JOAN-



JOANNES BAPTISTA MUNGUIA SEGOBIENSIS,

Ad lectorem,

De operibus Sanctii Magistri sui.

DOgmata qui Lyrici celebris penetrare laboras
Queis vates docto hoc instruit ille libro:
His fruitor scholiis, Lector studiose, disertis,
Quæ peperit Sanctii rara Minerva tibi.
Hanc admirantur Musæ, & Tritonia Pallas
Illorum hîc solus gloria summa manet.
Nam, veluti Cygnus fatali tempore mortis
Dulcius arguto fundit ab ore melos,
Sanctius haud aliter, doctorum summa voluptas
Delicium Phœbi, Pieridumque novem,
Maturis annis depromit scripta canora,
Inque dies nobis pangit acuta magis.
Dispeream si lusit eo quid doctius alter
Hactenus, aut unquam fecit acuta magis.
Quare agite, ô Musæ, Parcas placate severas,
Phœnicis superet sæcula vester Olor.

LUDOVICUS MORALES CABRERA,

Juris Cæſarei ſtudioſus Brocenſis, ad Sanctium Brocenſem Magiſtrum ſuum,

Tetraſtichon.

CRedere ſi fas eſt in corpora noſtra relabi
Elapſos animos, quos levis aura tulit,
Intravit Venuſina tuos (nec fallimur) artus,
Mens animi, atque tuo Flaccus ab ore canit.



Q. HORA-



Q. HORATII FLACCI

DE ARTE POËTICA,

ÉPISTOLA AD PISONES.

Poetas non esse prorsus liberos, imò totum opus debere constare suis partibus aptis, & consentaneis.

HUmano capiti cervicem pictor equinam Quintil. lib. 8.
Jungere si velit, & varias inducere plumas, c. 3.
Undique collatis membris, ut turpiter atrum Adag.
Desinat in piscem mulier formosa supernè: Ex ha-
Spectatum admissi risum teneatis, amici: rena fu-
Credite, Pisones, isti tabulæ fore librum niculum nectis.
Persimilem, cujus, velut ægri somnia, vanæ Turneb
Fingentur species, ut nec pes, nec caput uni lib. 19.
Reddatur formæ. Pictoribus, atque poëtis c. 9. &
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas. lib. 22.
Scimus, & hanc veniam petimusque, damusque vicissim. c. 7. Adag.
Sed non ut placidis coeant immitia: non ut Liberi poetæ &
Serpentes avibus geminentur tigribus agni. pictores.
Inceptis gravibus plerunque, & magna professis Turneb
Purpureus, latè qui splendeat, unus, & alter lib. 5.
Assuitur pannus: quum lucus, & ara Dianæ, c. 7. &
Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros, lib. 20. c. 8.
Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus. Adag.
Sed nunc non erat his locus: & fortasse cupressum Simula-
Scis simulare. Quid hoc? Si fractis enatat expes re cu-
Navibus, ære dato, qui pingitur. Amphora cœpit pressum.
Institui, currente rota, cur urceus exit? Adag. Archilo-
Denique sit quodvis simplex duntaxat, & unum. chi me-
los.

ECPHRA-

ECPHRASIS.

SCripturo mihi de Arte poëtica præcepta, illud in primis objicitur, quod passim ab omnibus decantatur. Liberos esse poetas ac pictores. Antiquum enim proverbium est: *Liberi poëtæ, & pictores*: quo proverbio monemur ita liberos debere esse poëtas, ut nullis, aut regulis, aut præceptis astringantur. Quod si teneamus, aut si, ut vulgo intelligitur, intelligamus: cassa & inanis fuerit nostra opera: quum Poëtas regulis & præceptis conemur alligare: Quam igitur vim habeat proverbium, quantaque sit artis vis atque necessitas, nostri muneris est aperire: sed prius sic ostendo, non esse liberos poetas. Pictores liberi non sunt, ergo nec poetæ liberi erunt. Nam si pictor formosam mulierem depingat, & humano capiti cervicem equinam jungat, & undique collatis membris varias plumas inducat, ita ut in turpem piscem desinat mulier formosa ex parte superiori: nonne ridebitis, o magni amici? Eodem prorsus modo ridendus, & exsibilandus est liber; & poëma, cujus formæ vanæ, & inanes finguntur, quales ægroti somniare solent. Quum nec pes, nec caput uni formæ reddantur, imo vero nullæ aliis partibus quadrent. Quum autem objicis pictoribus, & poetis æqualem fingendi potestatem concedi: non sic est intelligendum, ut sine ordine, atque modo, quæcunque libuerit effingamus, imo vero ego libenter huic accedo proverbio, & aliis etiam poëtis, ut multa effingant, concedo libentissimè. Sed ita tamen, ut uni corpori conveniant membra, nec enim avibus membra aliqua serpentium adjungam, aut tigribus, & agnis idem domicilium assignabo. Accedit aliquis (verbi gratia) peritum ad pictorem, ut Venerem formosissimam depingat, postulans, Nunquid pictor ille sua illa utetur libertate, & Venerem monoculam effinget, barbatam, obequitantem, & manibus hastam tenentem? Minime, inquis, imo vero Veneri reddet eam formam, quæ maxime Venerem deceat: & qualem peritus & non ineptus pictor pingendam à poëtis acceperit. Quæ est igitur illa pictoris libertas? Dicam breviter. In locis tabulæ vacuis, qui Venerem circunstant, liberum erit pictori flumina, ripas, arbores, flores, aviculas depingere. Sed & hic etiam acriter est considerandum, quid rerum natura postulet, & quid cuique picturæ sit accommodandum. Cur enim, (rogatus ab aliquo, qui naufragium fecit, ut se pingas in tabula natantem, & pericula maris effugientem).

tu cupressum, arborem à marinis fluctibus alienam in locis tabulæ vacuis depingas in medio mari? In locis itaque qui sunt velut episodia, id est in locis communibus poteris lucum describere, vel templa, famam, famem, palæstras, & currus: sed ita hæc sunt inserenda, & attemperanda, ut non venias in suspicionem, te nihil aliud posse tam bene depingere, aut describere, quam illa, quæ tam crebro inculcas, etiam si sint panni, & assuturæ perquam elegantes. Itaque neque in Achillis forma depingenda tibi aliquid libertatis, præter quam quæ ab Homero traditur, concedemus, nec in ipsius tabulæ locis vacuis delphinos, choreas, Silvanos, & anguillas depingi, patiemur. Quodcunque igitur aggrederis, tale sit, ut partes cum toto ita concordent, ut totum illud sit unum idemque. Nec enim par est, ut ineptos figulos imitemur, qui vasa capacia intendunt efformare, deinde vero in urceolum minutum desinunt: nec etiam in ipsius tabulæ partibus amplius, quàm rei natura patitur, licebit divagari. Hæc libertas poetarum est, non illa quam tu divinabas.

ANNOTATIONES.

Risum teneatis amici?) Amicus magnus erat antiquitus quem nos vocamus dominum. Juvenal. *Satyra* 1. *Magni delator amici.* Horatius *non solet addere magnum*, ut ad Mœcenatem: Ibis Liburnis inter alta navium, Amice, propugnacula.

Velut ægri somnia.) Magis placet *ægri somnia*, quàm *ægris somnia.* Sciendum autem est scriptores librarios, qui dictante alio, excipiebant; multos locos autorum depravasse, quum audirent dictiones aliquas in S desinentes; sequente vocali, aut contra, aut in S desinentes, aliis ab S incipientibus: ut *sanctos imos*, *sancta simus*, *sanctos simul.* In hoc opere (ut mox dicetur) legitur *jussit*, pro *jus-sit*, & *Saty.* 8. *lib.* 1. hoc *miseræ plebis stabat*: pro *miseræ plebi.* In cantico Zachariæ legitur: *Fecit redemptionem plebis suæ*: pro *plebi*, τῷ λαῷ. Teren. *Eun. act.* 5. *scen.* 3. *vide ut otiosus sit*, lege *otiosus it.* Plautus *Aulul.* *Nam si opulento sit petitum pauperioris gratiam*, qui locus valde conturbavit antiquos Grammaticos. Lege: *Nam si opulento sit petitum. Opulentos*, pro *opulentus*, ut *Davos*, pro *Davus*. Virgil. *Culic. Posterius pœnam nati se morte futuram*, lege, *natis è morte*, id est post natis. Ibidem. *Et quod erat tardus omni languore remoto*, Lege, *tardus somni languore remoto.* Plaut. *Pseud. Exploratorem hunc faciamus ludo suppositiium*, lego,

faciamus ludos supp. Pomponius Mela *lib.* I. *cap.* 7. *syrti sinus est*, lege, *syrtis sinus est.* Virg. 4. *Georgicon. Prius haustus sparsus aquarum*, lege, *haustu.* Idem. 2. *Æneid. Oppositi stat ferri acies*, lege, *oppositis stat.* Sunt alia multa hujusmodi apud Plinium, & alios.

Inceptis gravibus plerumque & magna professis, Purpureus.) Hoc male Lambinus, & alii. Sensus est: Concedimus in magnis poematibus illustriores additiones, & digressiones interlocari, quas vocat *purpureos pannos*, ut quum describimus lucos, vel templa, vel fluvios. Sed hi panni etiam si sint illustriores, quàm ipsum opus, non sunt sæpissimè repetendi, aut alienis locis assuendi. Nam si sæpe idem repetis, credemus te nihil aliud scire depingere, quàm lucum, aut pratum. *Purpureus*, interpretor splendidum, lucidum, oculis gratissimum. Nam *purpureus flos* apud Virgilium, & *purpurei olores* apud Horatium, non aliter sunt intelligenda.

Et fortasse cupressum, Scis simulare.) *Simulare cupressum* dicitur ille, qui multa se scire profitetur exactè, sed unum tantum perite potest præstare. Dicebat enim ille pictor se jactans: heus tu, quid velis in tabula hac præter tuum naufragium pingi, pete audacter: omnia enim, quæ petieris, præstabo: sed si me consulis, nulla arbor picturam ornabit commodius, quàm cupressus. Est enim oculis gratissima. Hic multum sudat Lambinus, quia non intellexit vim verbi: *Simulare.*

Denique sit quodvis.) *Quodvis* una dictio est, id est; quodcunque negotium.

Sine arte nihil rectè posse curari, & effingi. Nam virtutibus contraria vitia imitatur ignarus.

Adag. *Humi serpere.* Adag. *Delphinum silvis appingit.* Adag. *Nihil*

Maxima pars vatum, pater, & juvenes patre digni
Decipimur specie recti; brevis esse laboro,
Obscurus fio: sectantem lævia, nervi
Deficiunt, animique: professus grandia, turget.
Serpit humi, tutus nimium timidusque procellæ:
Qui variare cupit rem, prodigialiter, unam,
Delphinum silvis appingit, fluctibus aprum.

In

In vitium ducit culpæ fuga, si caret arte.
Æmilium circa ludum faber imus, & ungueis
Exprimet, & molles imitabitur ære capillos.
Infelix operis summa, quia ponere totum
Nesciet! Hunc ego me (si quid componere curem)
Non magis esse velim, quam pravo vivere naso
Spectandum, nigris oculis, nigroque capillo.

minus expedit quam agrum optime colere. Quinti *lib. 7. prolog.*

Ecphrasis.

NUnc de Arte ipsa, & ejus necessitate pauca prælibemus, exactius enim postea dicturi sumus. Ars & præcepta, ô Piso pater & Pisones tali patre filii dignissimi, adeo necessaria sunt, ut etiam in virtutum operibus aggrediundis in promtu sit peccare, falli, decipi, nisi rem arte tractes, & præceptis guberneris. Rectum tenere clavum omnes cupimus, sed decipimur specie recti. Nulla enim virtus est, quæ sibi conjunctum vitium non habeat, ut liberalitas effusionem. Sic in generibus scribendi perfecta virtus est Brevitas, hanc qui cupit apprehendere, in obscuritatem incurrit, si qua arte has discernat, ignorat. Præterea tres sunt, ex Rhetorum sententia, scribendi characteres. Nam tenuis, & gracilis est stylus, acutus, omnia docens, non amplificans, subtili quadam & pressa oratione limatus. Est & alius stylus plenus, cum ampla & sententiarum gravitate, & majestate verborum, vehemens, varius, copiosus, gravis, ad permovendos & commovendos animos instructus. Est & alius stylus interjectus, intermedius, & quasi temperatus ex utroque, vicinus amborum, utriusque particeps, vel potius expers, uno tenore in dicendo fluens, ornamentis modicis verborum sententiarumque orationem picturans. Hæc Rhetores. In his tribus stylis sic peccatur. Pro medio stylo & levi enervem scribes & animis deficies. Pro grandi & sublimi turgidum & tumidum exercebis. Pro tenui & gracili (dum times profundi pelagi procellas, & simul ne in litus impingas caves) serpes humi, & in harenis hærens cymbam impellere non poteris. Postremo quum varietas virtus sit ad delectandum præcipua, tu pro varietate monstrose Delphinum appingis & apros fluctibus. Itaque dum vitium vitare volumus (si arte caremus) in culpam incidimus. Nec vero peritum artis rite possumus appellare eum, qui peritè & ad unguem exprimit statuarum capita & molles capillos,

Ciceronis verba.

vel

vel manus vel brachia, si totam statuam cum suis partibus aptis nequeat expolire atque perficere. Nam quæ potest esse ars, nisi quæ non ex una, aut ex duabus, sed ex multis præceptionibus constat? Non ergo formosus ille est, qui nigros oculos nigrumque capillum sortitus est, si tamen deformis nasus totam oris compositionem deturpat. Sic ergo Proverbium contra nos objectum explicuimus: & artem esse non modo utilem, sed valde necessariam, ut partes operis, & totum opus inter se constet, ostendimus.

Cicero.

ANNOTATIONES.

Maxima pars vatum.) Totum hunc locum cum suis exemplis Lambinus, & alii somniis involverunt. Sensus est: in virtutibus etiam ipsis capessendis, semper errabimus, si arte caruerimus. Nulla enim virtus est, quæ vitium simillimum sibi non adjungat. Nec enim virtus consistit in medio duorum vitiorum, ut plerique putaverunt, sed (ut Plato ait) unum semper uni contrarium est, non unum duobus. Contraria vocat Arist. quæ sub uno genere continentur, ut effusio, & liberalitas in ratione dandi continentur, sicut avaritia, & parcitas in ratione retinendi. Itaque quod est contrarium virtuti unum est & simillimum est. In quibus discernendis arte callida opus est. Cicero in Partitionibus. *Cernenda sunt diligenter ne fallant ea nos vitia, quæ virtutem videntur imitari: nam & prudentiam malitia, & temperantiam immanitas in voluptatibus aspernandis, & magnitudinem animi superbia in animis extollendis, & integritatem despicientia in contemnendis honoribus, & liberalitatem effusio, & fortitudinem audacia imitatur, & patientiam duritia immanis, & justitiam acerbitas, & religionem superstitio, & lenitatem mollitia animi, & verecundiam timiditas, & illam disputandi prudentiam concertatio, captatioque verborum: & hanc oratoriam vim inanis quædam profluentia loquendi.* Horatius illarum tantum virtutum apposuit exempla, quæ ad scriptores spectant, ut brevitatis, styli medii, sublimis, & humilis, varietatis, quasi dicat: qui brevitatis gloriam captat, incidit in obscuritatem: qui lævem, id est politum stylum spectat, nervis, & animis destituitur: qui grandem, turgidus evadit: qui humilem, serpit humi: & tandem quum velit varietate placere, monstra effingit, & prodigialiter Delphinum silvis appingit, fluctibus aprum. Vox *Prodigialiter*, adjungenda est verbo *appingit*, non vero, *variare*. Quod sæpe apud Horatium observabis: ut infra: *chorusque turpiter obticuit*;

tiemit; construe: *sublato jure nocendi turpiter*, & *satyr. prima*, *fortissima Tyndaridarum.* Construe: *liberta fortissima divisit hunc medium securi Tyndaridarum.* Nam *securis Tyndaridarum* sic abiit in proverbium, ut *equus Sejanus*: *aurum Tolosanum.*

Et molles imitabitur ære capillos.) Disquirunt docti, quid sit apud Martialem, *molles honores*: ego molles Honores accipio imagines, & statuas ita ad vivum effictas, ut vivere videantur, ita ut si digitum illis imprimas, cedere caro viva videatur. Sic Virgil. 6. *Æneid.*

Excudent alii sperantia mollius æra,
Cedo equidem; vivos ducent de marmore vultus.
Idem.
Et molli circum est ansas amplexus acantho.

Molli acantho, interpretor, juxta Horatianum hoc; *molles capillos*; & Martialis illud, *molles Honores*: non ut illi, qui inter acanthi genera enumerant mollem acanthum.

Materia oratoris & poetæ constat ex rebus, & verbis: hoc est ex ordine, junctura, & numero. Prius igitur agendum de ordine.

Sumite materiam vestris, qui scribitis æquam
Viribus, & versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri. Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.
Ordinis hæc virtus erit, & venus (aut ego fallor)
Ut jam nunc dicat, jam nunc debentia dici:
Pleraque differat, & præsens in tempus amittat.
Hoc amet; hoc spernat promissi carminis autor.
Nec sic incipies, ut scriptor Cyclicus olim.
Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum. Turn. *lib.* 19. *c.* 9.
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturient montes, nascetur ridiculus mus.
Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte? Adag. *Parturiunt montes.*
Dic mihi, Musa, virum, captæ post tempora Troiæ
Qui mores hominum multorum vidit, & urbeis.
Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem

Cogi-

Cogitat, ut speciosa dehinc miracula promat,
Antiphatem, Scyllamque, & cum Cyclope, Charibdim.
Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri.
Nec gemino bellum Troianum orditur ab ovo.
Semper ad eventum festinat: & in medias res,
Non secus, ac notas, auditorem rapit: & quæ
Desperat tractata nitescere posse, relinquit.
Atque ita mentitur: sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

ECPHRASIS.

POstquam ostendimus necessariam esse artem, restat, ut ad artis præcepta nos accingamus. Atque inde potissimum incipiamus, quod primum natura est: hoc est, de materia ipsa, circa quam versatur & poëta, & orator. Materia Oratoris est in rebus, & in verbis. Omnis autem oratio (ut ex Rhetorum præceptis percipimus) constat ex iis, quæ significantur, aut ex iis quæ significant. Res voco nervos ipsos orationis, & veluti fundamenta ædificii. Qua in parte maximè & præcipue ordo spectandus est, Qui rem prius perpenderit, & quale pondus humeri sustinere valeant, examinaverit: in ordine (in quo totius rei cardo vertitur) minime poterit aberrare, nedum in verbis, & elegantia, quæ sua quasi sponte lucidum ordinem comitatur. Et quum duplex sit ordo, id est methodus scribendi, altera naturæ, prudentiæ altera, mihi placet ut poëta (nisi historiam narret) prudentiæ methodum sæpius intueatur, id est, jam nunc dicat illa, quæ debent statim dici: & pleraque, imo plurima differat, quæ omitti in initiis, & in hoc præsens tempus jubeo: quædam itaque primum amplectatur, & quædam aut rejiciat, aut differat, qui grandia profitetur se decantaturum. Quo in genere proponat sibi Homerum imitandum, qui nihil molitur ineptè, qui mirabilia, grandia, & stupenda narraturus, sic ordinem attemperat, ut nec à primo principio res deducat, nec ab ipsis mirandis incipiat, sed ex parvulis quasi initiis, & veluti fumo ad speciosa miracula, & ignem splendidissimum progrediatur, atque ita mentitur & vera cum falsis miscet, ut principium medio, & medium fini concordia connectantur admirabili. Hunc igitur ordinem tibi potius sequendum præcipio, quàm illum, quo usus est in sua Iliade poëta ille circumforaneus, quum sic orditur:

Fors

Fortunam Priami cantabo & notabile bellum. Magna enim promisit, & parva præstitit, sic enim olim quum ita fremerent montes, ut parturire crederentur, accurrit densum vulgus, & magnum aliquid spectans, murem pusillum conspexit egredientem. Unde risus non mediocris fuit excitatus.

ANNOTATIONES.

Cui lecta potenter erit res.) Id est, qui materiam selegerit, & quid circa eam possit pro viribus expenderit. Rem hic vocant Rhetores argumentum, & argumenti nervos. Verborum autem selectionem vocant tropos, & figuras, & (ut uno verbo dicam) ipsam eloquentiam. Persius in prima Satyra poëtas Romanos exagitat tanquam inopes rerum, quum dixit: *Quantum est in rebus inane!* Non ut interpretes somniant, in rebus, id est, in toto orbe, vel in rebus humanis: & ut has ineptias confirment, adducunt illud Salomonis: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Longè hæc inter se discrepant. Imo vero nec Persius per totam Satyram reprehendit omnia illa carmina, quorum aliqua sunt elegantissima, sed ridet (ut Horatianis verbis utar) versus inopes rerum, nugasque canoras.

Præsens in tempus omittat.) Si explicarem cum aliis: *præsens in tempus*, id est, in proprium locum, & quod Hispanè dicimus (*para su tiempo lo dexe*) non errarem, quia & sententia quadrat, & sic Latini uti solent præpositione, IN, ut *in diem*, *in horam*: sed quia video Horatium alibi aliter uti his vocibus, cum illo sic sentio: *præsens in tempus*, id est nunc, & ut Barbari dicunt, *pro nunc*, Hispane (*por agora*) *lib.* 2. *Oda* 16. *Lætus in præsens animus, quod ultra est oderit curare.*

Nec sic incipies, ut scrip.) Hæc decem, & septem carmina, quæ alienum locum scriptorum librariorum negligentia occupaverant, mirificè ad ordinem faciunt. Quid enim quum de tragœdia totus esset sermo, attinebat dicere: Nec sic incipies? Nam Tragœdiarum incipiendi nulla potest dari præceptio. Quomodo autem in antiquis libris transcribendis mutentur, & transponantur paginæ, satis acutè, atque perspicuè indicavit Josephus Scaliger in Varronem, & Propertium. Nos autem non hoc loco solo in propriam sedem vindicato contenti fuimus: sed alium etiam, quando de numeris agitur, apte conjunximus.

De junctura, sive de verborum innovatione, quæ triplex est.

IN verbis etiam tenuis, cautusque serendis
Dixeris egregie, notum si callida verbum
Reddiderit junctura novum. Si fortè necesse est
Indiciis monstrare recentibus abdita rerum.
Turneb *Fingere cinctutis non exaudita Cethegis*
lib. 9. *Continget: dabiturque licentia sumta pudenter.*
cap. 31. *Et nova, fictaque nuper habebunt verba fidem, si*
& lib. *Græco fonte cadant, parte detorta. Quid autem*
19. cap. *Cæcilio, Plautoque dabit Romanus, ademtum*
9. *Virgilio, Varioque? Ego, cur, acquirere pauca*
Si possum, invideor, Quum lingua Catonis, & Enni
Sermonem patrium ditaverit, & nova rerum
Nomina protulerit? Licuit, semperque licebit,
Signatum præsente nota producere nomen.
Homer. *Ut silvæ foliis pronos mutantur in annos,*
Iliad. 6. *Prima cadunt: ita verborum vetus interit ætas:*
Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque.
Debemur morti nos, nostraque: sive receptus
Sueto. *Terra Neptunus classeis Aquilonibus arcet,*
August. *Regis opus! sterilisve diu palus, aptaque remis*
16. *Vicinas urbeis alit, & grave sentit aratrum:*
Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius: mortalia facta peribunt,
Nedum sermonum stet honos, & gratia vivax.
Ut exantlare, *Multa renascentur, quæ jam cecidere: cadentque*
prosapia, es- *Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,*
fari. *Quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquendi.*

ECPHRASIS.

DIxi de ordine, nunc de verbis dicendum erit, quæ pars etiam in duo dividetur, in Juncturam & Numerum, Ita ut tota tractatio tribus his vocibus explicetur: Ordine, Junctura, Numero. Junctura postulabat, ut omnia,

bia; quæ de coagmentatione literarum, & syllabarum inter se disputant Rhetores, disquireremus: sed quia nos nunc poëtam non ab incunabulis informamus, sed adultum jam & quasi perfectum limamus, & ostentamus: minutula illa, quæ in Rhetorum scholis docentur. præter mittentes, paucula de novandis vocibus aperiemus.

Tribus fere, aut quatuor modis novare possumus vocabula, sed in omnibus parcè, & prudenter hac licentia utendum est. Primo modo callida Junctura primum locum vendicat, quum ex vocibus tritis, & pervulgatis fit nova, & admirabilis tela, quæ nova, & inaudita videtur. Deinde quum ad res novas novæ voces, & nunquam priscis auditæ, proferuntur, ut *Cinctuti* Cethegi.

Possumus præterea fingere verba, si à Græcis vocibus cum moderamine fuerint detorta, ut *Episcopos*, *Prophetas*, *Philosophos*, *dica* pro lite. Postremo multa, quæ jam ceciderunt vocabula & antiquitate ipsa veluti obliterata sunt, poteris in lucem revocare, ut *prosapia*, *fuat*, *olli*. Nam hæc omnia antiquis poëtis, ut Cæcilio, & Plauto concessa sunt: quum lingua Catonis, & Ennii sermonem patrium ditaverit, & nova rerum nomina protulerit, Cur idem Virgilio, Varioque non concedetur? Quemadmodum enim in silvis contingit, ut folia prima cadant, & nova quotannis succedant, sic etiam verborum ætates perire, & interire possunt. Omnia enim morti debentur: & flumina etiam & lacus mutantur, & regum opera jam vidimus effectum, ut ubi antea prata fuerint, fit mare profundum: & ubi mare fuit, nunc segetes maturescant.

ANNOTATIONES.

Callida junctura.) Pro exemplo erit hujus præcepti, nam quum *callidus*, & *Junctura* sint antiqua & trita nomina, novè tamen, & elegantissimè conjuncta quandam objiciunt auribus novitatem. Sic Virgilius dixit: *pontem indignatus Araxes*: & *ferrum armare veneno*. Juxta usitatum proverbium: *communia quidem novè, nova vero communiter*. Rursus Horatius *Cinctutos* vocat Cethegos, quo nomine nemo ante eum usus unquam fuit. Unde postea *Ovid*. 5. *Fast*.

Semica per coleris cinctutis Faune Lupercis.

Sic enim melius legitur in Plantinianis, quàm *succinctis*. M. Cornelius Cæthegus Annibalis temporibus Consul fuit: G. Cornelius Cæthegus annis octo post creatus Consul, & in Hispaniam missus, xv. millia Hispanorum uno prælio

lio cecidit. Hi igitur Cæthegi (ut conjectari par est) non togati more Romanorum gradiebantur, sed veste militari induti, quæ Cinctus Gabinius dicebatur. Unde Lucanus *lib. 6.*

Mariique truces, nudique Cethegi.

Si Græco fonte cadant parce.) Ut *Rhetorica*, *musica*, *physica*, *triclinium*, *dica* pro lite, *acta* pro littore. Hinc Martialis merito carpit Æmylianum, quod *Mystillum* vocabat pro coco, quia videlicet legerat apud Homerum: Μυστίλλόν τι ἄρα, τι ἄλλα, id est, *secabant*, *&* *sane alia*, *atque alia.* Verba Martialis sunt.

Si tibi Mystillus coquus, Æmiliane, vocatur;
Dicetur quare non t'ara t'alla mihi?

Possumus (inquit) fingere voces nunquam inventas; ut Cicero primus finxit, *favor*, & alias multas voces, ut Græcis in Latino sermone responderet. Πρέπον (inquit) *appellant Græci*, *nos dicamus sane Decorum.* Et alia quæ diligenter adnotat Lambinus. Et Terentius finxit primus *Obsequium.* Quin, & ipse Cicero non uno in loco autor est, ut rebus nuper inventis nova nomina reddamus. Sed in hoc præcepto male intellecto vix dici potest, quanta peccentur à nostri seculi hominibus Theologis, Medicis, Philosophis. Nec satis possum admirari doctissimum Lodovicum Vivem, qui tam audacter, tamque præter æquum, & decens, tot finxerit vocabula in sua *Exercitatione linguæ Latinæ.* Nihil enim nunc bene dicitur Latine, nisi tantum illud quod in libris politioris Latinitatis invenitur. Dum lingua illa vigebat, licebat doctis, & peritis (si modo usus id comprobaret) aliquas voces invenire, & in vulgum propalare. Quod & nunc Hispanis in Hispana lingua, & Gallis, & Italis in sua licebit, si modo populus omnis id approbet. Sed in linguis Græca, Hebræa, Latina (quæ jam in usu populari non sunt, sed ex libris tantum eruendæ) minime licet verba fingere, nec Latinæ linguæ quicquam addere, quod ex libris Latinorum non fulciatur. Poteris tamen cum aliqua præfatione aliqua inserere: ut Galli *Parlamentum* vocant, quod Latine *Senatum*: sic vocantur vulgo *Cardinales.* Sic Itali vocant *Banderas.* cæt.

Dixeris egregie.) Diligenter hic Lambinus de verbis novatis, & conjunctis disputat ex Cicerone, & somnia vocat aliorum interpretationes: mihi vero nec Lambini, nec aliorum placet interpretatio. Longe alia Horatii mens est. Nec enim de illa compositione loquitur Horatius, quam

Lam-

Lambinus mecum approbat, sed de Junctura partium, quum ex notis, & tritis vulgo vocibus fit præclara, & admirabilis Junctura, quæ altius considerantes grata novitate detineat. Hoc facile possum ex ipsis Horatii versiculis infra positis confirmare.

Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quivis
Speret idem: sudet multum, frustraque laboret
Ausus idem: tantum series juncturaque pollet.
Tantum de medio sumtis accedit honori.

Indiciis monstrare recent.) Vocabula sunt indicia; seu notæ rerum, σύμβολα & σημεῖα vocant dialectici ex libello garrulo Perihermenias.

Invideor.) Novè dixit *invideor* passivè, ut augeret sermonem Latinum. Quod imitatus est Ovid. *in Epist. Laodom. Troadas* (inquit) *invideo.* quod sonaret passivæ, *Troades invidentur.* Hinc jam præmoneo lectorem, me non annotaturum in hac explicanda Horatii arte, nisi ea tantum quæ video à commentatoribus ignorari. Nam cætera quæ pertinent, vel ad historiam, vel ad explicationem vocum, & codicum collationem, diligenter & docte præstitit Lambinus, illinc censeo petenda, nos enim non commentaria scribimus, sed ab aliis prætermissas animadversiones.

De numero, & pedibus, & quibus quodque poëma constet, contra Latinorum negligentiam.

RES gestæ regumque, ducumque, & tristia bella
Quo scribi possent numero, monstravit Homerus.
Versibus impariter junctis querimonia primum,
Post etiam inclusa est voti sententia compos.
Quis tamen exiguos elegos emiserit autor,
Grammatici certant, & adhuc sub Judice lis est.
Archilocum proprio rabies armavit iambo. Adag. *Archilochum teris.*
Hunc socci cepere pedem, grandesque cothurni,
Alternis aptum sermonibus, & populareis
Vincentem strepitus, & natum rebus agendis. Unde Actus in fabulis.
Musa dedit fidibus divos, puerosque deorum,
Et pugilem victorem, & equum certamine primum,

Et Juvenum curas, & libera vina referre.
Syllaba longa brevi subjecta vocatur Iambus,
Pes citus, unde etiam trimetris accrescere jus sit
Nomen Iambeis, quum senos redderet ictus.
Primus ad extremum similis sibi, non ita pridem,
(Tardior ut paullò, graviorque veniret ad aureis)
Spondeos stabiles in jura paterna recepit:
Commodus, & patiens: non ut de sede secunda
Cederet, aut quarta socialiter. Hic & in Acci
Nobilibus trimetris apparet rarus, & Enni.
In scenam missos magno cum pondere versus,
Aut operæ celeris nimium, curaque carentis,
Aut ignoratæ premit artis crimine turpi.
Non quivis videt immodulata poemata Judex:
Et data Romanis venia est indigna poetis.
Idcirco ne vager? Scribamque licenter? an omneis
Visuros peccata putem mea? tutus, & intra
Spem veniæ cautus, vitavi denique culpam,
Non laudem merui. Vos exemplaria Græca
Adag. *Nocturna versate manu, versate diurna.*
Nocte *At nostri proavi Plautinos & numeros; &*
dieque. *Laudavere saleis, nimium patienter utrumque*
Ne dicam stultè mirati: si modo ego, & vos
Adag. *Scimus inurbanum lepido seponere dicto,*
Metiri *Legitimumque sonum digitis callemus, & aure.*
digitis.

ECPHRASIS.

DE numeris modo nobis agendum est, id est quibus numeris, & quibus carminum generibus, & quibus pedibus deceat scribere res universas: neque enim versibus, & pedibus comœdiarum debent scribi res gestæ regum, aut versibus heroicis cantiunculæ amatoriæ. Imo vero (ut paullò post ostendam) comœdiæ atque tragœdiæ quum senariis versibus constent, stylo, & compositione sunt inter se distinguendæ.

Versu itaque Heroico res gestæ Heroum, regum, & ducum sunt describendæ. Hujus carminis inventor, & perfector fuit Homerus.

Versu

Verſu Elegiaco, qui conſtat hexametro, & pentametro, quamvis à gemitu nomen habeat, & à querimoniis inceperit, poſtea tamen voti compotes ſententias, & triumphos in amoribus complexus eſt, autor horum carminum ignoratur.

Verſus Iambus ab Archiloco inventore dictus eſt Archilochius, ad rabiem, & maledicentiam aptus. Sed quia hic pes aptus eſt ad alternos ſermones, id eſt, ad interrogandum, & reſpondendum, & nihilominus aliquantulum attollit ſtylum ſupra vulgarem ſermonem, comœdiæ & tragœdiæ hunc pedem ſibi vendicaverunt. Inde enim comœdia dividitur in actus, quia rebus agendis pes hic valde videtur accommodus.

Carminum lyricorum inventorem, alium quàm Muſas ipſas, invento neminem. Hymni, & laudes Deorum, & Heroum in hoc genere ſcripti ſunt. Victores in olympiis & cæteris ludis hoc carmine celebrabantur. Cantiunculæ juvenum amantium, & ipſorum convivia hoc carmine modulari poteris aptiſſime. Sed antequam ad alia tranſeo, quoniam ad comœdiarum & tragœdiarum examen noſtra properat oratio, de verſu Iambico, & de negligentia Latinorum poëtarum circa ejus compoſitionem dicenda ſunt.

Syllaba longa, ſi brevis præcedat, iambum pedem efficit. Sex itaque pedes iambici ſenarium carmen conſtituunt, quos pedes (quoniam velociter currunt) ſit jus vocari trimetros: quoniam ſex illi pedes tres percuſſiones habent. Ut *Suis & ip ſa Roma, vi ribus ruit.*

Apud priſcos Tragicos hi omnes pedes à primo ad ultimum erant iambici puri: ſed poſtea (nec ita pridem eſt) iambicum carmen ſpondæos admiſit pedes, ut tardius, & gravius audiantur. Ita tamen admiſit ſpondæos, ut de ſecundo, aut quarto loco non cederet: nam de ſexta domo nihil dubium eſt, non enim eſſet iambus ſi in ſexta alium pedem admiſiſſet in ſocietatem. Hæc de iambo: qui pes in tragœdiis Attii, Nævii, & Ennii rarus apparet, & tamen laudantur illæ tragœdiæ: mihi tamen vehementer diſplicent, quia ille tantum cum magno boatu & pondere verſus illos in theatrum ſine ulla cura compoſitos, & cum magna feſtinatione exaratos mittit, & veluti projicit: atque ita compoſitos, ut mihi ſuſpicionem ingeneret illum artem componendi ignoraſſe, quod ſine turpi crimine fieri non admittimus. Illi tamen aliter ſe tuentur: Non ignoramus (inquiunt) artem, ſed properamus, & negligenter comœdias, & carmina componimus, & in hoc tantum, ut ſemel recitentur in theatro, quo in loco difficile eſt judi-

care, quid apte, aut ineptè sit compositum. Quanto rectius; inquam, esset si mecum, dum compono, pensitarem, neminem esse, qui non errata mea consideret, quàm sine lege vagari, & licentiam indignè Romanis datam usurpare. Hoc vitare culpam est, non autem laudem mereri. Hinc igitur præcipio vobis, Pisones, ut dimissis Romanis poëtis, ad Græcorum scripta imitanda totos vos noctibus, atque diebus convertatis. Nescio enim quo pacto nostri majores Plauti versus, numeros, & facetias laudaverunt. Ferrei mihi videntur, ne dicam stultos, qui talia mirantur, si modo ego & vos scimus quid sit vera, & legitima compositio carminis, & quid distent scurræ dicaces ab urbanis, & elegantibus dictis, distinguere aliquando didicimus. Sed de ordine, junctura, & numero, hæc sint dicta. Nunc de decoro circa personas in comœdiis servando necessaria disputemus.

ANNOTATIONES.

Quo scribi possent numero.) Tractationi huic de numeris, (quam per tredecim versiculos creditus est hactenus Horatius explicuisse) viginti quatuor versus ego adjeci, qui in alienum locum scriptorum negligentia irrepserant. Ex illo loco: *Syllaba longa brevi subjecta vocatur iambus.* Si verum examines, videbis omnia inter se mirificè quadrare, sed illud rem ipsam præcipuè demonstrat, quod ab Homericis numeris incipiens in Plauti numeris vituperandis desinit disputatio.

Alternis aptum sermonib.) Præter ea quæ adducit Lamb. egregiè facit illud Cicer. *in Orator. perfecto. Magnam* (inquit) *partem ex iambis nostra constat oratio.*

Et populares vinc.) Id est, quia prorsam orationem, & popularem loquendi strepitum vincit, & exuperat, id est, quia se altius extollit, quam popularia negotia, nec tamen ad Heroica assurgit. Hic non placet Lambin.

Unde etiam trimetris accrescere jussit.) Verbum *jussit* omnes interpretes dedit præcipites, quia non intellexerunt esse duas partes orationis. Quemadmodum infra dixit Horat. *Sit jus, liceatque perire poëtis.* Ita sensus est, liceat vocari trimetrum illum versum, quum sit senarius, & senos habeat pedes. Similis error est apud Varron. *lib.5. ling. lat. Et ut jussit vinum legere, agna Jovi facit.* lego, *ut jus sit*, id est, sit jus. Item apud Festum in voce *taxat*, *quum præscribitur quoad ei jussit statuendi*, leg. *jus sit*, id est, sit jus.

In

In scenam missos.) Hoc pessime Lamb. vid. *Ecphras.*

Premit. Poëta festinans, male hoc Lamb.

Intra spem veniæ.) Sic legendum est, non *extra*, ut pessime legit & interpretatur Lamb. Sensus est, ego tutus intra spem veniæ, propterea quod spero veniam mihi dandam sub. *properavi*, aut *vitavi*.

Plautinos numeros.) *Nostri proavi* legendum. non enim agit hic Horat. de genere, sed de antiquitate. Neque reprehendit Plauti comœdias (quas alio in loco laudat) sed numerorum licentiam, & jocorum crassitiem, & pro personarum decoro disparilitatem.

De decoro personarum, verborum, & numerorum ad perfectam actionem.

Descriptas servare vices, operumque colores,
Cur ego, si nequeo, ignoroque, poeta salutor?
Cur nescire, pudens prave, quam discere, malo? Adagi.
Versibus exponi tragicis res comica non vult, *Quam*
Indignatur item privatis, ac prope socco *in tragœdia*
Dignis carminibus narrari cœna Thyestæ. *comicus.*
Singula quæque locum teneant sortita decenter.
Interdum tamen & vocem comœdia tollit,
Iratusque Chremes tumido dilitigat ore.
Et Tragicus plerumque dolet sermone pedestri,
Telephus, & Peleus, cur pauper, & exul uterque
Projicit ampullas, & sesquipedalia verba? Adag.
Si curat cor spectantis tetigisse querela? *Hamaxica.*
Non satis est pulchra esse poemata, dulcia sunto Adag.
Et quocunque volent, animum auditoris agunto. *Ne magna*
Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt *loquaris.*
Humani vultus. Si vis me flere dolendum est
Primum ipsi tibi, tunc tua me infortunia lædent.
Telephe, vel Peleu, male si mandata loqueris, Aristot.
Aut dormitabo, aut ridebo. Tristia mœstum *in Poët.*
Vultum verba decent, iratum plena minarum, Nannius,
Ludentem, lasciva, severum, seria dictu. *lib.* 3.
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum: Juvat, aut impellit ad iram,

Aut ad humum mœrore gravi deducit, & angit:
Post effert animi motus interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis obsona dicta,
Chil. 1. *Romani tollent equites, peditesque cachinnum.*
centu. 3. *Intererit multum Davus ne loquatur an Heros:*
adag. *Maturus ne senex: an adhuc florente juventa*
57. Adag. *Fervidus, an matrona potens: an sedula nutrix:*
Tiresia *Mercator ne vagus: cultor ne virentis agelli:*
cæcior. *Colchus, an Assyrius: Thebis nutritus, an Argis?*

ECPHRASIS.

Roscius apud Cicer. *caput esse artis decere* solebat dicere: quod tamen unum id esse, quod tradi arte non posset. Et Cicero ipse: *Est*, inquit, *eloquentiæ sicut reliquarum rerum fundamentum sapientia. Ut enim in vita, sic in oratione nihil est difficilius, quam, quid deceat, videre.* ΠΡΕΠΟΝ *appellant hoc Græci. nos dicamus sane Decorum: de quo præclare & multa præcipiuntur: & res est cognitione dignissima. Hujus ignoratione non modo in vita, sed sæpissime & in poëmatis & in oratione peccatur. Est autem quid deceat Oratori videndum: non in sententiis solum, sed etiam in verbis. Non enim omnis fortuna, non omnis honos, non omnis autoritas, non omnis ætas, nec vero locus, aut tempus, aut auditor omnis eodem, aut verborum genere tractandus est, aut sententiarum. Hoc autem, in re de qua agitur, positum est, & in personis, & eorum qui dicunt, & eorum qui audiunt.* Hæc præclare Cicero, quæ nos aliquanto explicatius describemus. Qui negant esse artem in poëtica, næ illi multis modis falluntur. Nam si descriptas servare vices, aut non poteris, aut ignoraveris, cur nomen Poetæ tibi justè arrogaveris? An mavis cum pudore, & dedecore præcepta ignorare, quàm cum utilitate discere? Esto comœdia, & tragœdia iisdem numeris, & pedibus scribantur: an ideo non Tragœdiæ, atque Comœdiæ verba, & verborum, & personarum decorum longe distabunt?

Cicero.

Nam versibus exponi tragicis res comica non vult:
Indignatur item privatis ac prope socco
Dignis carminibus narrari cœna Thyestæ.

Singulis enim & verbis, & rebus decorum dandum est.

Interdum tamen & vocem comœdia tollit,

Tra-

Iramsque Chremes tumido dilitigat ore:
Et Tragicus plerumque dolet sermone pedestri.

Vides quomodo apposuerim differentiam in verbis ipsis, inter tragœdiam, & comœdiam. Nam comicam uno versiculo conclusi, eoque ex simplicibus & sine figuris verborum composito; Tragœdiam autem duobus, iisdemque & tropis & figuris adornatis. Itidem quum boatum comœdiæ volui declarare, duobus versibus plenis, sonoris, & figuratis rem ipsam explicavi, unico vero versiculo mansuetioris spiritus significationem declaravi. Et exempli causa addidi.

Telephus, & Peleus, cur pauper & exul uterque
Projicit ampullas, & sesquipedalia verba,
Si curat cor spectantis tetigisse querela?

Quum docere, movere, & delectare proprium sit & oratoris, & poëtæ munus: delectare magis ad verba, & actionem pertinet: Movere autem majoris est diligentiæ, & ad decorum maxime videtur spectare. Non itaque satis tibi sit pulchrum carmen composuisse, nisi dulcedinis & decori motus plurimum addideris. Quod si quomodo movere auditores possis, & in quemcunque affectum trahere velis, scire desideras: paucis accipe, quod quidam magni viri arte posse tradi pernegarunt. *Non me Hercule unquam* (inquit Antonius apud Ciceronem) *apud judices aut dolorem, aut misericordiam, aut invidiam, aut odium excitare dicendo volui: quin ipse in commovendis judicibus iis ipsis sensibus, ad quos illos adducere vellem, permoverer. Nec enim facile est perficere ut irascatur cui tu velis judex, si tu ipse id lente ferre videare: neque ut oderit eum, quem tu velis, nisi teipsum flagrantem odio ante viderit: neque ad misericordiam adducetur, nisi ei tu signa doloris tui verbis, sententiis, voce, vultu, collacrymatione denique ostenderis.* Hæc & alia Cicero ex Platone rectè docet. Nam humani vultus ridentibus arridere solent, & flentes adjuvare. Itaque, Telephe, vel Peleu, si vis me flere, dolendum tibi prius est, ut tua me commoveant infortunia: At vero si commendata tibi verba male, & sine decoro pronuntiaveris, aut dormitabo, aut ridebo cum aliis. Mœstum vultum tristia decent verba: minantia decent iratum: ludentem lasciva: & severum seria. *Paullum interesse censes* (inquit Terentius) *ex animo omnia, ut fert natura, facias, an de industria?* Natura enim informat nos intus juxta prosperam, aut adversam fortunam, tum deinde lingua interprete profert illos animi motus rite meditatos.

Verba Ciceronis.

Con-

Contra evenit, si dicentis fortunis absona dicta proferentur: non solum equites, qui melius sentiunt, sed etiam vulgus dicentem te exsibilabunt.

Jam igitur ut pedetentim ad fabulas examinandas & componendas accedamus: de decoro personarum circa fortunas, patriam, nationem, officia, pauca prælibemus. Alia est fortuna servorum, alia Heroum. Id est, Davi, & Herois, aque ita senes vel Tragicos vel Comicos depinges maturos: juvenes contra, juventute instimulante ferventes: matronas cum potestate, nutrices diligentes ac sedulas: vagantes per orbem mercatores: agricolas sollicitos & gnavos. Atque etiam nationes, & patriæ sunt adnotandæ. Nam Colchus aliter & vivit, & sentit ac Assyrius: & Thebani audiunt hebetes: ut Argivi callidiores.

ANNOTATIONES.

Projicit ampullas.) Placet Petrus Victorius: quum legit: *Cur projicis ampullas?* Nam Horatius aliquem Tragicum hic reprehendit, qui Telephum inducebat sonora, &, ut dicitur, hamaxiea verba resonantem, projicientem, & ejaculantem. In comment. Aristophanis legimus Telephum inflate loqui, quum id sit contra illius fortunæ decorum. Non igitur accedo Lamb. nec Turneb. *lib. 9. c. 23.*

Davus ne loquatur an Heros.) Heros retineo, quoniam Horatius de fortunis hominum agit. Et ita Heroes opponit servis. Et in hoc loco tam de personis Tragicis quàm Comicis agit, sive servis sive senibus & matronis.

De fabularum argumento, ex antiquis adsumto, vel nuper excogitato præcepta.

AUt famam sequere: aut sibi convenientia finge
Scriptor, honoratum, si forte reponis Achillem.
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Jura neget sibi nata: nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox, invictaque: flebilis Ino:
Perfidus Ixion: IO vaga, tristis Orestes:
Si quid inexpertum scenæ committis, & audes
Personam formare novam: servetur ad imum

Qua-

Qualis ab incepto processerit, & sibi constet.
Difficile est proprie communia dicere: tuque
Rectius Iliacum carmen deducis in actus:
Quam, si proferres ignota, indictaque primus.
Publica materies privati juris erit, si
Nec circa vilem patulumque moraberis orbem:
Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres: nec desilies imitator in arctum;
Unde pedem refferre pudor vetet, aut operis lex.

Adag. *Nemo quemquam prohibet.* Turneb. *lib.* 19. *c.* 9.

ECPHRASIS.

ARgumenta tragœdiarum in duplici genere constituuntur. Aut enim componis fabulam novam, quæ nusquam fuit: aut ex antiquis historiis reponis actionem, ut si Medeam, Achillem Orestemve adducas in scenam. Utriusque præcepta tibi subnectam. Si reponis antiquas Historias: sequere famam, quæ de illis pervulgata est: nec enim licet tibi fingere aliam Medeam, aut Achillem, quàm eos quos nobis fama tradidit, & depingit. Si autem fingis novam: dabis operam ut sibi omnia cohæreant, & inter se cohærentia conglutinentur. Prioris partis præcepta sunto. Si vis, verbi gratia, Achillem iterum in lucis auras revocare, attende quantus, & qualis sit Homerus in honorando Achille, Nam Thetis mater ab Jove nihil aliud petiit, nisi ut Achillem honoraret. Homerus sæpissime vocat Achillem *pedibus celerem*, id est impigrum, iracundum, inexorabilem, acrem, & qui jura contemnat, & qui viribus, & armis omnia velit sibi arrogare. Talem igitur depinges tuum Achillem, nec à fama, quam de illo concepisti, deflectas. Idem faciendum de Medea feroce, & invicta. De Inone flebili: de perfido Ixione, de Ione vaga, & Oreste tristi. Si vero ex te tibi fingere contingat novam aliquam fabulam curabis, ut ab ipso principio, ad finem usque servetur persona ficta, eodem tenore, & proportione, ne monstrum (dum personas fingis) contexere videaris. Credunt porrò vulgo, majus esse, & præstabilius fabulas nunquam visas, aut auditas suo Marte componere, quam ex poëtis, & fama promulgare. Ego contra sentio. Nam difficilius est ea quæ sunt communia, & cuique exposita, facere propria: quàm aliquid nunquam auditum excogitare. Nam tu si modo jam aliquis es in poësi, majore cum laude, atque rectius ex Homeri

poë-

poëmate Tragœdiam concinnabis, quàm si profferres ignota, & indicta primus. Id facillimè assequeris, & ex communi materia propriam efficies, si aliquos orbes, & periodos nullius veneris, & facillimæ diligentiæ prætereas: & quum aliquid accipis à poëta, non fueris interpres fidus, ut verbum verbo reddere sit necesse: nec ita filum poëtæ tuæ ducas, ut in rupes, aut arctum locum detrudaris, unde refferre pedem aut non possis, aut operis lex, (ut aliquid ad finem optatum ducas) non patiatur.

ANNOTATIONES.

Impiger, iracundus.) Julius Cæsar Scaliger in censura poëtarum sugillat Homerum, quod Achillem semper, & ubique vocet πόδας ὠκὺν, id est, velocem pedibus, nam si Achilles aut sedet, aut concionatur stans, quid attinet illum appellari perpetuo epitheto πόδας ὠκὺς ἀχιλλεὺς. At si Scaliger advertisset, quod ex hoc loco Horatiano fuerat advertendum, moderatius erga Homerum se gereret. Impiger vertit Horat. πόδας ὠκύς. Hoc epitheto cupiebat honorari Alexander ille Magnus, qui quum ab eo quæreretur, quo pacto tam brevi tempore tot res gestas confecisset, μηδὲν respondit ἀναβαλλόμενος, id est, *nihil in crastinum relinquens*. Et Julius Cæsar, quum Alexandri statuam intueretur, suspiria duxit, quòd ipse Alexandrum ætate superans ejus nondum facta, & res gestas exæquavisset.

Difficile est proprie.) Communia vocat Horatius quæ possunt esse multorum, quasi dicat: difficilius est Achillem ab Homero sumtum in actus disponere, quam novam personam fingere: unde cum majore honore, & elegantius efficies proprium, quod omnibus patebat, quam si nova tu ipse primus produceres.

Rectius Iliacum.) Id est, cum majori honore, id enim significat rectius apud Horatium, ut *lib.* 1. *epist.* 17. Rectius hoc, & splendidius multo est. Et rectè (quòd Hispanè dicimus, *honradamente.*) Horat *Saty.* 7. *serm.* 2. *ocia recte ponere.* Ibid. *Saty.* 8. *Præcincti recte pueri, comtique ministrent.* Male hæc interpretes.

Circa patulum orbem.) *Orbem* vocat, quod Græci periodum, Latine etiam dicitur ambitus, circuitus, circumscriptio. Cicer. *in Orat.* in Tucidide, orbem orationis desidero. Idem. 3. *Orat.* quum circuitum, & quasi orbem verborum conficere non possent.

Unde pedem refferre.) Refferre duplice ff, legendum est; ut notat Lamb. quod & Turnebus approbat, & ante eos

Achil-

Achilles Statius, qui ex antiquissimo codice hanc scripturam reposuit. Virgil. 4. *Georg.*

Jamque pedem referens casus evaserat omnes.

Re perpetuo brevis est, poteris tamen producere, si duas addas consonantes, *reffero*, *rettuli*, *rellatum*, *repperi*.

De servando decoro circa describendas ætates.

TU, quid ego, & populus mecum desideret, audi.
Si plausoris eges aulæ amanentis, & usque
Sessuri, donec cantat, vos plaudite, dicat: Adag. *Usque ad Plaudite.*
Ætatis cujusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusque decor naturis dandus, & annis.
Reddere qui voces jam scit puer, & pede certo Turneb *lib. 9. cap. 29.*
Signat humum, gestit paribus colludere, & iram
Colligit, ac ponit temerè, & mutatur in horas.
Imberbis juvenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis, canibusque & aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper, Adag. *Cera tractabilior.*
Utilium tardus provisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusque, & amata relinquere pernix.
Conversis studiis, ætas animusque virilis
Quærit opes, & amicitias inservit honori:
Commisisse cavet, quod mox mutare laboret.
Multa senem circumveniunt incommoda, vel quod
Quærit, & inventis miser abstinet, ac timet uti:
Vel quod res omneis timidè, gelideque ministrat:
Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri, Adag. *Semper superioris anni proventus melior.*
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, Censor, castigatorque minorum.
Multa ferunt anni venientes commoda secum:
Multa recedentes adimunt, ne forte seniles
Mandentur juveni partes, pueroque viriles.
Semper in adjunctis, ævoque morabimur aptis.

ECPHRA-

ECPHRASIS.

PRæscripsi, quid sit faciendum, quum fabulam ex communi acceptam facere propriam conaris. Nam sequenda fama est, nec ab illa unquam discedendum. Si vero novam fabulam fingas, quid deceat maxime & præcipue observandum sit, dilucide demonstrabo. Si vis, inquam, fabulam perfectam effingere, cui applaudatur, quam usque ad *Plaudite*, sedentes spectent: nulla re melius id assequeris, quàm si omni ætati quid sit decens, & decorum, animadverteris. Id te oportuit ex diversis autoribus, qui moralem philosophiam tractant, perscrutari, & collegisse. Sed ne tempus teras immensum in re perquirenda, paucis his versiculis, quid propriè unicuique sit tribuendum ætati, subministravi.

ANNOTATIONES.

Si plausoris eges.) Græco more genitivum verbis jungunt Poëtæ: sed nec Græce, nec Latine verbum ullum genitivum regere reperietur. Sed quia Græci sæpissime utuntur genitivo suppressa ἐκ vel ἐξ, præpositione, Latini sibi eam phrasim arripuerunt, quamvis genitivo locus apud Latinos non sit. Apud Home. est λῆγε ἔριδος, & λῆγε χόλου, id est, *desine contentionis, abstine iræ.* Hinc Horat. *desine mollium querelarum, & abstine irarum calidæque rixæ.* Sed non ideo præcipiendum Grammaticis est, *abstineo irarum*, neutrum esse primæ (ut somniant) speciei. Sed hæc levia. Illud magis advertendum, quo sensu dixerit Horat. *Si plausoris eges*: & in epistolis: *Plane egeo jam?* Nam hic *egeo* non significat esse in egestate, aut necessitate, sed peculiaris cujusdam est significationis, ut illud Martialis. *Ficosa est uxor, ficosus & ipse maritus: sed nec villicus ulcere turpi eget*, id est, caret, aut alienus est.

Laudator temporis acti se puero.) Quærit Laurentius Valla possit ne dici Latine. *Me puero audivi*, & contendit posse dici ex hoc Horatii testimonio, sed ille male hic constituit: non enim dicendum est: *laudator se puero: sed temporis acti se puero*: id est, temporis quod actum est se puero.

Non

Non omnia in tragœdiis agenda, sed multa tanquam acta recitanda.

AUt agitur res in scenis, aut acta refertur. Adag.
Segnius irritant animos dimissa per aurem, Oculis
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus, & quæ magis
Ipse sibi tradit spectator. Non tamen intus habenda
Digna geri, promes in scenam: multaque tolles fides,
Ex oculis, quæ mox narret facundia præsens. quam auribus.
Nec pueros coram populo Medea trucidet: Contra
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus; Euripidem
Aut in avem Progne vertatur, Cadmus in anguem. ex Arist.
Quodcunque ostendis mihi sic, incredulus odi. Poëtica.

ECPHRASIS.

DIximus de decoro personarum, nunc de rebus ipsis; quæ aguntur, dicendum est. Quoniam oculis (ut est in proverbio) magis habenda fides, quam auribus: quæ digna sunt visu, ne narrentur ut facta, & transacta. Non tamen propterea cuncta sunt oculis subjicienda, etiam si miranda sint. Melius etenim facundia præsens hæc narrabit: Laniam deglutisse puerum, quem vivum ex ejus ventre patres extraxerunt, quàm id factum oculis ostendatur. Simili modo, nec Medea suos filios coram trucidet, sed trucidasse narretur: nec Atreus filios coquat, aut Progne vertatur in hirundinem, aut Cadmus in anguem. Hæc enim, & similia, quia non credibilia sunt, odium potius inducunt, quàm admirationem.

ANNOTATIO.

Segnius irritant.) Quia dixerat Democritus νοῦς ὁρᾷ, καὶ νοῦ ἀκούει, cæt. id est, *Mens videt, mens audit, cætera omnia surda & muta*: Horatius dixit: *demissa per aurem segnius commovent animos.* Quasi dicat, oculi non vident, nec aures audiunt, sed per hos sensus animus commovetur. Vide hic Lamb.

De partibus fabularum, & de personarum numero.

Adag. *Supremum fabulæ actum addere.*

NEve minor, neu sit quinto productior actu
Fabula, quæ posci vult, & spectata reponi.
Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit: nec quarta loqui persona laboret.

ECPHRASIS.

JAm deinceps de partibus ipsius fabulæ, & de numero personarum ratio postulat, ut differamus. Quum tragœdia, sic unius solis, id est, unius diei repræsentatio, in quinque actus commodè dividetur. Hoc est in quinque confabulationes, quarum unaquæque suam comœdiolam absolvit, & proscenium deseritur à personis vacuum. Personas deorum inserere, nec decens est, nec necessarium, nisi talis nodus incidat, ut humana diligentia dissolvi non possit; quatuor personæ simul confabulantes non patitur decor, sed si quatuor adesse necesse sit, una illarum, aut etiam duæ secreto, & velut sermonem captantes loquantur. Vide hic Lambinum.

De choro, & ejus officio.

Turneb *lib.* 19. *cap.* 9.

AUtoris partes chorus, officiumque virile
Defendat: neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat, & hæreat apte.
Ille bonis faveatque, & consilietur amicè:
Et regat iratos, & amet pacare timenteis.
Ille dapes laudet mensæ brevis: ille salubrem
Justitiam, legesque & apertis otia portis.
Ille tegat commissa: Deosque precetur, & oret,
Ut redeat miseris, abeat fortuna superbis.

Turneb *lib.* 19. *cap.* 9.

ECPHRASIS.

OFficium chori judico esse officium virile defendere; hoc est ut virtutis partes tueatur. Nihil insuper inter medios actus canat, quod ad propositum tragœdiæ non faciat. Faveat bonis, & amice illis concilietur, Et regat

iratos; & amet timentes peccare. Laudet item frugalitatem, laudet justitiam, atque leges, Deis item supplicet pro miseris, & infortunatis, & contra superbos fortunam, ut ab illis secedat, comprecetur.

ANNOTATIONES.

Actoris partes chorus.) Chorus inducebatur in tragœdiis, ut intelligeretur, quis esset sermo popularis, dum Hercules insaniret, vel Phædra deperdendo Hippolyto consilium iniret, isque aliquando agebat partes Actoris, id est, vel laudabat, vel improbabat, quæ actor ipse, vel laudaret, vel improbaret. Sed si legas, *Auctoris partes defendat*, quod rectius puto hic est sensus. Tragœdi (ut ait Martialis in *epist. lib.* 2.) utebantur prologo aliquo, vel epist. quæ pro se loqueretur apud Cæsares, vel apud populum, quia videlicet in ipsa actione actionem suam, vel tragœdiæ autorem laudare non poterant. Itaque, inquit Horatius, defendat chorus partes poëtæ, dicatque recte, & ex more finxisse Poëtam illos actus.

Officiumque virile.) Quærit Aristot. *lib.* I. *Ethic. cap.* 7. quodnam sit proprium hominis officium, hominis, inquam, non quatenus præses, episcopus, aut Senator est, sed quatenus homo. Concludit tandem Arist. vivere secundum virtutem, id demum esse proprium hominis officium.

De tibiis, tibicinibus, & fidicinibus.

Tibia non, ut nunc, orichalco juncta, tubæque
Æmula, sed tenuis, simplexque foramine pauco
Aspirare, & adesse choris erat utilis, atque
Nondum spissa nimis complere sedilia flatu.
Quo sane populus numerabilis, utpote parvus,
Et frugi, castusque, verecundusque coibat.
Postquam cœpit agros extendere victor, & urbem,
Latior amplecti murus, vinoque diurno
Placari Genius festis impune diebus, Turn
Accessit numerisque modisque licentia major. lib. 15
Indoctus quid enim saperet, liberque laborum c. 9.
Rusticus urbano confusus, turpis honesto?
Sic priscæ motumque & luxuriam addidit arti

Tibicen, traxitque vagus per pulpita vestem.
Sic etiam fidibus voces crevere severis:
Et tulit eloquium insolitum facundia præceps.
Utiliumque sagax rerum, & divina futuri,
Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.

ECPHRASIS.

NOn audeo reprehendere luxuriam, & apparatum tibiarum & tibicinum nostri temporis, etiam si contra decorum, & præter morem priscum sobrietatis tragœdiis admisceantur. Nam olim ad fabulas audiendas populus castus, frugi, & verecundus accedebat, & quum pauci convenissent, tibia tenuis, simplex, & foraminibus paucis satis erat. Sed postquam Roma facta est amplior, & in ditionem suam vicinos populos subegit, omnes convolvebantur permisti in theatro, sine lege, atque ordine. Atque adeo cibo, & potu repleti, quia jam sacrificaverant, nec enim vitio dabatur de die potare, si id in sacris fieret. Tunc, inquam, permissum fuit, ut majores tibiæ, & ornatiores, & tubæ pares in theatrum inducerentur. Atque adeo eo licentiæ processerunt, ut tibicines, non jam sedentes, sed longis, & pretiosis induti vestibus per theatrum deambularent, ut simul à doctis, & indoctis, rusticis & urbanis exaudirentur. Fidicines item contra severum, & antiquum morem chordas fidibus addiderunt: & non jam trivialibus canticis contenti sententias non dissimiles Delphicis oraculis concinuerunt.

ANNOTATIONES.

Indoctus quid enim.) Non accedo aliis. Sensus est; Majore tuba opus fuit propter ignorantiam vulgi, & propter stipatam multitudinem. Melius enim, non tamen suavius, majorum instrumentorum sonitus, & quasi tonitrua percipiuntur.

Et tulit eloquium.) Facundia illa fidicinum, ita elaborata, & eloquens sese extulit, ut providens, & saga; & divinatrix rerum utilium judicaretur, quemadmodum Apollinis oracula credebatur. *Præceps* autem est quod antecapit, id est, providens, vel obscura, & quasi enthea, ut fatidica.

De Saturis, five de Epifodiis inter actus.

Carmine qui Tragico vilem certavit ob hircum
Mox etiam agresteis Saturos nudavit: & asper
Incolumi gravitate jocum tentavit, eo, quod
Illecebris erat, & grata novitate morandus
Spectator, functusque sacris, & potus, & exlex
Verum ita risores, ita commendare dicaces
Conveniet saturos, ita vertere seria ludo:
Ne quicunque Deus, quicunque adhibebitur heros
Regali conspectus in auro nuper, & ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas:
Aut dum vitat humum nubeis, & inania captet.
Effutire leveis indigna Tragœdia versus
(Ut festis matrona moveri jussa diebus)
Intererit Saturis paulum pudibunda protervis.
Non ego inornata, & dominantia nomina solum,
Verbaque, Pisones, Saturorum scriptor amabo:
Nec sic enitar tragico differri colori
Ut nihil intersit Davus ne loquatur, an audax
Pythias emuncto lucrata Simone talentum:
An custos, famulusque Dei Silenus alumni.
Ex noto fictum carmen sequar, ut sibi quivis Isocrat. *Panath.*
Speret idem, sudet multum, frustraque laboret,
Ausus idem: tantum series juncturaque pollet,
Tantum de medio sumtis accedit honoris. Cœl. Rhodi. *lib. 8. c. 8. de triplici scena.*
Silvis deducti caveant, me judice, Fauni,
Ne velut innati triviis, ac pene forenses,
Aut nimium teneris juvenentur versibus unquam:
Aut immunda crepent, ignominiosaque dicta.
Offenduntur enim, quibus est equus, & pater, & res: Adag. *Ciceris emtor.*
Nec si quid fricti ciceris probat, & nucis emtor,
Æquis accipiunt animis, donantve, corona.

ECPHRASIS.

QUum antea tragœdia tota esset lacrymabilis, & aspera, postea inventum est ab ipsis poëtis, quomodo servata gravitate tragœdiæ ridere possent auditores. Inventa igitur sunt Episodia, id est, genus quoddam fabularum, quod caneretur, sive ageretur inter actus tragœdiarum. Sed illæ fabulæ interlocandæ in personis Saturorum, aut Faunorum melius explicare censuerunt, quàm in vilium servorum, & congerronum sermonibus. Sed ego ita jubeo has actiones Saturorum attemperari, ut nec versibus tragicis & inflatis recitentur, nec rursus humi repant, & à tragœdiæ gravitate desciscant. Nec etiam velim, ut qui modo agit, vel deum, vel heroa, idem humili sermone saturos agens inducatur, aut etiam gravissimis verbis ad nubes, & inania ætheris videatur evolare. Sed ita tragœdia saturis intererit, ut matrona, quum festis diebus inter villicos ut saltet rogata, non saltat, sed tamen pudibunda cum decoro movetur. Quod si dicas te non posse componere Saturos sine verbis inornatis & dominantibus, ita ut clare & palam unicuique rei, etiam obscenæ, verba propria reddantur: dicam tibi, facile esse homini experto ex tritis vulgo verbis sine ullis ornamentis (dum modo callida junctura, ut dixi non desit) telam posse texere, qua facile possint Saturi discriminari in tragœdiis à facetis personis servorum, vel ancillarum in comœdiis. Possum ego ex notis verbis carmen effingere, quod quivis se posse putet idem facillime adsequi, sed quum idem facere tentaverit, ludet operam, si caret arte. Quapropter, enitendum est, ut quum jam Saturos, vel Faunos nudaveris in tragœdia, ne loquantur spurce, aut trivialia dicteria crepent, aut nimium juvenilia verba effutiant. Nam sic non solum equites, & patricii offenduntur, sed nec etiam ex trivio homines, & qui cicer frictum & nuces plebeculæ vendunt, id possunt approbare, aut præmio dignum existimare.

ANNOTATIONES.

Agit hic Horatius de Episodiis, quos Hispani vocant *Entremeses*, quia inter medios actus inserantur. *Episodium* (teste Suida) *est, id quod inducitur, & adjicitur præter legitimam fabulam risus gratia.* In comœdia callidus Davus, aut audax ancilla Pythias, quum emunxit talento senem,

nem; hos risus movet: at in tragœdia gravioribus aliquanto personis id tribuendum, quales sunt Sileni, Fauni, Saturi, qui salva tragœdiæ gravitate moderatos risus movere, non cachinnos debet excitare.

Effutire leves.) Ordo est, tragœdia, quum sit indigna effutire leves versus, intererit paulum pudibunda Saturis protervis, quemadmodum matrona jussa moveri inter paganos festis diebus. Porro *intererit*, idem valet quod immiscebitur. Cicer. *in epist. qui nostro sermone interfuit.* Idem, *qui non solum interfuit, sed etiam præfuit.*

De primis inventoribus tragœdiarum, comparat antiquos Græcos cum sui temporis Latinis.

IGnotum tragicæ genus invenisse camœnæ
Dicitur & plaustris vexisse poemata Thespis,
Quæ canerent, agerentque peruncti fæcibus ora.
Post hunc personæ, pallæque repertor honestæ
Æschylus: & modicis instravit pulpita tignis
Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.
Successit vetus his comœdia, non sine multa
Laude: sed in vitium libertas excidit, & vim
Dignam lege regi. Lex est accepta, chorusque
Jupiter obticuit sublato jure nocendi.
Nil intentatum nostri liquere poetæ:
Nec minimum meruere decus, vestigia Græca
Ausi deserere, & celebrare domestica facta,
Vel qui Prætextas, vel qui docuere togatas.
Nec virtute foret, clarisve potentius armis
Quam lingua Latium; si non offenderet unum-
Quemque poetarum limæ labor, & mora. Vos ô
Pompilius sanguis carmen reprehendite, quod non
Multa dies, & multa litura coercuit, atque
Perfectum decies non castigavit ad unguem. Adag. *Ad unguem.*

ECPHRASIS.

ABsolutis partibus comœdiæ, & tragœdiæ; restant (ut nihil quæ ad fabulas attinent transeamus) quæ notari non sit præter incertum. Dicemus igitur de primis inventoribus tragœdiarum: deinde quæstionem absolvemus, ingenium ne, an ars plus in componendis carminibus operetur. Thespis igitur Poëta primus invenit Tragicum dicendi genus, sed nec personam, nec fixum & stabile theatrum invenit: nam in plaustris per vias, & vicos ferebat actores, & sine personis illis, tantum fæcibus facie peruncta in theatrum educebat. Æschylus post hunc cothurnos, pallam, & aulæa, cæteraque addidit ornamenta. Vetus comœdia successit, in cujus choris vitia publica notabantur. Sed postea lege lata chori sunt sublati, quia turpiter nocendi jus publicatum fuit. Hæc de Græcis.

Nostri autem Latini, & Græcos sunt imitati, & proprio etiam marte togatas, & prætextatas comœdias in lucem protulerunt. Et credo, non solum armis, sed etiam eloquio Græcos superassent, si modo limare, dolare, polire cum aliqua mora ea, quæ scripserunt, sibi imperassent. Quare vos Pisones generosi, qui à Numa Pompilio genus ducitis, nolite laudare carmen, quod multum diuque limatum, atque expolitum non sit.

ANNOTATIONES.

Personæ repertor.) πρόσωπον vel προσωπεῖον dicuntur fictæ facies, ut ne veræ actorum facies agnoscantur. Persona igitur semper hoc significat, unde *personatus histrio*, & *personata herba*, quæ folia habet latissima, ex quibus olim pueri personas sibi effingebant. Nostri Grammatici fœde pessime decepti personas agentes, & patientes invenerunt, ut in hac oratione: *Petrus legit carmina. Petrus* (inquiunt) est persona agens, & *carmina* persona patiens. O monstrum horrendum, informe cæcum, & Grammaticorum abortu dignum: Persona in verbis solummodo reperitur, & est terminatio illa seu facies, quam triplicem ostendit verbum in utroque numero, primam, secundam, tertiam, ut *legi*, est prima persona, *legisti*, secunda: cæt. unde recte dicitur. *Petrus* est tertiæ personæ suppositum: Item rectè dicitur. *Petrus* est tertiæ personæ, *ego* est primæ, *tu* secundæ, non autem prima, aut secunda.

Jupi-

Jupiter obticuit.) Ordo est: Chorus atque obticuit, sublato jure nocendi Jupiter.

Nil intentatum.) Cicero dicit, nostros aut melius invenisse, aut inventa à Græcis fecisse meliora.

Contra illos qui naturam arti præponebant, vera præcepta, in quatuor capita divisa.

INgenium misera quia fortunatius arte
Credit, & excludit sanos Helicone poetas
Democritus: bona pars non ungueis ponere curat,
Non barbam: secreta petit loca, balnea vitat.
Nanciscetur enim pretium nomenque poetæ:
Si tribus Antyciris caput insanabile nunquam Adag. *Naviget Antyciras.*
Tonsori Licino commiserit. O ego lævus!
Qui purgor bilem sub verni temporis horam.
Non alius faceret meliora poemata: verum
Nil tanti est. Ergo fungar vice cotis: acutum
Reddere quæ ferrum valet, exors ipsa secandi.
Munus, & officium, nil scribens, ipse docebo.
Unde parentur opes: quid alat, formetque poetam:
Quid deceat, quid non: quo virtus, quo ferat error.

Ecphrasis.

QUia dixit Democritus poëtas non fieri, sed ingenio & natura constare: maxima pars poëtarum (ne videantur miseræ arti aliquid tribuere) secreta petit loca, non barbam, non ungues deponit, non balnea frequentat, sic enim credit facile nomen poëtæ, sibi comparari: si nunquam caput (quod alias tota Antycira non purgabit) tonsori expurgandum commiserit. O me lævum, & miserum, qui sæpe purgor vere ineunte. Quod si non fieret, nemo me poëta dexterior extitisset. Sed valeant poëmata, non enim tanti mihi est esse poëtam, quam capite vivere puro, & defæcato. Attamen quid prohibet, me limam esse poëtarum, etiam si poëta non sim? Nam & cotes dant ferro aciem, quum ipsæ aciem non habeant. Si me igitur audies, quatuor tibi præceptorum formas, & documenta dabo, quibus instructus addiscas.

Unde

Unde parentur opes:
Quid alat, formetque poëtam:
Quid deceat, quid non:
Quo virtus, quò ferat error.

ANNOTATIONES.

Si tribus Antyciris.) Antycira non insula est, sed inter Achaiæ urbes una celebris eleboro, qua herba purgabantur Romani. Unde proverbium contra insanos: *Bibe eleborum.* Hisp. *vedegambre.*

Qui purgor bilem) *Purgor* legendum, non *purgo*, & deest κατὰ, ut, *frangitur membra: expleri mentem nequit.*

Unde parentur opes.

SCribendi rectè sapere est, & principium, & fons.
Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ.
Verbaque provisam rem non invita sequentur
Qui didicit patriæ quid debeat, & quid amicis
Quo sit amore parens, quo frater amandus, & hospes.
Quod sit conscripti, quod judicis officium, quæ
Partes in bellum missi ducis: ille profectò
Reddere personæ scit convenientia cuique.
Respicere exemplar vitæ, morumque jubebo
Doctum imitatorem, & veras hinc ducere voces.
Interdum speciosa jocis morataque recte
Fabula nullius Veneris, sine pondere, & arte
Valdius oblectat populum, meliusque moratur,
Adag. *Quam versus inopes rerum nugæque canoræ.*
Bullatæ *Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo*
nugæ. *Musa loqui, præter laudem nullius avaris.*
Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in parteis centum diducere: dicat
Filius Albini: Si de quincunce remota est
Uncia, quid superat? Poteras dixisse: Triens: Eu
Rem poteris servare tuam. Redit uncia: quid fit?
Adag. *Semis. An hæc animos ærugo, & cura peculi*
Digna *Quum semel imbuerit speramus carmina fingi.*
cedri. *Posse, linenda cedro, & lævi servanda cupresso?*

ECPHRA-

Ecphrasis.

Scribendi rectè fons est ipsa sapientia. Nam sine sapientia & perfecta doctrina frustra ad ingenium & naturam confugies. Materia oratoris & poëtæ (ut diximus) constat ex rebus, & verbis. Sed tibi rerum præcipua cura sit, nam rebus inventis, & perceptis facile verba & nomina coaptantur. Rem non aliunde quam ex penetralibus philosophiæ, præcipue moralis, qualis Socratica fuit, poteris indagare. Si enim ignores quid patriæ debeas, quid amicis: quo sit prosequendus amore pater, frater, & alienus: si nescias quod sit senatoris, & judicis officium, quæ sint partes ducis ad bellum missi, quomodo propriè poteris unicuique personæ munus conveniens assignare? Jubeo itaque doctum poëtam, ut proponat sibi ad imitandum vitæ atque morum exemplar, nam si diligenter naturam intuearis, vix errare poteris. Imo vero id affirmo, magis, & validius commoveri, & excitari populum fabulis bene moratis, sine pondere & arte confictis: quàm versibus inflatis, & sublimibus sine rebus, & sententia. Græcos itaque semper censeo imitandos, qui nullius rei avari sunt, præterquam laudis, & gloriæ? Nam à Romanis quid speremus, qui pueros suos sic instituendos curant, ut arte numerandi evadant quam instructissimi, discunt enim assem, non tantum in duodecim partes, ut moris est, dissecare, sed etiam in centum particulas deducere. Dicat, verbi gratia, filius Albini: Si de quincunce auferas unciam, quid remanet? eia cito responde, quid moraris? jam oportuit dixisse, Triens inquit: Euge laudo: sic enim tuam rem poteris conservare. Redit uncia, inquam, quid fiet? Respondet: Semis, An tu, quum hæc mala ærugo, & cura peculii animos semel imbuerit, sperabis carmina posse fingi, quæ cupresso, & cedrinis tabulis includi mereantur?

Annotationes.

Rem tibi Socratica.) Rem vocat argumenta prævisa, & sententias è philosophia petitas. Nam, ut diximus, omnis materia oratoris in rem & verba divisa est. Unde Cicer. in 2. *Orat. verba igitur mihi reliquit Antonius, rem ipse sumsit.*

Quam versus inopes rerum.) Cicer. *Orat. Si res non subest ab oratore percepta, & cognita, aut nulla sit oratio necesse.*

necesse est, aut omnium irrisione ludatur. Quid est enim tam furiosum, quam verborum, vel optimorum, atque lectissimorum sonitus inanis, nulla subjecta sententia, nec scientia. Ex his Ciceronis verbis non mediocriter illustratur Persius in prima satura, qui poëtas sui temporis picas, & psitacos recte vocat, qui verba sine sensu, & re, atque medulla garriant. Nec reprehendit illa carmina identidem citata, quia mala carmina sint: quid enim mollius & dulcius quam,

Et qui cæruleum dirimebat Nerea Delphin, Et
Sic costam longo subdiximus, Apennino, cæter-

Sed ideo reprehendit, quia solum carmina sint sonora; dulcia, mollia, sed rebus carentia, ac proinde furiosa. Fallitur Quintilianus, cum cæteris Grammaticis, quum putat vitiosum esse carmen, quum cluditur *Armamentis*; *Oriona*, *Apennino*. Nam Homerici versus non fere aliter clauduntur, quo pede poetæ Latini parcius utuntur; quia nimium delicate sonat, & molliter, & Latini (ut ait Martialis) *musas colimus severiores.*

Poteras dixisse.) Locus obscurus, & male dispunctus. Sic dispunge: *si de quincunce remota est uncia, quid superat? Poteras dixisse, triens? Poteras dixisse*, sunt verba interrogantis, & instantis, ut propere, & sine cunctatione, respondeat puer, cui puer propere respondet, dicens, *triens superat. Poteras dixisse.* Hispanè, *ya avia de estar dicho*, id est, jam oportuit te responsum dedisse.

At hæc animos.) Alii legunt, *ad hæc animos*, mihi placet, *an hæc animos?*

Quid alat, formetque poëtam.

Aut prodesse volunt, aut delectare poetæ
Aut simul & jocunda, & idonea dicere vitæ.
Adag. *Quidquid præcipies esto brevis: ut cito dicta*
Grata brevitas. *Percipiant animi dociles, teneantque fideles*
Omne supervacuum pleno de pectore manat.
Ficta voluptatis causa sint proxima veris,
Nec quodcunque volet, poscat sibi fabula credi:
Turneb *Neu pransæ Lamiæ vivum puerum extrahat alvo.*
lib. 19. *Centuriæ seniorum agitant expertia frugis:*
cap. 9. *Celsi prætereunt austera poemata Rhamnes.*

Omne

Omne tulit punctúm, qui miscuit utile dulci, Adag. Omne tulit punctum.
Lectorem delectando, pariterque monendo.
Hic meret æra liber Sosiis, bis & mare transit.
Et longum noto scriptori prorogat ævum.
Sunt delicta tamen quibus ignovisse velimus.
Nam neque chorda sonum reddit, quem vult manus, & mens
Poscentique gravem persæpe remittit acutum.
Nec semper feriet quodcunque minabitur arcus. Adag. Procridis telum.
Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura: quid ergo?
Ut scriptor si peccat idem librarius usque,
Quamvis est monitus venia caret; & citharœdus
Ridetur chorda qui semper oberrat eadem: Adag. Eadem oberrare chorda.
Sic mihi, qui multum cessat fit Clerilus ille,
Quem bis, terque bonum cum risu miror: & idem
Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus:
Verum opere in longo fas est obrepere somnum.

ANNOTATIONES.

Quidquid præcipies esto brevis.) Quid sit brevitas apud Rhetores pauci admodum intelligunt, imo multi decipiuntur, ex illo Horatiano, *Brevis esse laboro, Obscurus fio*; brevitas in scriptoribus, summa virtus est. Ea non debet esse conscissa, nec trunca, tunc enim obscurus erit scriptor, sed ornata, polita, & picturata, non tamen plus, aut minus dicat quàm necesse sit.

Quandoque bonus.) Id est, quotiescunque, vel, quandocunque. Hæc vox *quandoque* male accipitur à Grammaticis, nihil enim minus significat, quam quod illi somniant. Vide late nostram *Minervam*.

Quid

Quid deceat, quid non.

Adag. *Liberi poëtæ & pictores.*

UT *pictura poesis: erit, quæ si propius stes*
Te capiet magis, & quædam, si longius abstes,
Hæc amat obscurum, volet hæc sub luce videri
Judicis argutum, quæ non formidat acumen.

Adag. *Bis ac ter quod pulchrum est.*

Hæc placuit semel, hæc decies repetita placebit.
O major juvenum, quamvis & voce paterna
Fingeris ad rectum, & per te sapis; hoc tibi dictum
Tolle memor: certis medium, & tolerabile rebus
Recte concedi. Consultus juris, & actor

Adag. *Crambe bis posita.*

Causarum mediocris abest virtute diserti
Messalæ, nec scit quantum Casselius Aulus:
Sed tamen in pretio est: Mediocribus esse poetis
Non homines, non dii, non concessêre columnæ.
Ut gratas inter mensas symphonia discors
Et crassum unguentum, & sardo cum melle papaver
Offendunt, poterat duci quia cœna sine istis:

Adag. *Oportet remum ducere, qui didicit.*

Sic animis natum, inventumque poëma juvandis,
Si paulum summo discessit, vergit ad imum.
Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis,
Indoctusque pilæ, discive, trochive quiescit:
Ne spissæ risum tollant impunè coronæ.

Adag. *Invita Minerva.*

Qui nescit, versus tamen audet fingere: quid ni?
Liber, & ingenuus, præsertim census equestrem
Summam numorum, vitioque remotus ab omni.
Tu nihil invita dices, faciesve Minerva.

Adag. *Festina lente.*

Turneb *lib.* 17. *c.* 17.

Id tibi judicium est, ea mens: si quid tamen olim
Scripseris in Mecii descendat judicis aureis,
Et patris, & nostras: nonumque prematur in annum:
Membranis intus positis delere licebit,

Adag. *Levissima res oratio.*

Quod non ædideris: Nescit vox missa reverti.
Sylvestres homines sacer, interpresque Deorum
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus:

Dictus

Dictus ob hoc lenire Tygres, rabidosque leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere sono testudinis, & prece blanda
Ducere, quo vellet. Fuit hæc sapientia quondam.
Publica privatis secernere, sacra prophanis,
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno:
Sic honor, & nomen divinis vatibus, atque
Carminibus venit. Post hos insignis Homerus
Tyrteusque mares animos in Martïa bella,
Versibus exacuit: Dictæ per carmina sortes
Et vitæ monstrata via est: & gratia regum
Pieriis tentata modis, ludusque repertus:
Et longorum operum finis, ne fortè pudori
Sit tibi Musa lyræ solers, & cantor Apollo.

Ecphrasis.

Ut pictura poësis (aiunt) est enim aliqua pictura quæ propius, alia quæ longius posita delectat, quædam amat obscura loca, quædam lucem, ea videlicet, quæ judicis arguti non timet acumen, quædam etiam semel visa placuit, alia decies repetita placebit. Hæc & alia pulchrè dicuntur, sed quomodo poësi possint adaptari non video. Tu autem major juvenum (adultioribus enim hoc præceptum competit) sic habeto. Mediocribus poëtis nusquam esse locum, Jurisconsultus mediocris ferri potest. Actor item causarum mediocris in pretio est: in poësi tamen, quidquid non summum est, repere dicetur. Quemadmodum enim in convivio lauto poteris musica, & unguentis & melitis placentis supersedere, nisi sint hæc eximia, & præclara, sic in juvandis & mulcendis animis (ad quod munus inventum est poëma) mediocris poësis non est necessaria. Quum tamen hæc sint Pythiis oraculis veriora, nemo fere est, qui non se nominari poëtam non indignetur, quid ni? liber sum, dicet, & ingenuus, ac à vitiis alienus, & insuper eques Romanus. Quanto rectius illi, qui vocati ad arma in campo Martio, aut jactum disci, aut ad pilæ, trochive ludum invitati se excusant, quia id non didicerint, ne astantibus

risum

risum moveant, tu autem, o major juvenum, consule *Minervam*, nec tibi alium judicem, aut judicium comparabis: quæ scripseris, trade doctis corrigenda, deinde per aliquot annos in scriniis servabis, ut possis quotidie, aut subinde mutare, delere, corrigere, quod facere non poteris, si statim in vulgus præcipites. Nescit enim vox missa reverti. At dices: quid pro tantis, & tot laboribus præmii consequar? Dico tibi, nihil esse in humana vita boni, quod non poësi refferre debeamus acceptum. Nam Orpheus ille, ideo dictus est lapides movisse, & arbores traxisse. Item Amphionem quoque cantu Thebanos muros instruxisse: quia silvestres homines ad politiam, & leges, & ad agendam vitam suaviorem cantu suo potuerunt pellicere, & attrahere. Illis debemus leges divinas, & humanas, connubia stabilia, & civitatum molimina. Inde jam cœperunt vates vocari divini Nam sortes, & oracula carmine composita dabantur. Post hos insignis fuit Homerus, qui non solum bella, & bellorum doctrinam conscripsit, sed hymnos in deorum laudes composuit excellentes. Quem etiam secutus est Tyrteus, qui solis carminibus virtute Lacedæmonios ad bella reddidit fortiores. Gratia majorum regum cantu musarum est impetrata. Quare non est, cur nomen poëtæ tibi putes dedecori, cui præsunt & Musæ, & ipse pa[illegible] musarum Apollo.

ANNOTATIONES.

Ut pictura poësis.) Locus obscurus, nec ante me à quoquam intellectus. Sic est dispungendus: *ut pictura, poësis: erit, quæ si propius stes.* cæt. id est, jam persuasum est omnibus ex Platone, Aristotele, & aliis, Picturam simillimam esse poësi: Atque ita quemadmodum sunt variæ picturarum formæ, ita etiam esse posse poeseos. Ego vero nil minus approbo: imo vero illud affirmo: poetam, nisi summus fuerit, procul rejiciendum.

Mediocribus esse poetis.) Hoc dictum videtur improbare Cicero *in Oratore perfecto*, sed non improbat. Nam omnes poëtæ, quos celebravit antiquitas, summi sunt, nullus mediocris, etiam si Lucanus minor sit Virgilio, nec potest fieri collatio Virgilii ad Terentium, vel Senecam, quoniam diversi sunt generis, & in unoquoque quisque maximus. Verba Ciceronis citat Lambinus.

Et

Et sardo cum melle pap.) Periphrasis est placentæ, quas in secundis mensis apponebant: de iis placentis intelligo Virgilianum illud. *Æneid.* 4.

---- Epulasque draconi, Quæ dabat----
Spargens humida mella soporiferumque papaver.

Quod viris doctissimis semper negotium exhibuit.

Quo virtus, quo ferat error.

Natura fieret laudabile carmen, an arte
Quæsitum est. Ego nec studium sine divite vena:
Nec rude quid prosit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res, & conjurat amice.
Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudavit, & alsit: Adag.
Abstinuit Venere, & vino: qui Pythia cantat Nec cōpluitur,
Tibicen, didicit prius, extimuitque magistrum. nec sole
Nunc satis est dixisse: ego mira poemata pango. auritur.
Occupet extremum scabies: mihi turpe relinqui est:
Et quod non didici sane nescire fateri.
Ut præco ad merces turbam qui cogit emendas,
Assentatores jubet ad lucrum ire poeta
Dives agris dives positis in fœnore nummis. Satur. 2. lib. 1.
Si vero est, unctum qui recte ponere possit,
Et spondere levi pro paupere: & eripere atris
Litibus implicitum; mirabor, si sciet internoscere mendacem verumque beatus amicum.
Tu seu donaris, seu quid donare voles cui,
Nolito ad versus tibi factos ducere plenum
Lætitiæ. Clamabit enim: pulchre, bene, recte:
Pallescet super his, etiam stillabit amicis
Ex oculis rorem, saliet, tundet pede terram: Adag.
Ut qui conducti plorant in funere, dicunt; Veritatis simplex ratio.
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo: sic
Derisor vero plus laudatore movetur.

Reges dicuntur multis urgere colullis,
Adag. *Et torquere mero, quem perspexisse laborant,*
In vino *An sit amicitia dignus: si carmina condes,*
veritas. *Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes.*
Quintilio, si quid recitares, corrige, sodes,
Hoc aiebat, & hoc, melius te posse negares,
Bis, terque expertum frustra, delere jubebat,
Adag. *Et male tornatos incudi reddere versus.*
Incudi *Si defendere delictum, quam vertere malles,*
reddere. *Nullum ultra verbum, aut operam sumebat inanem.*
Adag. *Quin sine rivali teque, & tua solus amares.*
Sine ri- *Vir bonus, & prudens versus reprehendet inerteis,*
vali di- *Culpabit duros, incomtis allinet atrum*
ligere. *Transverso calamo signum, ambiciosa recidet*
Adag. Ungui *Ornamenta, parum claris lucem dare coget,*
notare. *Arguet ambigue dictum, mutanda notabit,*
Fiet Aristarchus, nec dicet, cur ego amicum
Adag. Stellis *Offendam in nugis? hæ nugæ seria ducent*
signare. *In mala, derisum semel, exceptumque sinistre.*
Turneb *Ut mala quem scabies, aut morbus regius urget,*
lib. 5. *Aut phanaticus error, & iracunda Diana:*
cap. 25. *Væsanum tetigisse timent, fugiuntque poetam,*
Qui sapiunt: agitant pueri, incautique sequuntur.
Hic dum sublimeis versus ructatur, & errat,
Si veluti merulis intentus decidit auceps,
In puteum, foveamve, licet succurrite longum
Clamet Io, cives: non sit, qui tollere curet.
Si quis curet opem ferre, & dimittere funem:
Qui scis, an prudens huc se dejecerit, atque
Servari nolit? dicam Siculique poetæ
Narrabo interitum. Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Æthnam
Insiluit: sit jus, liceatque perire poetis.
Invitum qui servat idem facit occidenti.
Nec semel hoc fecit: Nec, si retractus erit, jam
Fiet homo, & ponet famosæ mortis amorem.

Nec

Nec satis apparet cur versus factitet: utrum
Minxerit in patrios cineres, an triste bidental
Moverit incestus, certe furit: ac velut ursus
Objectos caveæ valuit si frangere clatros.
Indoctum, doctumque fugat recitator acerbus.
Quem vero arripuit tenet, occiditque legendo,
Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.

Adag. *Minxi in patrios cineres.*

Ecphrasis.

QUi contendebant poëtam sine arte fieri posse longe ab scopo aberrabant: nec ego contendo totum hoc negotium ab arte pendere: imo potius ita disputo, neque ingenium sine arte, nec artem sine ingenio constare. Illud vero sine dubio perspicio & præcipio, sine exercitatione continua & laboriosa, nihil unquam spectandum & laudandum provenisse. Nam qui in Olympiis cæteros studet aut supplantare, aut incursu vincere, multa prius fecit, sudavit, alsit, abstinuit Venere & vino vires enervantibus. Quin & cantores & cytharedi, qui in Pythiis palmam expectant, multis ante præceptionibus & exercitationibus prius exercentur. Itaque decet, imo expedit, ut gloriam poëtæ consequuturus, toto conatu, totisque viribus in id negotium incumbat. Nam si secus autumet, ridebitur, exsibilabitur, & pro ridiculo à pueris exagitabitur. Nostri satis sibi habent, si possint dicere in publico: Ego mira poemata pango. Si id verbis fit: occupet extremum scabies, nolo ego postremus esse, nam etiam si non didicerim, turpe nescire dicere mihi erit. Nostri temporis poëtæ, præsertim divites, ad lucrum vocant. Quid dixi vocant? imo cogunt cæteros pauperculos poëtas, ut cogit ad merces emendas præco facetus. Atque ita, si possunt spondere pro pauperibus, si possunt alios ad mensam ducere, & à litibus infestis liberare, quomodo poterunt assentatorem à vero amico discernere? Tu sive jam alicui donaveris aliquid, sive donare voles, hunc carminum tuorum judicem, & emendatorem nunquam constitueris. Clamabit enim, pulchre, bene, recte, mutabit oris colorem, atque etiam præ ficto gaudio fictas lacrymas super papyrum instillabit: saliet, & tundet pede terram. Solent enim derisores plus moveri, quàm qui ex animo laudant, quemadmodum qui

conducuntur ad funus deplorandum dicunt & faciunt prope plura, quàm qui ex animo dolent. Quanto rectius magni amici: qui in conviviis & crebris cyathis examinant illos, quos in amicitiam velint sibi adjungere. Fuge itaque dolosos judices tuis carminibus adhibere, qui astutam servant sub callido pectore vulpeculam. Tales tibi judices delige, qualis fuit Quintilius, cui quum aliquid recitares, dicebat: Corrige obsecro te hoc, & hoc. Si diceres, jam hoc ante mecum non semel perpendi, sed non potui melius efficere. Dele igitur totum, aut male tornata carmina redde iterum incudi. Si tu tamen malles defendere peccatum, quàm corrigere, nullum ultra faciebat verbum, aut in confutando inanem sumebat operam: sed tuos tibi jubebat habere amores, quos sine rivali solus amares: vir bonus & prudens versus sine arte reprehendet, duros culpabit, incomtos veru aut ungue transfiget, ambitiosa & puerilia ornamenta circumcidet, obscuris lucem dare coget, ambigua vitari docebit, quæ mutari debent, notabit. Volo denique rectum judicem fieri Aristarchum illum qui omnia notabat acriter, & nihil dissimulabat. Nec dicet illa trita: Cur ego amicum offendam in nugis? Hæ nugæ ducent credulum poëtam in mala seria. Nam quum semel talis poëta cœperit esse derisui omnibus, & sinistre vulgo fuerit exceptus, illum omnes tanquam væsanum fugient, non aliter ac fugitur ille, qui contagiosa scabie peruritur, aut regio morbo gravatur, aut quem agitat phanaticus error, aut irata Diana. Itaque hunc non solum qui sapiunt fugitant, sed incauti pueri agitant, quos ille aliquando male multat. Hunc ego, si dum inflatos versus ructatur, in puteum aut in foveam, ut anceps dum volantes turdos sectatur, decidat: non extollere curarem; licet contenta voce clamaret: Succurrite cives, tollite claudum. Imo ego idem, si quis opem ferre curet, abstine, dicerem, funem demittere: nec enim apertè scimus an hic sciens & volens huc se immiserit, ita ut servari nolit. Narrabo insuper illi Empedoclis Siculi poëtæ mortem, qui dum conatur, & cupit haberi Deus immortalis, in craterem ardentis Æthnæ se præcipitavit, ne in terris mortuus conspiceretur. Concedatur hoc juris poëtis, ut se impune possint perimere. Addo etiam idem esse cupientem mori prohibere, ac si eum occideres. Nec hoc nunc primum tentavit: nec si extractus erit, jam fiet homo, nam hanc mortem sperat sibi laudi

fore,

fore; itaque famosæ mortis nunquam amorem deponet. Nec satis nobis est manifestum, quod ob peccatum versus faciat, utrùm revelaverit ossa patris, & minxerit illa, an ex aliquo loco amoverit bidental timendum incestus ipse: certe furiosus est, & ideo fugiendus, non minus ac ursus, qui detentus in cavea effractis caveæ clathris potuit effugere Sic hic furiosus recitator indoctum doctumque fugabit. Væ tamen illi erit, quem arripuerit, nam illum occidet legendo, & velut hirudo cuti adhærens, nunquam nisi satiatus & cruore plenus te dimittet.

ANNOTATIONES.

Natura fieret laud.) Hanc quæstionem sic dissolvit Cicer. pro Arch. *Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse sine doctrina, naturæ ipsius habitu prope divino, per se ipsos & moderatos & graveis extitisse fateor: etiam illud adjungo, sæpius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina, quàm sine natura valuisse doctrinam. Atqui idem ego contendo: quum ad naturam eximiam, atque illustrem accesserit ratio quædam confirmatioque doctrinæ, tunc illud nescio quid præclarum ac singulare solere existere.* Hæc & alia Cicero ibidem: sed ille loquitur de singulari & eximia natura, quæ raro invenitur. Quare Horatianum præceptum utilius, & verius.

Nolito adversus tibi fact.) Ordina: nolito tibi ducere plenum lætitiæ ad carmina facta. *Nam factos* tibi, id est, à te, inauditum est in sermone Latino. Semper enim Dativus acquisitionem significat, nec unquam à verbo, aut à nomine regitur. Vide *Minervam.*

Et male tornatos incudi reddere.) Sugillari audio Horatium, quod ex alia in aliam transcurrat translationem à torno ad incudem. Quintilian. *lib.* 8. *cap.* 6. *Nam id quoque in primis est custodiendum, ut quo ex genere cœperis translationis, hoc desinas.* Sed Horatius non miscet translationes: nam argentarii olim, & ego in Pincia sum expertus, torno & incude utebantur.

Invitum qui servat idem facit occidenti.) Quoniam Horatius imitari Græcos gaudet, quod & advertit Quintilianus, hoc loco Græce dixit: *idem occidenti*, id est, idem facit ac si occideret. Græci dicunt ταυτὸ ἐκείνῳ, id est, *idem illi*, hoc est, *cum illo.* Sic etiam aliquando Latini hoc nomen *idem*, dativo jungunt. Lucret. *in fine primi,*

Adde Heliconiadum comites: quorum unus Homerus
Sceptra potitus, eadem aliis sopitus quiete est.

Ovid. *in Ibin.*

Utque duobus idem dictis modo nomen habenti.

Sententiam vero Horatianam clarius expressit Seneca *in Thebaide.*

Occidere est, vetare cupientem mori.



P. VIRGILII
MARONIS BUCOLICA
SERIO EMENDATA.
CUM SCHOLIIS
FRANCISCI SANCTII
BROCENSIS,

In Inclyta Salmanticensi Academia Primarii Rhetorices, Græcæque Linguæ Doctoris.

Juxta Exemplar Salmanticense anni 1591.

GENEVÆ MDCCLXV.

JOANNI GRIALO,

CANONICO CALAGURRITANO,

GUILLELMUS FOQUEL

S. P. D.

F*Acetissimi Poëtæ Martialis dictum in re simili usurpabo*, GRIALE DOCTISSIME, Rus tibi vendo tuum.

Nam quum tu, non ita pridem, opera Virgilii ex antiquis manuscriptis codicibus, doctorum judicio examinata mihi excudenda tradidisses: atque ego nihil cunctatus operi manus admovissem: nescio quo Maronis fato, cujus id maxime intererat, illud opus ita fuit intermissum, ut nulla jam reliqua esset spes tam præclari conatus perficiendi. Ego tamen, quia Bucolica pene absolveram, ne tuæ curæ omnes perirent omnino, ea vulgare decrevi, exorato Sanctio nostro Brocensi, ut ex Miscellaneis, quæ in adversariis habet, auctarii vice aliquid adderemus. Id pusillum ac tenue quicquid est, quia tibi debetur, vir eximie, tibi dicandum duxi: tu hanc benevolentiam, seu potius audaciam, quia ex candido animo proficiscitur, æqui bonique, quæ tua est humanitas, æstimabis. Vale, Salmanticæ. XX. Februarii. CIↃ IↃ XCI.

P. VIR-

P. VIRGILII MARONIS
BUCOLICA.
ECLOGA I.

MELIBOEUS. TITYRUS.

Me. TITYRE, *tu patulæ recubans sub tegmine fagi,*
Silvestrem tenui musam meditaris avena:
Nos patriæ fines, & dulcia linquimus arva:
Nos patriam fugimus, tu, Tityre, lentus in umbra
Formosam resonare doces Amaryllida silvas.
Ti. *O Melibœe, deus nobis hæc otia fecit.*
Namque erit ille mihi semper Deus, illius aram
Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boves, ut cernis, & ipsum
Ludere, quæ vellem, calamo permisit agresti.
Me. *Non equidem invideo, miror magis, undique totis*
Usque adeo turbatur agris, en ipse capellas
Protinus æger ago: hanc etiam vix, Tityre, duco,
Hic inter densas corulos modo namque gemellos,
Spem gregis, ab silice in nuda connixa reliquit,
Sæpe malum hoc nobis, si mens non læva fuisset,
De cœlo tactas memini prædicere quercus:
Sed tamen, iste Deus qui sit da, Tityre, nobis.
Ti. *Urbem, quam dicunt Romam, Melibœe putavi*
Stultus ego huic nostræ similem, quo sæpe solemus
Pastores ovium teneros depellere fœtus.
Sic canibus catulos similes, sic matribus hœdos
Noram, sic parvis componere magna solebam.
Verum hæc tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.
Me. *Ecquæ tanta fuit Romam tibi caussa videndi?*

Ti. *Libertas: quæ sera, tamen respexit inertem:*
Candidior postquam tondenti barba cadebat:
Respexit tamen, & longo post tempore venit:
Post quam nos Amarullis habet, Galatea reliquit.
Namque (fatebor enim) dum me Galatea tenebat,
Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.
Quamvis multa meis exiret victima septis
Pinguis, & ingratæ premeretur caseus urbi:
Non unquam gravis ære domum mihi dextra redibat.
Me. *Mirabar, quid mœsta deos Galatea vocares,*
Cui pendere sua patereris in arbore poma.
Titurus hinc aberat: ipsæ te, Titure, pinus,
Ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta vocabant.
Ti. *Quid facerem? neque servitio me exire licebat:*
Nec tam præsentes alibi cognoscere divos.
Hic illum vidi juvenem, Melibœe, quotannis
Bis senos cui nostra dies altaria fumant.
Hic mihi responsum primus dedit ille petenti:
Pascite, ut ante, boves pueri, submittite tauros.
Me. *Fortunate senex, ergo tua rura manebunt:*
Et tibi magna satis: quamvis lapis omnia nudus,
Limosoque palus obducat pascua junco:
Non insueta graves tentabunt pabula: fœtas
Nec mala vicini pecoris contagia lædent.
Fortunate senex, hic inter flumina nota
Et fontes sacros frigus captabis opacum.
Hinc tibi, quæ semper vicino ab limite sepes
Hublæis apibus florem depasta salicti,
Sæpe levi somnum suadebit inire susurro.
Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras:
Nec tamen interea raucæ, tua cura, palumbes,
Nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo.
Ti. *Ante leves ergo pascentur in æthere cervi,*
Et freta destituent nudos in littore pisces,
Ante pererratis amborum finibus, exsul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim;
Quam nostro illius labatur pectore vultus.

Me.

Me. *At nos hinc alii ſitientes ibimus Afros:*
Pars Scuthiam, & rapidum Cretæ veniemus Oaxem,
Et penitus toto diviſos orbe Britannos,
En unquam patrios longo poſt tempore fines,
Pauperis & tuguri congeſtum ceſpite culmen,
Poſt aliquot mea regna videns mirabor ariſtas.
Impius hæc tam culta novalia, miles habebit,
Barbarus has ſegetes? en, quo diſcordia cives
Perduxit miſeros; en, queis conſevimus agros.
Inſere nunc, Melibœe, piros, pone ordine vites.
Ite meæ, felix quondam pecus, ite capellæ.
Non ego vos, poſt hac, viridi projectus in antro,
Dumoſa pendere procul de rupe videbo:
Carmina nulla canam: non, me paſcente, capellæ
Florentem cuthiſum, & ſalices carpetis amaras.
Ti. *Hic tamen hanc mecum poteras requieſcere noctem,*
Fronde ſuper viridi, ſunt nobis mitia poma,
Caſtaneæ molles, & preſſi copia lactis:
Et jam ſumma procul villarum culmina fumant,
Majoreſque cadunt altis de montibus umbræ.

ECLOGA II.

FORMOSUM paſtor Corudon ardebat Alexin,
Delicias domini, nec quid ſperaret habebat.
Tantum inter denſas, umbroſa cacumina, fagos
Aſſidue veniebat, ibi hæc incondita ſolus
Montibus, & ſilvis ſtudio jactabat inani.
O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas:
Nil noſtri miſerere: mori me denique coges.
Nunc etiam pecudes umbras, & frigora captant:
Nunc virides etiam occultant ſpineta lacertos:
Theſtulis & rapido feſſis meſſoribus æſtu
Allia, ſerpillumque herbas contundit olentes.
At mecum raucis, tua dum veſtigia luſtro,
Sole ſub ardenti reſonant arbuſta cicadis.
Nonne fuit ſatius, triſtes Amaryllidis iras,

Atque

Atque superba pati fastidia, nonne Menalcam,
Quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses;
O formose puer, nimium ne crede colori.
Alba ligustra cadunt, vacinia nigra leguntur.
Despectus tibi sum, neque qui sim, quæris, Alexi,
Quam dives pecoris, nivei quam lactis abundans.
Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ,
Lac mihi non æstate novum, non frigore defit.
Canto, quæ solitus, si quando armenta vocabat,
Amphion Dircæus in Oetæo Aracuntho.
Nec sum adeo informis nuper me in littore vidi,
Cum placidum ventis staret mare, non ego Daphnin
Judice te metuam, si nunquam fallat imago.
O tantum libeat mecum tibi sordida rura,
Atque humiles habitare casas, & figere cervos,
Hœdorumque gregem viridi compellere hibisco.
Mecum una in silvis imitabere Pana canendo.
Pan primus calamus cera conjungere plures
Instituit. Pan curat oves, oviumque magistros.
Nec te pœniteat calamo trivisse labellum.
Hæc eadem ut sciret quid non faciebat Amuntas;
Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula, Damætas dono mihi quam dedit olim:
Et dixit moriens, te nunc habet ista secundum.
Dixit Damætas: invidit stultus Amuntas.
Præterea duo, nec tuta mihi valle reperti,
Capreoli sparsis etiam nunc pellibus albo,
Bina die siccant ovis ubera, quos tibi servo.
Jam pridem à me illos abducere Thestulis orat:
Et faciet, quoniam sordent tibi munera nostra.
Huc ades, o formose puer: tibi lilia plenis
Ecce ferunt numphæ calathis: tibi candida Nais
Pallentes violas, & summa papavera carpens,
Narcissum, & florem jungit bene olentis anethi.
Tum casia, atque aliis intexens suavibus herbis,
Mollia luteola pingit vacinia caltha.
Ipse ego cana legam tenera lanugine mala,

Casta-

Castaneasque nuces, mea quas Amarullis amabat:
Addam cerea pruna: & honos erit huic quoque pomo:
Et vos, ô lauri, carpam & te, proxima murte:
Sic positæ quoniam suaves miscetis odores.
Rusticus es Corudon: nec munera curat Alexis.
Nec, si muneribus certes, concedat Iolas.
Eheu quid volui misero mihi? floribus austrum
Perditus, & liquidis immisi fontibus apros.
Quem fugis ah demens? habitarunt dii quoque silvas,
Dardaniusque Paris. Pallas, quas condidit arces,
Ipsa colat: nobis placeant ante omnia silvæ.
Torva leæna lupum sequitur, lupus ipse capellam,
Florentem cuthisum sequitur lasciva capella;
Te Corudon, ô Alexi. Trahit sua quemque voluptas.
Adspice, aratra jugo referunt suspensa juvenci,
Et sol crescentes decedens duplicat umbras:
Me tamen urit amor, quis enim modus adsit amori?
Ah Corudon, Corudon, quæ te dementia cepit?
Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.
Quin tu, aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
Viminibus mollique paras detexere junco?
Invenies alium, si te hic fastidit Alexis.

ECLOGA III.

MENALCAS. DAMOETAS. PALÆMON.

Me. *DIC mihi Damœta, cuium pecus, an Melibœi?*
Da. *Non, verum Ægonis, nuper mihi tradidit Ægon.*
Me. *Infelix ô semper ovis pecus: ipse Neæram*
Dum fovet, ac, ne me sibi præferat illa, veretur:
Hic alienus oves custos bis mulget in hora,
Et succus pecori, & lac subducitur agnis.
Da. *Parcius ista: viris tamen objicienda memento.*
Novimus & qui te, transversa tuentibus hircis,
Et quo, sed faciles numphæ risere, sacello.
Me. *Tum credo, cum me arbustum vidêre Muconis,*
Atque malâ vites incidere falce novellas.

Da.

Da. *Aut hic ad veteres fagos, cum Daphnidis arcu*
Fregisti, & calamos: quæ tu perverse Menalca,
Et cum vidisti puero donata, dolebas:
Et, si non aliqua nocuisses, mortuus esses.
Me. *Quid domini faciant, audent cum talia fures*
Non ego te vidi Damonis, pessime caprum
Excipere insidiis, multum latrante Lucisca?
Et cum clamarem, quo nunc se proripit ille?
Titure coge pecus, tu post carecta latebas.
Da. *An mihi cantando victus non redderet ille,*
Quem mea carminibus meruisset fistula caprum?
Si nescis, meus ille caper fuit, & mihi Damon
Ipse fatebatur, sed reddere posse negabat.
Me. *Cantando tu illum aut unquam tibi fistula cer*
Juncta fuit non tu in triviis indocte solebas
Stridenti miserum stipula disperdere carmen.
Da. *Vis, ergo, inter nos, quid possit uterque, vicissi*
Experiamur; ego hanc vitulam ne forte recuses,
Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fœtus,
Depono: tu dic, mecum quo pignore certes,
Me. *De grege non ausim quidquam deponere tecum*
Est mihi namque domi pater, est injusta noverca,
Bisque die numerant ambo pecus, alter & hœdos.
Verum id quod multo tute ipse fatebere majus,
(Insanire libet quoniam tibi) pocula ponam
Fagina, cælatum divini opus Alcimedontis:
Lenta quibus torno facili superaddita vitis,
Diffusos hedera vestit pallente corumbos.
In medio duo signa, Conon, & quis fuit alter,
Descripsit radio totum qui gentibus orbem,
Tempora quæ messor quæ curvus arator haberet,
Nec dum illis labra admovi sed condita servo.
Da. *Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit,*
Et molli circum est ansas amplexus acantho:
Orpheaque in medio posuit, silvasque sequentes.
Nec dum illis labra admovi, sed condita servo.
Si ad vitulam spectes, nihil est quod pocula laudes.

Me

Me. *Nunquam hodie effugies, veniam quocumque vocaris.*
Audiat hæc tantum vel qui venit, ecce, Palæmon.
Efficiam, posthac ne quemquam voce lacessas.
Da. *Quin age si quid habes: in me mora non erit ulla.*
Nec quemquam fugio. tantum vicine Palæmon
Sensibus hæc imis (res est non parva) reponas.
Pa. *Dicite, quandoquidem in molli consedimus herba;*
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos:
Nunc frondent silvæ: nunc formosissimus annus:
Incipe Damæta: tu deinde sequêre Menalca,
Alternis dicetis: amant alterna Camœnæ.
Da. *Ab Jove principium Musæ. Jovis omnia plena.*
Ille colit terras, illi mea carmina curæ.
Me. *Et me Phœbus amat: Phœbo sua semper apud me,*
Munera sunt, lauri, & suave rubens huacinthus.
Da. *Malo me Galatea petit, lasciva puella,*
Et fugit ad salices, & se cupit ante videri.
Me. *At mihi sese offert ultro, meus ignis, Amuntas;*
Notior ut jam sit canibus non Delia nostris.
Da. *Parta meæ Veneri sunt munera: namque notavi*
Ipse locum, aëriæ quo congessere palumbes.
Me. *Quod potui, puero silvestri ex arbore lecta*
Aurea mala decem misi, cras altera mittam.
Da. *O quoties, & quæ nobis Galatea locuta est:*
Partem aliquam venti divum referatis ad aures.
Me. *Quid prodest, quod me ipse animo non spernis, Amunta,*
Si, dum tu sectaris apros, ego retia servo?
Da. *Phullida mitte mihi, meus est natalis, Iola:*
Cùm faciam vitulâ pro frugibus, ipse venito.
Me. *Phullida amo ante alias, nam me discedere flevit,*
Et, longum formose vale, vale, inquit, Iola.
Da. *Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,*
Arboribus venti, nobis Amarullidis iræ.
Me. *Dulce satis humor, depulsis arbutus hœdis,*
Lenta salix fœto pecori, mihi solus Amuntas.

Da.

Da. *Pollio amat nostram, quamvis est rustica, Musam:*
Pierides vitulam lectori pascite vestro.
Me. *Pollio & ipse facit nova carmina, pascite taurum,*
Jam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam.
Da. *Qui te, Pollio, amat, veniat, quo te quoque gaudet.*
Mella fluant illi, ferat & rubus asper amomum.
Me. *Qui Bavium non odit, amet tua carmina Mævi:*
Atque idem jungat vulpes, & mulgeat hircos.
Da. *Qui legitis flores, & humi nascentia fraga,*
Frigidus, ò pueri fugite hinc, latet anguis in herba.
Me. *Pascite oves nimium procedere, non bene ripæ*
Creditur: ipse aries etiam nunc vellera siccat.
Da. *Tityre, pascentes à flumine rejice capellas:*
Ipse, ubi tempus erit, omnes in fonte lavabo.
Me. *Cogite oves pueri: si lac præceperit æstas*
Ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis.
Da. *Eheu, quam pingui macer est mihi taurus in arvo!*
Idem amor exitium pecori, pecorisque magistro.
Me. *His certe neque amor causa est: vix ossibus hærent.*
Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.
Da. *Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,*
Tres pateat cæli spatium non amplius ulnas.
Me. *Dic, quibus in terris inscripti nomina regum*
Nascantur flores: & Phullida solus habeto.
Pa. *Non nostrum inter vos tantas componere lites.*
Et vitula tu dignus, & hic, & quisquis amores
Aut metuet dulces, aut experietur amaros.
Claudite jam rivos pueri: sat prata biberunt.

ECLOGA IV.

SICELIDES Musæ, paullo majora canamus:
Non omnes arbusta juvant, humilesque muricæ.
Si canimus silvas, silvæ sunt consule dignæ.
Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.
Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.

Jam

Jam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave Lucina: tuus jam regnat Apollo.
Teque adeo, decus hoc ævi, te consule inibit
Pollio, & incipient magni procedere menses.
Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua solvent formidine terras.
Ille Deum vitam accipiet, divisque videbit
Permistos heroas, & ipse videbitur illis,
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
At tibi prima puer, nullo munuscula cultu
Errantes hederas passim cum baccare tellus,
Mistaque ridenti colocasia fundet acantho.
Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ
Ubera, nec magnos metuent armenta leones.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores:
Occidet & serpens, & fallax herba veneni
Occidet: Assurium vulgo nascetur amomum.
At simul heroum laudes, & facta parentis
Jam legere, & quæ sit, poteris cognoscere, virtus,
Molli paulatim flavescet campus arista,
Incultisque rubens pendebit sentibus uva,
Et duræ quercus sudabunt roscida mella.
Pauca tamen suberunt priscæ vestigia fraudis,
Quæ tentare Thetin ratibus, quæ cingere muris
Oppida, quæ jubeant telluri infindere sulcos.
Alter erit tum Tuphis, & altera quæ vehat Argo
Delectos heroas: erunt etiam altera bella,
Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.
Hinc ubi jam firmata virum te fecerit ætas,
Cedet & ipse mari vector, nec nautica pinus
Mutabit merces: omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus, non vinea falcem:
Robustus quoque jam tauris juga solvet arator:
Nec varios discet mentiri lana colores:

Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto:
Sponte sua sandix pascentes vestiet agnos.
Talia saecla, suis dixerunt, currite fusis,
Concordes stabuli fatorum numine Parcae.
Aggredere ò magnos (aderit jam tempus) honores.
Cara deum soboles, magnum Jovis incrementum.
Adspice convexo nutantem pondere mundum,
Terrasque, tractusque maris, caelumque profundum:
Adspice, venturo laetantur ut omnia saeclo.
O mihi tam longae maneat pars ultima vitae,
Spiritus &, quantum sat erit tua dicere facta.
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus: huic mater quamvis, atque huic pater adsit
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.
Pan etiam Arcadia mecum si judice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se judice victum.
Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem.
Matri longa decem tulerunt fastidia menses.
Incipe, parve puer, cui non risere parentes,
Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est.

ECLOGA V.

MENALCAS, MOPSUS.

CUR non, Mopse (boni quoniam convenimus ambo,
Tu calamos inflare leves, ego dicere versus)
Hic corulis mixtas inter consedimus ulmos,
Mo. *Tu major: tibi me est aequum parere, Menalca:*
Sive sub incertas zephuris motantibus umbras,
Sive antro potius succedimus: adspice ut antrum
Silvestris raris sparsit labrusca racemis.
Me. *Montibus in nostris solus tibi certat Amuntas,*
Mo. *Quid si idem certet Phaebum superare canendo,*
Me. *Incipe Mopse, prior, si quos aut Phullidis ignes*
Aut Alconis habes laudes, aut jurgia Codri.
Incipe: pascentes servabit Titurus haedos.

Mo.

Mo. *Immo hæc, in viridi nuper quæ cortice fagi*
Carmina descripsi, & modulans alterna notavi,
Experiar: tu deinde jubeto certet Amuntas.
Me. *Lenta salix quantum pallenti cedit olivæ,*
Puniceis humilis quantum saliunca rosetis,
Judicio nostro tantum tibi cedit Amuntas.
Sed tu desine plura puer: successimus antro.
Mo. *Extinctum numphæ crudeli funere Daphnin*
Flebant: vos coruli testes, & flumina numphis.
Cum complexa sui corpus miserabile nati,
Atque deos, atque astra vocat crudelia mater.
Non ulli pastos illis egere diebus
Frigida, Daphni, boves ad flumina, nulla neque amnem
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.
Daphni, tuum Pœnos etiam ingemuisse leones
Interitum, montesque feri silvæque loquuntur.
Daphnis & Armenias curru subjungere tigres
Instituit: Daphnis thiasos inducere Baccho,
Et foliis lentas intexere mollibus hostas,
Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvæ,
Et gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis:
Tu decus omne tuis: postquam te fata tulerunt,
Ipsa Pales agros, atque ipse reliquit Apollo.
Grandia sæpe quibus mandavimus hordea sulcis,
Infelix lolium, & steriles nascuntur avenæ.
Pro molli viola, pro purpureo narcisso,
Carduus, & spinis surgit paliurus acutis.
Spargite humum foliis, inducite frondibus aras,
Pastores: mandat fieri sibi talia Daphnis.
Et tumulum facite, & tumulo superaddite carmen:
Daphnis ego, in silvis, hinc usque ad sidera notus,
Formosi pecoris custos formosior ipse.
Me. *Tale tuum carmen nobis, divine poeta,*
Quale sopor fessis in gramine, quale per æstum
Dulcis aquæ saliente sitim restinguere rivo.
Nec calamis solum æquiparas, sed voce magistrum,

Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo.
Nos tamen hæc quocunque modo tibi nostra, vicissi
Dicemus, Daphninque tuum tollemus ad astra:
Daphnin ad astra feremus: amavit nos quoque Daphni.
Mo. *An quidquam nobis tali sit munere majus*
Et puer ipse fuit cantari dignus, & ista
Jam pridem Stimichon laudavit carmina nobis,
Me. *Candidus insuetum miratur limen olumpi,*
Sub pedibusque videt nubes, & sidera Daphnis,
Ergo alacris silvas, & cetera rura voluptas,
Panaque, pastoresque tenet, Druadasque puellas,
Nec lupus insidias pecori, nec retia cervis
Ulla dolum meditantur: amat bonus otia Daphnis;
Ipsi lætitia voces ad sidera jactant
Intonsi montes: ipsæ jam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta, Deus, Deus ille, Menalca,
Sis bonus ò felixque tuis: en quatuor aras:
Ecce duas tibi Daphni, duas altaria Phæbo:
Pocula bina novo spumantia lacte quotannis,
Craterasque duo statuam tibi pinguis olivi:
Et multo in primis hilarans convivia Baccho,
Ante focum, si frigus erit, si messis, in umbra,
Vina novum fundam calathis Arvisia nectar.
Cantabunt mihi Damœtas, & Luctius Ægon:
Saltantes saturos imitabitur Alphesibœus.
Hæc tibi semper erunt, & cum sollemnia vota
Reddemus Numphis, & cum lustrabimus agros.
Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit;
Dumque thumo pascentur apes, dum rore cicadæ,
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebun
Ut Baccho, Cererique, tibi sic vota quotannis
Agricolæ facient: damnabis tu quoque votis.
Mo. *Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine don*
Nam neque me tantum venientis sibilus austri,
Nec percussa juvant fluctu tam littora, nec quæ
Saxosas inter decurrunt flumina valles.
Me. *Hac te nos fragili donabimus ante cicuta.*

Hæc nos, Formosum Corudon ardebat Alexin:
Hæc eadem docuit, Cujum pecus? an Melibœi?
Mo. *At tu sume pedum (quod me quum sæpe rogaret)*
Non tulit Antigenes: & erat tum dignus amari,
Formosum paribus nodis, atque ære, Menalca.

ECLOGA VI.

PRIMA Siracusio dignata est ludere versu
Nostra, nec erubuit silvas habitare, Thalia.
Cum canerem reges, & prælia, Cunthius aurem
Vellit, & admonuit: Pastorem Titure pingues
Pascere oportet oves, deductum dicere carmen.
Nunc ego (namque super tibi erunt, qui dicere laudes
Vare, tuas cupiant, & tristia condere bella)
Agrestem tenui meditabor arundine Musam.
Non injussa cano: si quis tamen hæc quoque, si quis
Captus amore leget, te nostræ, Vare, muricæ,
Te nemus omne canet: nec Phœbo gratior ulla est,
Quam sibi quæ Vari præscripsit pugina nomen.
Pergite, Pierides. Chromis & Mnasulus in antro
Silenum pueri somno videre jacentem,
Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho.
Serta procul, tantum capiti delapsa, jacebant,
Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.
Aggressi (nam sæpe senex spe carminis ambos
Luserat) injiciunt ipsis ex vincula sertis.
Addit se sociam, timidisque supervenit Ægle,
Ægle Naiadum pulcherrima: jamque videnti
Sanguineis frontem moris, & tempora pingit.
Ille dolum ridens, quo vincula nectitis? inquit.
Solvite me, pueri: satis est potuisse videri.
Carmina quæ vultis, cognoscite: carmina vobis,
Huic aliud mercedis erit: simul incipit ipse.
Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres
Ludere: tum rigidas motare cacumina quercus.
Nec tantum Phœbo gaudet Parnassia rupes.

Nec tantum Rhodope miratur, & Ismarus Orphea.
Namque canebat, uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque, animæque, marisque fuissent,
Et liquidi simul ignis: ut his exordia primis
Omnis, & ipse tener mundi concreverit orbis:
Tum durare solum, & discludere Nerea ponto
Cœperit, & rerum paullatim sumere formas:
Jamque novum terræ stupeant lucescere solem,
Altius atque cadant summotis ignibus imbres:
Incipiant silvæ cum primum surgere, cumque
Rara per ignaros errent animalia montes.
Hinc lapides Purrhæ factos, Saturnia regna.
Caucaseasque refert volucres, furtumque Promethei.
His adjungit Hulam nautæ quo fonte relictum
Clamassent, ut littus, Hula, Hula, omne sonaret:
Et fortunatam, si nunquam armenta fuissent,
Pasiphaen nivei solatur amore juvenci.
Ah Virgo infelix, quæ te dementia cepit?
Prætides implerunt falsis mugitibus agros.
At non tam turpes pecudum tamen ulla secuta est
Concubitus, quamvis collo timuisset aratrum,
Et sæpe in levi quæsisset cornua fronte.
Ah virgo infelix, tu nunc in montibus erras:
Ille, latus niveum molli fultus huacintho,
Ilice sub nigra pallentes ruminat herbas,
Aut aliquam in magno sequitur grege, claudite numphæ
Dictææ, Numphæ nemorum jam claudite saltus,
Si qua forte ferant oculis sese obvia nostris,
Errabunda bovis vestigia forsitan illum
Aut herba captum viridi, aut armenta secutum
Perducant aliquæ stabula ad Gortunia vaccæ.
Tum canit Hesperidum miratam mala puellam:
Tum Phaethontiadas musco circundat amaræ
Corticis, atque solo proceras erigit alnos:
Tum canit errantem Permessi ad flumina Gallum:
Aonas in montes ut duxerit una sororum,
Utque viro Phœbi chorus assurrexerit omnis,

Ut Linus hæc illi, divino carmine pastor,
Floribus, atque apio crines ornatus amaro,
Dixerit, Hos tibi dant calamos (en accipe) Musæ,
Ascræo quos ante seni, quibus ille solebat
Cantando rigidas deducere montibus ornos.
His tibi Grunæi memoris dicatur origo:
Ne quis sit lucus, quo se plus jactet Apollo.
Quid loquar, aut Scullam Nisi, aut quam fama secuta est
Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates, & gurgite in alto
Ah! timidos nautas canibus lacerasse marinis,
Aut ut mutatos Terei narraverit artus,
Quas illi Philomela dapes, quæ dona pararit,
Quo cursu deserta petiverit, & quibus ante
Infelix sua tecta supervolitaverit alis,
Omnia, quæ Phœbo quondam meditante, beatus
Audiit Eurotas, jussitque educere lauros,
Ille canit: pulsæ referunt ad sidera valles:
Cogere donec oves stabulis, numerumque referre
Jussit, & invito processit Vesper olympo.

ECLOGA VII.

CORUDON, THURSIS.

FORTE sub arguta consederat ilice Daphnis:
Contulerantque greges Corudon & Thursis in unum,
Thursis oves, Corudon distentas lacte capellas,
Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo,
Et cantare pares, & respondere parati.
Huc mihi, dum teneras defendo à frigore murtos,
Vir gregis ipse caper deerraverat: atque ego Daphnin
Aspicio ille ubi me contra videt, ocius, inquit,
Huc ades, o Melibœe: caper tibi salvus, & hœdi.
Et, si quid cessare potes, requiesce sub umbra.
Huc ipsi potum venient per prata juvenci:
Hic viridis, tenera prætexit arundine ripas
Mincius, éque sacro, resonant examina quercu.

 Quid

Quid facerem? neque ego Alcippen, nec Phullida habebam
Depulsos à lacte domi quæ clauderet agnos:
Et certamen erat, Corudon cum Thurside, magnum.
Posthabui tamen illorum mea seria ludo.
Alternis igitur contendere versibus ambo
Cæpere: alternos musæ meminisse volebant.
Hos Corudon, illos referebat in ordine Thursis,
Co. *Nunphæ, noster amor, Libethrides, aut mihi carmen,*
Quale meo Codro concedite (proxima Phœbi
Versibus ille facit) aut, si non possumus omnes,
Hic arguta sacra pendebit fistula pinu.
Th. *Pastores hedera crescentem ornate poëtam*
Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro:
Aut, si ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.
Co. *Setosi caput hoc apri tibi Delia parvus,*
Et ramosa Mucon vivacis çornua cervi.
Si proprium hoc fuerit levi de marmore tota
Puniceo stabis suras evincta cothurno.
Th. *Sinum lactis, & hæc te liba, Priape, quotannis*
Exspectare sat est: custos es pauperis horti.
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu,
Si fœtura gregem suppleverit, aureus esto.
Cor. *Nerine Galatea, thumo mihi dulcior Hublæ,*
Candidiòr cucnis, hedera formosior alba,
Cum primum pasti repetent præsepia tauri,
Si qua tui Corudonis habet te, cura, venito.
TH. *Immo ego Sardois videar tibi amarior herbis*
Horridior rusco, projecta vilior alga,
Si mihi non hæc lux toto jam longior anno est.
Ite domum pasti, si quis pudor ite juvenci.
Co. *Muscosi fontes, & somno mollior herba,*
Et quæ vos rara viridis tegit arbutus umbra
Solstitium pecori defendite, jam venit æstas
Torrida: jam læto turgent in palmite gemmæ.

Th.

Th. *Hic focus, & tædæ pingues: hic plurimus ignis*
Semper, & assidua postes fuligine nigri.
Hic tantum Boreæ curamus frigora, quantum.
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.
Co. *Stant & juniperi, & castaneæ hirsutæ:*
Strata jacent passim sua quæque sub arbore poma:
Omnia nunc rident: at, si formosus Alexis
Montibus his abeat, videas & flumina sicca.
Th. *Aret ager: vitio moriens sitit aëris herba:*
Liber pampineas invidit collibus umbras.
Phullidis adventu nostræ nemus omne virebit,
Jupiter & læto descendet plurimus imbri.
Co. Populus *Alcidæ gratissima, vitis Iaccho,*
Formosæ murtus Veneri, sua laurea Phæbo.
Phullis amat corulos; illas dum Phullis amabit,
Nec murtus vincet corulos, nec laurea Phœbi.
Th. *Fraxinus in silvis pulcherrima, pinus in hortis,*
Populus in fluviis, abies in montibus altis.
Sæpius at si me, Lucida formose, revisas,
Fraxinus in silvis cedat tibi, pinus in hortis.
Me. *Hæc memini, & victum frustra contendere Thursin,*
Ex illo Corudon, Corudon est tempore nobis.

ECLOGA VIII. PHARMACEUTRIA.

DAMON, ALPHESIBOEUS.

PASTORUM Musam, Damonis & Alphesibœi,
Immemor herbarum quos est mirata juvenca
Certantes, quorum stupefactæ carmine lunces,
Et mutata suos requierunt flumina cursus,
Damonis Musam dicemus, & Alphesibœi.
Tu mihi, seu magni superas jam saxa Timaui;
Sive oram Illurici legis æquoris; en erit unquam
Ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta?
En erit ut liceat totum mihi ferre per orbem
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?
A te principium; tibi desinet, accipe jussis

Car-

Carmina cœpta tuis, atque hanc sine tempora circum
Inter victrices hederam tibi serpere lauros.
Frigida vix cælo noctis decesserat umbra,
Cum ros in tenera pecori gratissimus herba est;
Incumbens tereti Damon sic cœpit olivæ.
Da. *Nascere, præque diem veniens age, Lucifer, almum,*
Conjugis indigno Nisæ deceptus amore
Dum queror, & divos, quanquam nil testibus illis
Profeci, extrema moriens tamen alloquor hora.
„ *Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.*
Mænalus argutumque nemus, pinosque loquentes
Semper habet, semper pastorum ille audit amores,
Panaque, qui primus calamos non passus inertes.
„ *Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.*
Mopso Nisa datur; quid non speremus amantes?
Jungentur jam gruphes equis, ævoque sequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.
Mopse, novas incide faces; tibi ducitur uxor,
Sparge, marite, nuces; tibi deserit Hesperus Oetam.
„ *Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.*
O digno conjuncta viro, dum despicis omnes,
Dumque tibi est odio mea fistula, dumque capellæ,
Hirsutumque supercilium, prolixaque barba,
Nec curare Deum credis mortalia quenquam.
„ *Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.*
Sepibus in nostris parvam te roscida mala
(Dux ego vester eram) vidi cum matre legentem.
Alter ab undecimo tum me jam acceperat annus:
Jam fragiles poteram à terra contingere ramos.
Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.
„ *Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.*
Nunc scio, quid sit amor, duris in cotibus illum
Ismarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes,
Nec generis nostri puerum, nec sanguinis edunt.
„ *Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.*
Sævus amor docuit natorum sanguine matrem

Com

Commaculare manus crudelis tu quoque, mater,
Crudelis mater magis, an puer improbus ille?
Improbus ille puer: crudelis tu quoque mater.
„ Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Nunc & oves ultro fugiat lupus: aurea duræ
Mala ferant quercus, narcisso floreat alnus:
Pinguia corticibus sudent electra muricæ.
Certent & cucnis ululæ: sit Titurus Orpheus,
Orpheus in silvis, inter Delphinas Arion.
„ Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus.
Omnia vel medium fiant mare: vivite silvæ.
Præceps aërii speculâ de montis in undas
Deferar: extremum hoc munus morientis habeto.
„ Desine Mænalios, jam desine, tibia, versus.
Hæc Damon, vos, quæ responderit Alphesibœus,
Dicite Pierides, non omnia possumus omnes.
Al. *Effer aquam, & molli cinge hæc altaria vitta:*
Verbenasque adole pingues, & mascula thura:
Conjugis ut magicis sanos avertere sacris
Experiar sensus: nihil hic nisi carmina desunt.
„ Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Carmina & è cœlo possunt deducere Lunam:
Carminibus Circe socios mutavit Ulussis:
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.
„ Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Terna tibi hæc primum triplici diversa colore
Licia circundo: terque hæc altaria circum
Effigiem duco: numero Deus impare gaudet.
„ Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Necte tribus nodis ternos, Amarulli, colores.
Necte, Amarulli, modo, & Veneris, dic, vincula necto.
„ Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Limus ut hic durescit, & hæc ut cera liquescit
Uno, eodemque igni: sic nostro Daphnis amore.
Sparge molam, & fragiles incende bitumine lauros.
Daphnis me malus urit: ego hanc in Daphnide laurum.
„ Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.

Talis

Talis amor Daphnin, qualis cum fessa juvenco
Per nemora, atque altos quærendo bucula lucos
Propter aquæ rivum viridi procumbit in ulna
Perdita, nec seræ meminit decedere nocti,
Talis amor teneat, nec sit mihi cura mederi.
„ *Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.*
Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit,
Pignora cara sui: quæ nunc ego limine in ipso
Terra tibi mando: debent hæc pignora Daphnin.
„ *Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.*
Has herbas, atque hæc Ponto mihi lecta venena
Ipse dedit Mœris: nascuntur plurima Ponto.
His ego sæpe lupum fieri, & se condere silvis
Mœrin, sæpe animas imis exire sepulchris.
Atque satas alio vidi traducere messes.
„ *Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.*
Fer cineres, Amarulli, foras, rivoque fluenti,
Transque caput jace, nec respexeris: his ego Daphnin
Aggrediar: nihil ille deos, nil carmina curat.
„ *Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.*
Aspice: corripuit tremulis altaria flammis.
Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse: bonum sit.
Nescio quis certe est: & Hulax in limine latrat.
Credimus? an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?
Parcite, ab urbe venit, jam parcite, carmina, Daphnin.

ECLOGA IX.

LUCIDAS, MOERIS.

QUO te Mœri pedes? an quo via ducit in urbem?
MŒ. *O Lucida, vivi pervenimus, advena nostri,*
Quod nunquam veriti sumus, ut possessor agelli
Diceret: hæc mea sunt: veteres migrate coloni.
Nunc victi, tristes, quoniam sors omnia versat,
Hos illi, quod nec bene vertat, mittimus hœdos.
LU. *Certe equidem audieram, quà se subducere colles*
Incipiunt, mollique jugum demittere clivo,

Usque

Usque ad aquam & veteris jam fracta cacumina fagi
Omnia carminibus vestrum servasse Menalcam.
Mœ. *Audieras, & fama fuit: sed carmina tantum*
Nostra valent, Lucida, tela inter Martia, quantum
Chaonias dicunt aquila veniente columbas.
Quod nisi me quacunque novas incidere lites
Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix,
Nec tuus hic Mœris, nec viveret ipse Menalcas.
Lu. *Heu cadit in quemquam tantum scelus? heu tua nobis*
Pene simul tecum solatia rapta, Menalca,
Quis caneret Numphas, quis humum florentibus herbis,
Spargeret, aut viridi fontes induceret umbra,
Vel quæ sublegi tacitus tibi carmina nuper,
Cum te ad delicias ferres Amarullida nostras,
Titure, dum redeo (brevis est via) pasce capellas:
Et potum pastas age Titure, & inter agendum
Occursare capro (cornu ferit ille) caveto.
Mœ. *Immo hæc, quæ Varo nec dum perfecta canebat.*
Vare, tuum nomen, superet modo Mantua nobis,
Mantua veh miseræ nimium vicina Cremonæ,
Cantantes sublime ferent ad sidera cucni.
Lu. *Sic tua Curneas fugiant examina taxos:*
Sic cuthiso pastæ distentent ubera vaccæ:
Incipe, si quid habes, & me fecere poetam
Pierides: sunt & mihi carmina, me quoque dicunt
Vatem pastores, sed non ego credulus illis.
Nam neque adhuc Varo videor, nec dicere Cinna
Digna, sed argutos interstrepere anser olores.
Mœ. *Id quidem ago & tacitus, Lucida, mecum ipse voluto,*
Si valeam meminisse: neque est ignobile carmen.
Huc ades, ò Galatea: quis est nam ludus in undis?
Hic ver purpureum: varios hic flumina circum
Fundit humus flores: hic candida populus antro
Imminet, & lentæ texunt umbracula vites.
Huc ades, insani feriant sine littora fluctus.

Lu.

Lu. *Quid, quæ te pura ſolum ſub nocte canentem*
Audieram; numeros memini, ſi verba tenerem,
Mœ. *Daphni, quid antiquos ſignorum ſuſpicis ortus,*
Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum,
Aſtrum, quo ſegetes gauderent frugibus, & quo
Duceret apricis in collibus uva colorem.
Inſere, Daphni, piros, carpent tua poma nepotes.
Omnia fert ætas, animum quoque: ſæpe ego longos
Cantando puerum memini me condere ſoles.
Nunc oblita mihi tot carmina: vox quoque Mœrin
Jam fugit ipſa: lupi Mœrin videre priores.
Sed tamen iſta ſatis referet tibi ſæpe Menalcas.
Lu. *Cauſſando noſtros in longum ducis amores,*
Et nunc omne tibi ſtratum ſilet æquor, & omnes
(Adſpice) ventoſi ceciderunt murmuris auræ.
Hinc adeo media eſt nobis via, namque ſepulcrum,
Incipit apparere Bianoris: hic ubi denſas
Agricolæ ſtringunt frondes hic, Mœri, canamus:
Hic hædos depone: tamen veniemus in urbem:
Aut, ſi, nox pluviam ne colligat ante, veremur,
Cantantes licet uſque (minus via lædet) eamus.
Cantantes ut eamus, ego hoc te faſce levabo.
Mœ. *Deſine plura, puer, &, quod nunc inſtat, agamus,*
Carmina tum melius, cum venerit ipſe, canemus.

ECLOGA X.

EXTREMUM hunc, Arethuſa, mihi concede laborem,
Pauca meo Gallo, ſed quæ legat ipſa Lucoris,
Carmina, ſunt dicenda neget quis carmina Gallo?
Sic tibi cum fluctus ſubterlabere Sicanos,
Doris amara ſuam non intermiſceat undam,
Incipe: ſollicitos Galli dicamus amores:
Dum tenera attondent ſimæ virgulta capellæ.
Non canimus ſurdis: reſpondent omnia ſilvæ.

Quæ nemora, aut qui vos ſaltus habuere, puellæ
Naiades, indigno cum Gallus amore periret,
Nam neque Parnaſſi vobis juga, nam neque Pindi
Ulla moram fecere, neque Aoniæ Aganippe,
Illum etiam lauri, illum etiam flevere muricæ:
Pinifer illum etiam ſola ſub rupe jacentem
Mænalus, & gelidi fleverunt ſaxa Lucæi.
Stant & oves circum, noſtri nec pænitet illas.
Nec te pœniteat pecoris, divine poeta.
Et formoſus oves ad flumina pavit Adonis:
Venit & opilio; tardi venere ſubulci:
Uvidus hiberna venit de glande Menalcus:
Omnes, unde amor iſte, rogant; tibi venit Apollo,
Galle, quid inſanis, inquit, tua cura Lucoris
Perque nives alium, perque horrida caſtra ſecuta eſt.
Venit & agreſti capitis Silvanus honore,
Florentes ferulas, & grandia lilia quaſſans.
Pan Deus Arcadiæ venit, quem vidimus ipſi
Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem.
Ecquis erit modus? inquit, amor non talia curat.
Nec lacrumis crudelis amor, nec gramina rivis,
Nec cuthiſo ſaturantur apes, nec fronde capellæ:
Triſtis at ille tamen, Cantabitis, Arcades, inquit,
Montibus hæc veſtris, ſoli cantare periti
Arcades: ò mihi tum quam molliter oſſa quieſcant,
Veſtra meos olim ſi fiſtula dicat amores.
Atque utinam ex vobis unus, veſtrique fuiſſem
Aut cuſtos gregis, aut maturæ vinitor uvæ.
Certè, ſive mihi Phullis, ſive eſſet Amuntas,
Seu quicunque furor, (quid tum, ſi fuſcus Amuntas
Et nigræ violæ ſunt, & vaccinia nigra,)
Mecum inter ſalices lenta ſub vite jaceret:
Serta mihi Phullis legeret; cantaret Amuntas.
Hic gelidi fontes; hic mollia prata, Lucori:
Hic nemus; hic ipſo tecum conſumeret ævo.
Nunc inſanus amor duri me Martis in armis,
Tela inter media, atque adverſos detinet hoſtes.

Tu

Tu procul à patria (ne ſit mihi credere) tantum
Alpinas, ah dura, nives, & frigora Rheni
Me ſine ſola vides: ah te ne frigora lædant:
Ah tibi ne teneras glacies ſecet aſpera plantas.
Ibo, & Chalcidico quæ ſunt mihi condita verſu
Carmina paſtoris Siculi modulabor avena.
Certum eſt in ſilvis inter ſpelæa ferarum
Malle pati, teneriſque meos incidere amores
Arboribus: creſcent illæ: creſcetis amores.
Interea miſtis luſtrabo Mænala numphis:
Aut acres venabor apros non me ulla vetabunt
Frigora Parthenios canibus circumdare ſaltus.
Jam mihi per rupes videor, lucoſque ſonantes
Ire, libet Partho torquere Cudonia cornu
Spicula; tanquam hæc ſit noſtri medicina furoris,
Aut Deus ille malis hominum miteſcere diſcat.
Jam neque Hamadruades rurſus, nec carmina nobis
Ipſa placent; ipſæ rurſus concedite ſilvæ.
Non illum veſtri poſſunt mutare labores;
Nec ſi frigoribus mediis Hebrumque bibamus,
Scuthoniaſque nives hiemis ſubeamus aquoſæ:
Nec ſi, cum moriens alta liber aret in ulmo,
Æthiopum verſemus oves ſub ſidere cancri.
Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.
Hæc ſat erit, divæ, veſtrum ceciniſſe poëtam,
Dum ſedet, & gracili fiſcellam texit hibiſco,
Pierides, vos hæc facietis maxima Gallo,
Gallo, cujus amor tantum mihi creſcit in horas,
Quantum vere novo viridis ſe ſubjicit alnus.
Surgamus: ſolet eſſe gravis cantantibus umbra:
Juniperi gravis umbra: nocent & frugibus umbræ.
Ite domum ſaturæ, venit heſperus, ite capellæ.

FRANCISCUS SANCTIUS BROCENSIS,

LECTORI. S.

Constituerant viri quidam doctissimi, mihique amicissimi, ut quam correctissima Virgilii opera excuderentur. Quorum ea fuit mens, is scopus, ut nihil adderent, demerent, aut mutarent, quod non antiquorum librorum fide confirmaretur. Ego in his Bucolicis unicam vocem mutavi, quum Oetæo, *pro* Actæo *suppofui. Quod attinet ad Litteram Græcam y, non est mutatio, sed animadversio, ut facilius intelligatur antiquos homines expressisse y Græcum per u: cujus rei sunt auctores Sosipater Charisius, Terentianus Maurus, Victorinus, Terentius Scaurus, Verrius Flaccus, & Erasmus in libello* de pronuntiatione. *Novissime vero Adolphus Metkerchus ita dilucide, vere, ac eleganter de vera pronuntiatione Græca disseruit, ut facillimo negotio totam Italiam, Galliam & Germaniam ab hac Gothorum & barbarorum pronuntiandi fœditate avocaverit. Hic me magna cura liberavit scribendi contra F. Michaelem Salinas, qui fœtidum, & ridiculum librum de docta (ut ipse somniat) pronuntiatione confecit. Non hic ego contendo in verbis Græcis abjiciendum y, sed sonandum u, cum doctissimis adsevero. Licebit enim scribas* Nymphas, corylos, serpylum, *dum tamen* Numphas, corulos, serpulum, *agnoscas, ut Græcis antiquis in usu fuisse jam nemo est vel mediocriter doctus, qui id ignoret. Gothi, & cæteri barbari, qui bona omnia corruperunt, hanc etiam pronuntiandi pestem intulerunt. Multæ tamen voces genuinum sonum semper retinuerunt, nec corrupte leguntur, quum per y Græce scribantur: ut* Cumæ, Thule, astu, Ligurio, grunio, induo, luo, ruo,

ſuo, cluo, guberno, turbo, turba, curia, columbus, cuniculus, buxus, fruges, ſcutum, angulus, botrus, genu, cupreſſus, cuprum, marſupium, burſa, cutis, turris, cuminum, muræna, ruta, ſus, cubus, ſambuca, ſtupa, fuga, duo, ſub, ſuper, ſuperbus *& omnia nomina Romana quæ Græci ſcribunt per y, enunciabant ipſi Græci per u:* ut Romylus, Nymas, Tyllius, Syllas, ſilva *vero,* ſibilus, *&* ſidus *Latina ſunt, & per y ſcribi non debent.*

ADNOTATIONES AD BUCOL.

Titulos Eclogarum tantum abeſt, ut Virgilianos eſſe putem, ut etiam ab imperitis (quod etiam Martiali, Horatio, Valerio Maximo, & Paradoxis Ciceronis contigit) confictos eſſe judicem. Clare id oſtendit Eclogæ quartæ ineptus titulus.

„ Eclogas ab ἐκλογειν, id eſt, eligere, aut ſeligere dictas interpretor, contra multorum ſententiam. Nam Virgilius noluit hoc opuſculum ſuum penitus appellari, ſed ſelectum ex Theocriti canticis ingenue fatetur, ut in illo.

Sicelides Muſæ, paullo majora canamus.
Prima Siracoſio dignata eſt ludere verſu.

Aſſurgit enim Theocrito, Unde Politianus.

Namque Siracoſiis quamvis adſurgat avenis,
Heſiodum premit, & magno contendit Homero.

„ *Tituros* intelligo in toto carmine paſtoricio famulos paſtorum, à Τιτισκομαι, id eſt, obſervo: unde illud: *Paſcentes ſervabit Titurus hœdos.*

Patulæ fagi. Contra commentatores non ſolum Eclogarum, ſed etiam plantarum contendo, hic *fagum* ſumi pro ilice, aut verius eſculo, non pro *haya*, Hiſpanè: qui dicunt non quadrare ut paſtores ſub ilice captent umbras, falluntur Horat. 2. Epod. *Libet jacere modo ſub antiqua ilice.* Virgil.

Forte

Forte sub arguta consederat ilice Daphnis.

Adde quòd *Phegos* sic dicitur Græce à comedendo, ut esculus ab edendo, quia veteres glande vescebantur. Itaque fagus & esculus idem sunt: & *fagina pocula*, Hispane interpretor, (*de enzina, no de haya.*)

„ *Si mens non. l. f.* Sophoclis interpres in *Ajace*: *Antiqui* (inquit) *vana vocabant sinistra*: *Cordata vero, & firma, dextra.* De sinistra cornice dicetur *Eclo.* 9. Hic nulla est cornix & versus est adulterinus. Nec potest ferri vox illa sæpe, semel enim contigit illud augurium.

Post quam nos Am. h. Galatea reliquit. Notum est illud Aristippi. *Habeo Laidem, sed non habeor*, sic infra: *dum me Galatea tenebat.* Porro in verbis, *Galatea reliquit*, est elegans. *Euphemismos* tropus, quum res odiosas bonis verbis significamus: ut *benedicere*, pro maledicere: *recte* pro non: *sperare* pro timere: de quo latius in nostra *Minerva.* Ita hic: *reliquit Galatea*, pro relicta est, quod & infra clarius indicat: *Quid facerem*, id est, cur non relinquerem?

Ingratæ urbi. Non patefacit allegoriam (ut quidam doctissimi disputant) sed vocat ingratam, non Galateam, sed urbem illam, ubi erat Galatea, unde nunquam redibat ipse ditior, sic in *Moreto*.

Inde domum cervice levi, gravis ære redibat.

Quod à Catullo videtur mutuatus Virgilius.

Meisque pinguis agnus ex ovilibus
Gravem domum remittit ære dexteram.

Mæsta deos Galatea vocares. Sic habent antiqui codices, nec aliter constat sensus, qui antea erat obscurissimus. Fulvius Ursinus sic ait: *Quidam calamo notati libri habent Galatea, ut ad Mantuam refe-*

referatur. Quæ lectio ſit recipienda nec ne, doctis viris judicandum relinquam.

Hic mihi reſponſum primus dedit ille petenti. Futilis & malus verſiculus, ſi grammatice interpreteris. Sed reſponſum hic non pro reſponſione accipi debet, ſed pro dei oraculo: ut in illis: *vatiſque ferunt reſponſa per auras*: &: *In dubiis reſponſa petunt*: & *pater ipſe petens reſponſa Latinus*. Itaque reſponſa, id eſt, oracula petuntur. Deinde vox (*ille*) quæ aliquibus videtur redundare, magnum quid inſinuat. Solet enim Virgilius articulum Græcum exprimere, atque adeo cum quadam emphaſi, non ut aliquid referat, ſed oſtendendi gratia. Æneid. 10.

Ceu Sirius ardor,
Ille ſitim morboſque ferens mortalibus ægris. Æne. 11.
Ac velut ille prius, quam tela inimica ſequantur.
Occiſo paſtore lupus Æneid. 12.
Saucius ille gravi venantum vulnere pectus.
Tum demum movet, arma leo. Georg. 3.
Eſt etiam ille malus calabris in ſaltibus anguis.

Submittite tauros. Submittere tauros eſt ſubſtituere, & propagare, ut ex M. Varrone, & Columella intelligimus, & ex titulo *de rer. diviſ.* apud Juriſconſ. Lucret. *lib.* 1.

Tibi ſuaves dædala tellus ſummittit flores. ibid.
Lætificos nequeat fœtus ſummittere tellus.

Obducat paſcua. Obſcurus ſenſus ſic lucem accipiet. Quamvis paſcua tua non ita laxis terminis includantur, ut pecus longius poſſit evagari; hoc tamen habebitis utilitatis, primum ut prægnantes & graves oves inſuetis pabulis non tententur: deinde, ut quæ jam pepererunt, nulla mala contagia ex alieno pecore contrahant. Porro verbum *obducere* non vulgari modo interpretor, ſed pro vallare, aut obturare ne aliquid egrediatur. Pomponius Mela, *de Nili oſtiis: venti arenis, quas cum fluctibus littori applicant*,

cant, *ostia obducunt*. Nugatur igitur Nonius cum *obducere* pro aperire, & protegere interpretatur. Dicit igitur Virgilius: Includitur tuum pecus ex altera parte lacunis, ex altera pariete ex nudis lapidibus sine calce coaptatis. *Fœtas* autem, pro partu levatas ex Nonio interpretor. Virg. 8.

Fecerat, & viridi fœtam Mavortis in antro
Procubuisse lupam, geminos circum ubera natos.

Majoresque cadunt. Nullus est poëta vel Latinus, vel Italus, vel Hispanus, aut Gallus, qui hoc Virgiliano versiculo non abutatur. Sed heus tu, quam horam diei mihi commonstrabis, in qua majores umbræ non cadant de montibus altis? Imo vero si me roges quænam hora hic significetur, dicam significari solem jam occidisse, quum villarum culmina fumarent, nam post solem occasum incipiunt villicæ suis maritis cænam parare. Sic autem res habet. Credebant veteres nihil aliud esse noctem, quam occultationem solis circum Hyperboreos montes (quos hic altos vocat) unde rursus emergeret mane. Refellit hanc veterum opinionem Aristoteles *Meteor. lib.* 2. *cap.* 1. sic: *Quod autem ea terræ portio quæ ad septentrionem posita est, excelsa sit, indicio vel id esse potest, quod non pauci ex iis, qui olim sublimium rerum studiosi fuerint, Solem non subter terram ferri, sed circa eamdem, atque locum ipsum crediderunt.* Disparere autem, atque noctem committere, quoniam terra ad Ursam conversa sit. Hæc ille *Majores* igitur *umbræ*, aut *magnæ umbræ* dicitur Nox. Virgil. *Æneid.* 2.

Vertitur interea cœlum, & ruit oceano nox,
Involvens umbra magna terramque polumque. Ibid.
Nox atra cava circumvolat umbra. Æneid. 6.
Ubi cœlum condidit umbra.

IN ECLOG. II.

Alba ligustra cad. Miror doctos viros in explicando versiculo tam occupatos, quum ligustrum sit arbor notissima, in Africa præcipue, quæ Hispane vocatur *Alheña*: cujus radicis succo Afri caudas equorum solent intingere. Flores habet candidissimos, fructus nigerrimos, utrosque simillimos sambuci, nisi sint fructus duriores & ad tingendum utiles.

Actæo Aracuntho. Lego *Oetæo*, id est, Bœotio. Sic mutavi aliquando in Metamorph. id est.

Separat Aonios Oeteis Phocis ab arvis
Terra ferax.

Quo in loco explicando sudant docti, & nihil explicant, quia legunt *Acteis.*

Sic positæ quon. suav. Latina & elegans locutio, & Græcis usitata, id est, sine ordine, utcunque, Hisp. (*como quiera*,) *Georg.* 4.

Sic positum in clauso linquunt, Æneid. 2.
Sic ô, sic positum affati discedite corpus.

Horat. 1. *Serm.* de lepore venali,

Positum sic tangere nolit.

ut Joan. 4. cap. *sedebat sic supra fontem.*

ECLOGA III.

Quum faciam vitula. Vitula in sexto casu censeo retinendum, nam verbum omne (passivis exceptis) sine accusativo esse non potest, quum igitur verbum *facio* significat sacrificare, id est *sacra*. Sic apud Plaut. *Facere rem divinam.* Livius *lib.* 1. *ut patrio ritu sacra Albani facerent.* Ovid. 3. *Met.*

Sacra Jovi facturus erat.

Suppresso igitur accusativo apte dicetur: *Thure sacrificant, & faciunt vitula.* Cic. *pro Muren. Cui omnes*

omnes consules facere necesse est. Livius *lib.* 6. *dec.* 4. *quadraginta hostiis majoribus prætor sacrificaret*, & *lib.* 7. *decad.* 1. *vicentis majoribus hostiis sacrificare*, & *lib.* 9. *dec.* 1. *Hostiis majoribus consules procurarent.* In Plauto legebatur *quotannis fecerat.* ego ante Lambinum substitui *quot agnis fecerat.*

Dic quibus in terris. Multa multi de hoc ænigmate commenti sunt. Petrus Crinitus *lib.* 3. *cap.* 8. dicit Virgilium anxie quærentibus de hoc versiculo respondisse: se crucem fixisse Grammaticis, in qua se assidue distorquerent. Alciat. *in Parerg.* nescio quid de furni, aut clibani ore comminiscitur, ut interim mittam aliorum frivolas interpretationes. Ego vero, quid Virgilius voluerit significare, arbitror me deprehendisse. Mundus & cælum idem significat. Plinius sic incipit suum opus. *Mundum & hoc quod alio nomine cœlum appellare libuit:* Et Pomponius Mela sic: *Omne igitur hoc, quidquid id est, cui mundi cœlique nomen indidimus.* Macrob. *in Somn. cap.* 20. *lib.* 1. *Ita enim non solum terram, sed ipsum quoque cœlum, quod vere mundus vocatur temperari sole certissimum est.* Nunc addam verba Macrobii ex *lib.* 1. *Saturn. cap.* ut gradum faciamus ad interpretationem versiculi: *Nam quum Latia, hoc est Latinarum solemne concipitur item diebus Saturnaliorum: sed & quum Mundus patet: nefas est prælium sumere.* Et paullo inferius: *Neque patente Mundo, quod sacrum Diti patri & Proserpinæ dicatum est: meliusque occlusa Plutonis fauce eundum ad prælium putaverunt.* Colligamus igitur cum Festo Pompeio fuisse Romæ templum subterraneum, Diis Manibus consecratum, quod Mundus patens vocaretur. Et ex eo dictus, quod tres tantum dies in anno pateret: pridie Volcanalia, & a. d. 3. Non. Octob. & a. d. 6. Id. Novemb. Itaque per eos dies non cum hoste manus conserebant: non exercitus scribebatur, non comitia habebantur, non aliud quicquam in

rep. nisi quod ultima necessitas admonebat, administrabatur. Plutarchus etiam in *Romanis quæstionibus* hæc tetigit. Si ergo pastor proposuisset *quæstionem* sic: Quibus in terris Mundus partet per tres dies, facilis erat solutio: Sed pro mundo dixit cœlum; pro tribus diebus, dixit tres ulnas, accipiens videlicet mensuram usualem, pro mensura temporis, qui sunt dies.

Inscripti nomina reg. Postquam in Pausania legi, hunc florem se vidisse in Salamine, desii quærere, quales sint, aut ubi sint hi flores. *Ostenditur*, inquit *lib.* I. *Salamine saxum.* cæt. Tradunt incolæ post Aiacis interitum apud se primum florem enatum, candidum, rubentem modice lilio, cum cæteris partibus, tum foliis minorem, inscriptum vero iisdem, quibus Hyacinthum literis.

ECLOGA IV.

Titulos Eclogarum non esse Virgilianos vel ex hac ecloga judicari potest, suppostitii sunt, velut odarum & epigrammatum. Quid enim scribatur *Pollio*, aut *Saloninus*: tolerabilior titulus erat, qui alicubi legitur, *Interpretatio aurei sæculi.* Accusaretur majestatis Maro, si vivente Augusto de Pollionis, vel alterius filio sæculorum instaurationem adscriberet. Res sic habet. Legerat Virgilius Sibullæ carmina, ex quibus Christi adventum appropinquare colligebat. Constituit ergo carmen genethliacon Aug. filio nasciturо componere. At dices quinam erat ille Aug. filius, quum Augustum constet mascula prole caruisse. Audi Suetonium *in Augusto*: *Ex Livia nihil liberorum tulit, quam maxime cuperet: infans qui conceptus erat, immaturus est editus.* Sibi igitur persuadebat Virgilius, illum, quem vates canerent venturum, non alibi, quam Romæ, non alio potiore patre, quam esset Augustus, nec alio tempore, quam

quam in summa rerum omnium tranquillitate nasciturum. Sed divinitus factum crediderim, filium Augusti non vixisse. Tanta enim esset Virgilii autoritas, tanta Sibullini carminis male intellecti majestas, ut puer sic natus pro Deo coleretur.

Ultima Cumæi. Vives putat tempus natalis Christi descriptum à Sibulla fuisse per primas literas carminum, quæ vocantur acrostichides. Non legerat ille libros sibullinos, qui postea Græce sunt excusi. Tempus igitur verbis planis describit Sibulla *lib.* 2. in calce. Verba latine proferam, ne Græcis obstrepam.

Sed postquam Roma Ægyptum reget imperioque
Frenabit: summi tunc summi potentia regni
Regis inextincti mortalibus exorietur.
Rex etenim sanctus veniet, qui totius orbis
Omnia sæclorum per tempora sceptra tenebit,
Tuncque Latinorum non eluctabilis ira
Tres Romam tristi fatorum stamine perdent.

Magnus ab integro. De anno magno & de mensibus magnis, dixi in *Sphæra*, ex Cicerone, Macrobio & astrologis.

„ *Jam redit & Virgo.* Quid hic senserit Virgilius, ipse indicat, 2. *Georg.*

Extrema per illos
Justitia excedens terris vestigia fecit. Et Ovid.
Ultima cœlestum terras Astræa reliquit.

Nihilominus tamen (quia Virgilius, Sibullam non intelligens, alio referebat) doctissimi viri de Virgine matre hæc interpretantur. Eusebius *de vita Constantini* (ubi hanc Eclogam Græce vertit) sic ait: Quænam igitur hæc est Virgo, quæ rediit? An non ea, quæ plena & fœta facta est de Spiritu sancto? Et quid impedit quominus puella hæc de divino spiritu gravida semper sit, & maneat virgo? Redire autem denuo apte dicetur, quæ suo adventu orbem relevabit. Sic Sannaz. *lib.* 3. *de part.*

Ultima

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas,
Magna per exactos renovantur sæcula cursus.
Scilicet hæc virgo est, hæc sunt Saturnia regna.

Illud vero multo magis animadvertendum, quod in nostris historiis traditur de Secundiano viro togato & gravi, deque Veriano pictore, qui quum Marcellianum virum eloquentissimum convenissent, quumque diligentius Maronis carmina perscrutarentur: nihil aliud hic intelligi statuerunt, quam Deum è Virgine nasciturum, ut genus humanum redimeret. Quare vitæ rationem commutantes (erant enim à Christi pietate alieni) ad Christum sunt conversi, & à Xisto summo pontifice sacro Baptismate loti. Deinde pro Christo à Valeriano Cæsare interfecti.

Jam nova progenies. Sibulla *lib.* 3.
Tum Deus è magno regem dimittet Olumpo.

Ferrea ætas desinet. Hesiodus & Ovidius multa de his ætatibus scripsere; sed credibile est priorem Sibullam scripsisse, ut legimus *libr.* 1. & *libro* 3. *circa principium:* & ibidem in fine ætatis decimæ sic ait.

Tum demum surget magni præclara Dei gens
Qua duce mortales omnes bene vivere discent.
At tibi prima puer. Sibulla *in calce operis.*
Hoc puero nato properavit gaudia Tellus.
Cœlestis risit sedes: & gestiit orbis.

Eusebius *ibid.* Ipsis namque Dei cunabulis Spiritus sancti virtus fragrantes quosdam flores, novam scilicet progeniem dedit.

Nec magnos metuent. Sibulla in *calce tert. lib.*
Cumque lupis agni per montes gramina carpent,
Permistique simul pardi pascentur, & hœdi:
Cum vitulis ursi degent armenta sequentes,
Carnivorusque leo præsepia carpet, uti bos.

Occi-

Occidet & serpens. Eusebius loco citato: Serpens vero occidit, & venenum serpentis illius, qui parentes primos seduxit, ac mentes eorum in transversum egit. Et mox: Itaque non immerito occidit venenatorum serpentium natura, occidit & mors. Et statim: & amomum ubique nasci dicens, sic multitudinem cultorum dei appellat: quia sic ex una radice multitudo ramorum fragrantibus floribus vernans, ac moderato rore irrigatim germinat. Sic Sannaz. *lib.* 3.

Occidet & serpens miseros quæ prima parentes
Elusit, portentificis imbuta venenis.

Molli paull. sic Sibulla *sermone* 3.
Tunc Deus humanis concedet gaudia magna
Terraque & arboreæ stirpes, pecudumque catervæ
Innumeræ veros fructus mortalibus edent:
Vinum, dulceque mel, niveum lac, quodque vel inter
Omnia frumentum mortales adjuvat ægros.

Hujusmodi quædam canit *lib.* 3.

Jam nullus sulcos curvo proscindet aratro,
Terra nec à bubus ferro scindetur acuto,
Nec spicæ, nec erunt sarmenta, sed omnibus una
Roscida Manna simul mandetur dentibus albis.

Et duræ quercus. Eusebius *ibid.* Stoliditatem hominum illius temporis, ac strigosos mores describit: & quam suavem ii, qui filium Dei audiunt, tolerantiæ suæ fructum recepturi sint, docet. Alii hic Apostolos contendunt significari.

Pauca tamen suberunt. Servatorem (inquit Euseb.) ad Trojanum bellum proficisci significat poeta. Troiam autem totum orbem intelligi. Expugnavit igitur palam pravam illam adversariam potentiam Christus, & propria providentia & maximi patris mandato missus.

Cedet

Cedet & ipse mari vect. Lactant. Firmian. *lib.* 7. c. 24. dicit hæc omnia ex Sibulla Cumæa desumpta. Deinde ex Eruthrea citat illa.

Cumque lupis agni, cæt. Post illa:
Tum Deus humanis.

Nos etiam ex *lib.* 3. hæc addimus.

Nam terra omniparens fruges mortalibus almas
Edet inexhaustas olei, vinique, cibique,
Dulciaque ex alto cœlo rorantia mella.
Arboreos fructus, nitidas pecudesque, bovesque,
Agnos, atque agnas pingues, hœdosque caprarum,
Et niveo fontes erumpent lacte suaves,
Oppida plena bonis & pinguia culta vigebunt,
Nec gladios metuet, nec belli terra tumultus.
Nec tremefacta gemet nutanti pondere Tellus.
Nec bellum, nec erit sentorum squallor agrorum.
Aut famis, aut fruges vastantis grandinis horror.
Verum pax terris florebit in omnibus alta.

Talia sæcla suis. Imitatio Catulliana.
Talia divino fuderunt carmine fata: Item
Currite ducentes subtegmina, currite fusi.

Parcæ unde dicantur explicuimus in *Minerva* quum receptam Grammaticorum Antiphrasim explodimus.

Cara Deum soboles. Virgilius *in Ceiri.*
Cara Jovis soboles magnum Jovis incrementum.

O mihi tam longæ. Eusebius citat Sibullam Eruth. sic: *Quid mihi, ô domine, divinationis necessitatem imponis, & non magis à terra in sublime sublatam usque ad beati adventus tui diem custodis?*

Incipe parve puer. Politianus *Miscell.* 89. disputat contra Servium ex *lib.* 9. *Quintiliani*: Quintilianus enim non *Cui*, legit, sed *qui*, pluraliter, hoc sensu: ex illis qui non risere hunc neque dea, cæt. Sed mihi nec Politianus, nec Quintilianus satisfacit.

Ego

Ego enim risu matris intelligo pueros incipere cognoscere matrem, & ideo sequitur: *cui non risere parentes*, cæt. quin si legas: *qui non risere*, vox *Qui*, in dandi casu intelligetur, melius enim declinabis *Quujus Qui*, quam *cujus cui*, ut recte docet Petrus Bembus in *Phorm. Terent.*

ECLOGA V.

Et quum sollemnia vota reddemus Numphis. Quid sit *sollemne* & unde dicatur, diximus in Minerva. Porro, reddere vota Numphis in agro, ex ritu antiquo est. Nam Numphis in agro religiose operabantur. Sic apud Eurypid. Ægistus in agrum exit, ut Nymphis sacrificet, unde illud:

Et quo (sed faciles Numphæ risere) sacello.

ECLOGA VII.

Jupiter, & læto descendet plurimus imbri. Plurimus, & multus aliquando non significat numerum, sed longitudinem, ut *mons plurimus*, *nux plurima* pro amygdala in *Georg. plurima cervix*, id est, longa. Sic Horatius *in Odis*, quod non intelligunt interpretes:

Plurimus in Junonis honorem.

Id est, qui multus est in laudibus Junonis.

ECLOGA VIII.

Terna tibi Licia circundo. Utitur hæc maga lance & licio, ut divinet an vir sit venturus. Lances erant patinæ sacræ, quibus magæ uti solebant in inquirendis furtis. Hæc involvebantur liciis discoloribus, ita ut penderent intra licia, deinde prolatis & nominatis iis, de quibus erat suspicio, lanx sua sponte movebatur intra licia. Hinc jam patet quid sit illud à doctissimis viris diu quæsitum nec inventum. *Furta*

per

per Lancem & licium concepta tanquam manifesta vindicantor. Non enim tria sunt genera furtorum, sed duo tantum, Manifesta, & Nec manifesta. Sed *Leges* 12. *tabul.* jubebant ita fidem haberi Liciis & lancibus in concipiendis furtis, (quia res divina erat, & quasi divinæ sortes) ac si essent furta manifesta. Solebat etiam hæc furtorum conceptio fieri per acumina, id est fixis in vanno pendenti cultris tonsoriis, & nominato fure vannus vertebatur in girum. Sed hæc non solum nostris temporibus, sed etiam antiquitus sunt prohibita.

ECLOGA IX.

Ante sinistra cornix. Lib. 1. *de Divinat.* Q. Cicero divinationem defendens sic ait: *Quid augur? Cur à dextra corvus, à sinistra cornix faciat ratum.* Cui M. Cicero respondet *lib.* 2. sic. *Nulla est inter augures convenientia.* Et Ennius more Latino, *lævum* dixit pro *bono:* & Homerus *dextrum* pro *prospero* accepit. *Ita nobis* (subdit) *sinistra videntur: Graiis & barbaris dextra, meliora. Quanquam haud ignoro, quæ bona sint, sinistra nos dicere: etiam si dextra sint. Sed certe nostri sinistrum nominaverunt, exterique dextrum, quia plerumque melius id videbatur.* Hæc Cicero. Sed hæc aliquantulum excutiamus. Quoniam Lambinum & Turnebum video discrepantes in illo Horatii *libro* 3. *od.* 27. Turneb. *libro* 6. *cap. ultim.* Corvorum auguria a dextris felicia, à sinistra infausta: unde quum solis ortum lævam partem crederent augures, dixit Horatius: *Oscinem corvum prece suscitabo solis ab ortu.* Lambinus sic. Augures, quum augurium captabant, Orientem solem expectabant, ut meridies esset pars dextra: cæt. Livius *lib.* 1. aliquantum obscurè Numæ inaugurationem depingit. Rex in lapide ad meridiem versus consedit: augur ad lævam ejus capite

pite velato ſedem cepit: regiones ab oriente ad occaſum determinavit dextras ad meridiem partes, læ-vaſque ad ſeptemtriones eſſe dixit. Hunc locum ex Plutarcho in *Numa*, & ex Dionyſio Halicarn. ſic interpretor: Rex ſedebat verſus ad meridiem capite velato, & augur juxta regem ſedem cepit verſus in orientem, & ita dextras dixit meridiem. diſpunge igitur ſic. *augur ad lævam, ejus capite velato, ſedem cepit.* Sed in Virgiliano loco explicando magis placet Ariſtotelis ſententia *qui.* 2. *cœli c.*2. dicit augures dextras & ſiniſtras non ex natura cœli, ſed reſpectu ſui conſtituere. Itaque paſtor hic ad ſuam dextram cornicem audivit: & quia in arbore glandifera crocitantem audivit, conjectatus eſt, non eſſe ſuſcipiendas lites de agro cum clamoſo milite.

ECLOGA X.

Nec te pœniteat pecoris. Verbum *pœnitet* non ſolum à Grammaticis, ſed etiam à doctis in varias diſtrahitur ſignificationes. Sed quum in libro *de cauſis linguæ Latinæ* liquido comprobaverimus, *unius vocis unicam tantum eſſe ſignificationem*: in hoc etiam verbo explodemus illam, quam huic verbo, non ſine diſcipulorum admiratione Grammatici inculcant, id eſt, parum videtur. Terent. *Heautont. Me quantum hic operis fiat pœnitet.* His & aliis tenebris implicantur Grammatici, quia veras, proprias, & genuinas interpretationes vocum, aut ignorant, aut vilipendunt. Nam ſi vocum etymologias rimarentur, nec verba imperſonalia pueris obtruderent, nec cum Calepino varias ſignificationes ſomniarent. *Pœnitet* igitur verbum activum eſt, *coaluit* ex *pœna* & *tenet.* ut, *Pœnitet me conviviorum*, id eſt, *pœna* vel *pœnitentia conviviorum tenet me.* Q. Curtius: *Malo me fortunæ pœniteat, quam victoriæ pudeat*: id eſt,

malo

malo me fortunæ pœna teneat, quam pudor inhonestæ victoriæ me teneat. Pœnitere dicimus, quum quæ ipsi fecimus, ea nobis post displicere incipiunt, & molesta esse. Hispan. (*desdeñar, enfadar.*) *Sic Eclog.2.*

Nec te pæniteat calamo trivisse labellum.

Ubi *trivisse labellum*, pro recto est, tritura labelli non pœniteat te. potest esse quoque infinitum pro genitivo, ut si dissolvas: *pœna trivisse labellum ne teneat te.* Sic etiam dicimus. *Tædet nos laboris*, vel *laborare*, id est, laborare tædet nos, aut tædium laboris nos tenet. Terent. *Non te hæc pudent*; Plautus: *Quod pudet, facilius fertur, quàm id quod piget.*

AD IV. ECLOGAM.

Carmina XXXIV. Sibyllæ Erythræe, ex *lib.8.* cum hac acrostichide, ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΕΙΣΤΟΣ, ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ, ΣΟΤΕΡ, ΣΤΑΥΡΟΣ, id est, JESUS CHRISTUS Dei filius Soter Crucem.

Magist. Franc. Sanctio interprete.

J udicii signo sudabit terra pavescens.
E t rex æternus summo descendet Olympo
S crutari mortale genus terramque polumque
U nde Deum pius atque malus clareque palamque
S ummum cum sanctis in sæcli fine videbit
C orporeum, ille animas solio censebit ab alto,
H orreat incultus densis quum sentibus orbis.
R efringent simulacra viri, gazæque peribunt.
I gnis & exuret terras cælumque salumque.
S crutans exuret postes orcique cavernas
T unc repetet lucem sanctorum turba: scelestos
U ret inexhaustus per sæcula cuncta caminus,
S ecretosque actus omnes tunc quisque loquetur.

Dum

D um reteget furvis Deus obsita corda tenebris.
E cce dolor cunctis, & stridor dentis adesi.
I pseque Sol deerit, nec ducent astra choreas,
F ulgorem amittet cælum, luna aurea lumen.
I nsurgent valles, subsident ardua montis,
L uxus fastosus mortales deseret oras
I nde æqui montes campis, hinc cærula ponti
V ector non verret: putrescet fulmine tellus.
S ic fontes simul arescent, & fluminis alvei.
S tridula tunc querulum sonitum tuba fundet Olympo;
O rbis grande malum rugiens, & damna futura
T artareumque chaos monstrabit terra dehiscens.
E t venient omnes reges magni ante tribunal.
R efluet è cœlo tunc sulphuris amnis & ignis.
C unctorumque hominum fient manifesta sepulcra.
R obur erit fidis cunctis optabile lignum,
V ita piorum hominum: cœci sed scandala mundi.
C ollustrans undis bisseno in fonte vocatos
E gregius pastor virga compescet acerba
M aximus ille Deus, descriptus acrostichide ista.

Scrutator, nostra Athanatos Rex crimina pendens.

EXPLODUNTUR INEPTI CENTONES A DIVINIS ÆNEIDOS CARMINIBUS.

DIvina Æneis perfectissima est. Nugantur qui scribunt, Virgilium, quia non satis esset emendata, jussisse comburi: & ut fidem huic rei faciant, obtrudunt nobis declamatoris cujusdam versiculos, quasi ab Augusto factos vetante comburi divina carmina. Ex industria Virgilius graves aliquas sententias hemistichio cludebat, ut: *Huc cursus fuit*: *cuncti simul ore fremebant Dardanidæ*: *Munera lætitiamque Dei*: *Et quorum pars magna fui*: *Quid puer Ascanius*. *Silvius Albanum nomen*, & multa alia: quæ omnia male feriati homines, & inepti poëtastri supplere conati sunt, ex quibus quædam remanserunt, quæ pro Virgilianis habita commentatoribus non leve negotium facesserunt.

Expunge igitur inepta illa, & indigna Virgilio quatuor carmina, quæ nullus antiquorum legit: nam opus Æneidos ab illis omnibus vocatur: *Arma virum.*

Libro 2. *vers.* 6. dele: *Quis talia fando.* Nam barbarum est: *legendi libros*: *legendo libros*: *ad legendum libros*: nec Latina lingua agnoscit Gerundia, & Gerundiva Grammaticorum, ut alibi fusius affirmamus.

Libro 2. *vers.* 76. lege: *Ille hæc*: *Cuncta equidem tibi rex*: dele: *posita tandem formidine fatur*: nam hic versiculus aptissime quadrat cæteris *lib.* 3. Æneid. at hic *deposita formidine* non quadrat, quia inferius legimus: *Prosequitur pavitans*: vox *Tandem*, hic locum non habet, quia nihil adhuc dixit; vox: *Fatur*, frustra est, quum statim sequatur: *Inquit.*

Libro 3. *vers.* 439. lege: *Quid puer Ascanius?*

Talia

Talia fundebat lacrumans, longosque ciebat,

Cætera ex diversis locis Virgilianis male hic assuta sunt.

Lib. 3. *vers.* 484. dele: *neque cedit honori:* quæ verba coegerunt Servium delirare.

Lib. 3. *vers.* 660. leg. *Lanigeræ comitantur oves; ea sola voluptas, Solamenque mali,* abjice putidum illud: *de collo fistula pendet.*

Lib. 4. *vers.* 435. leg. *Extremam hanc oro veniam.*
Talibus orabat, talesque miserrima fletus.

Ineptus glossator non intellexit: *Extremam hanc oro veniam*: referri ad Æneam, & esse extrema verba petitionis, sed retulit ad Annam, & nihil explicavit.

Lib. 5. *vers.* 547. leg. *Æpitydem vocat.*
Vade age: & Ascanio, si jam puerile paratum.

Infra est verbum: *Ait*, quod etiam si non esset, ineptum fuit addere: *Fidam sic fatur in aurem.*

Lib. 6. *vers.* 36. leg. *Deiphobe Glauci.*
Non hoc ista sibi tem. spect. poscit.

Dele: *Fatur, quæ talia regi*: nam infra est: *Talibus affata Ænean*: & vox (regi) nihil hic agit.

Lib. 6. *vers.* 164. leg. *Misenum Æolidem*:
Hectoris hic magni fuerat comes, Hect. circ.

Hic meras nugas inculcant aliqui.

Lib. 6. *vers.* 763. leg. *Silvius Albanum nomen:*
Quem tibi longævo serum Lavinia conjux.

Nugatur Aggellius, & affligantur doctissimi viri in explicanda Postuma prole sed frustra.

Nam Virgilius tam inepte nunquam scripsisset.

Lib. 9. *vers.* 363. expunge integrum versiculum:
Post mortem bello Rutuli, prædaque potiti.

Sic Servium, & commentatores magna liberabis anxietate, infra legitur: *Victores præda Rutuli, spoliisque potiti.*

Lib. 10. *verſ.* 186. leg. *Tranſierim Cycne.*
Cujus olorinæ ſurgunt de vertice pennæ.

Lib. 10. *verſ.* 223. expunge totum verſiculum.
*Quot prius æratæ ſteterant ad littora proræ. ex lib.*9.

Lib. 10. *verſ.* 490. leg. *Quem Turnus ſuper aſſiſtens:*
Arcades hinc, inquit, memores mea dicta referte.

Lib. 11. *verſ.* 41. *Cuſpidis Auſoniæ:*
Téne, inquit, miſerande puer, quum læta veniret,

Lib. 11. *verſ.* 415. leg. Quamquam ô.
Hic mihi ante alios, fortun. laborum.

Lib. 11. *verſ.* 822. *Quicum partiri curas:*
Hactenus, Acca ſoror, potui: nunc vulnus acerbum.

Lib. 12. *verſ.* 10. leg. *Tunc ſic affatur regem:*
Nulla mora in Turno: nihil eſt, quod dicta retractent.

Lib. 12. *verſ.* 47. leg. ut primum fari potuit, ſic incipit:

Lib. 12. *verſ.* 168. leg. *Et juxta Aſcanius,*
Procedunt caſtris: puraque in veſte ſacerdos.

Ridicula & puerilia fere ſunt omnia quæ narrantur in vita Virgilii: ſed nihil magis riſu dignum, quam quod narrat Petrus Crinitus ex Servio & aliis, Ciceronem audiſſe aliquando Virgilium publice recitantem, & exclamaſſe: *Magnæ ſpes altera Romæ.* ſed merum eſſet delirium ſi talia verba effutiret Cicero ſi viveret, ſed neque tunc erat inter vivos. Et Virgilius poſt debellatos Cæſaris interfectores agros amiſit, & Romam venit, & poſt acceptos agros primam Eclogam compoſuit, dele igitur: *Magnæ ſpes altera Romæ:* quæ verba cum præcedentibus non poſſunt cohærere.

Lib. 12. *verſ.* 806. leg. *Ulterius tentare veto.*
Sic dea ſubmiſſo contra Saturnia vultu.

Lib. 12. *verſ.* 806. Dele, ſic *Jupiter orſus.*
Non enim incipiebat Jupiter, ſed deſinebat.

FRAN-

FRANCISCI SANCTII BROCENSIS,

In Inclyta Salmanticensi Academia Rhetorices, Græcæque Linguæ Doctoris,

IN IBIN OVIDII,
ET IN
TERNARIUM AUSONII GALLI,

ANNOTATIONES.

Juxta Exemplar Salmanticense anni 1598.

GENEVÆ MDCCLXV.

LICENCIA.

DAmos licencia paraque ſe impriman en Salamanca eſtas *Annotationes in Ibin Ovidii*, *& in Griphum Auſonii Galli*. 16. de Febr. 1598. años.

Maeſtro Doctor
Franciſco Sanchez.

D. EMA-



D. EMANUELI SARMIENTO

Doctori Theologo, amico magno,

FRANCISCUS SANCTIUS BROCENSIS S. P. D.



UUM te, AMICE MAGNE, *non ita pridem ad Sacra Bibliorum oracula penetranda, propensum, & paratum animadvertissem: autor tibi fui, ut prius poëtarum Græcorum & Latinorum verba & sententias ad unguem percalluisses. Paruisti candide monenti, & intra paucos menses tanti negotii pensum absolvisti. Dixisti tamen, te noluisse operam seriam* Ibidi *Ovidianæ impendere, ne præclari tui conatus inutili quasi mora retardarentur. Quum præcipue sæpius ex me audisses, interpretes illius operis fabulas, aut historias sæpe fingere, quæ, si quis non acriter advertat, mirificè proposito quadrare videantur. Facile huic malo, dixi, medicinam possumus adhibere: Nam aliquando in id poëmation quædam adnotavimus, quæ minus ab interpretibus intelligerentur. Id quicquid est, tuo nunc permissu in lucem prodit. Adjunximus etiam auctarii vice, & si non ejusdem argumenti, similis tamen obscuritatis in* Ternarium *Ausonii Galli tumultuarias Annotationes. Id totum quale quale est, tibi dicatur, & limato ingenio tuo traditur examinandum.*

P. OVIDII NASONIS
IN QUENDAM, QUEM VOCAT *IBIN*, LIBER.

ARGUMENTUM.

ANnum agens Naso quinquagesimum, ab Augusto Imperatore in Pontum relegatus est. Dum autem exularet, inter reliqua sua opera, invectivam in quendam edidit, quem, proprio nomine suppresso, Ibin *appellat. Sicut Callimachus qui etiam sub hoc nomine Apollonium Rhodion ejus discipulum diris imprecationibus devovit. De Ibide autem ita scribit Plin.* lib. VIII. c. 32. Simile quiddam & volucris in eadem Ægypto monstravit, quæ vocatur *Ibis*, rostri aduncitate per eam partem se proluens, qua reddi ciborum onera maxime salubre est. *Herodotus vero duplicem esse dicit, alteram nigram, alteram ciconiæ non absimilem, sed tamen diversam, de hac etiam Cicero* lib. 2. de Nat. Deorum *sic ait:* Velut Ibes maximam vim serpentum conficiunt, cum sint aves excelsæ, rigidis cruribus, corneo, proceroque rostro, avertunt pestem ab Ægypto, cum volucres angues, ex vastitate Libyæ vento Africo invectas interficiunt, atque consumunt: ex quo fit ut illæ vivæ nec morsu noceant, nec odore mortuæ. *Hæc ille. Cum itaque tanta sit hujus avis spurcitas, ut proprio ore ventrem purget, Callimachus adversarum tanquam fœdissimum, ut hominem nullius decoris, & commendationis significet, hoc nomine vocitavit: ad cujus imitationem Ovidius inimicum quoque suum* Ibim *nominavit. Causam autem hujusce maledicentiæ hanc fuisse ipsemet aperit: sollicitabat poëtæ uxorem, & linguæ venena auribus susurrabat, ut diutius illum in exilium remoraretur.*

Tempus

TEmpus adhoc, lustris mihi jam bis quinque peractis,
 Omne fuit Musæ carmen inerme meæ.
Nullaque quæ possit scriptis tot millibus extat
 Littera Nasonis sanguinolenta legi.
Nec quenquam nostri, nisi me, læsere libelli,
 Artificis periit cum caput arte sua.
Unus (& hoc ipsum est injuria magna) perennem
 Candoris titulum non sinit esse mei.
Quisquis is est (nam nomen adhuc utcunque tacebo)
 Cogit inassueta sumere tela manus.
Ille relegatum gelidos Aquilonis ad ortus
 Non sinit exilio delituisse meo.
Vulneraque immitis requiem quærentia vexat,
 Jactat & in toto verba canina foro.
Perpetuoque mihi sociatam fœdere lecti
 Non patitur miseri funera flere viri.
Cumque ego quassa meæ complectar membra carinæ,
 Naufragii tabulas pugnat habere mei.
Et qui debuerat subitas extinguere flammas,
 Hic prædam medio raptor ab igne petit.
Nititur ut profugæ desint alimenta senectæ,
 Heu quantò est nostris dignior ille malis.
Dii melius, quorum longè mihi maximus ille est,
 Qui nostras inopes noluit esse vias.
Huic igitur meritas grates, utcunque licebit,
 Pro tam mansueto pectore semper agam.
Audiet hæc Pontus, faciet quoque forsitan idem,
 Terra sit ut potior testificanda mihi.
At tibi, calcasti qui me violente jacentem,
 Quam licet, & misero debitus hostis ero.
Desinet esse prius contrarius ignibus humor,
 Junctaque cum Luna lumina Solis erunt:
Parsque eadem cœli Zephyros emittet, & Euros,
 Et tepidus gelido flabit ab axe Notus:

Et nova fraterno veniet concordia fumo,
  Quam vetus accensa se parat ira pyra:
Et Ver Autumno, Brumæ miscebitur Æstas,
  Atque eadem regio vesper, & ortus erit:
Quam mihi sit tecum positis quæ sumsimus armis
  Gratia, commissis, improbe, rupta tuis:
Quam dolor hic unquam spatio evanescere possit,
  Leniat aut odium tempus, & hora meum.
Pax erit hæc nobis (donec mihi vita manebit)
  Cum pecore infirmo quæ solet esse lupis.
Prima quidem cœpto committam prælia versu,
  Non soleant quamvis hoc pede bella geri.
Utque petit primo plenum flaventis arenæ,
  Nondum calfacti velitis hasta solum:
Sic ego te ferro nondum jaculabor acuto,
  Protinus invisum nec petet hasta caput.
Et neque nomen in hoc, nec dicam facta libello,
  Teque brevi, qui sis, dissimulare sinam.
Postmodo si perges, in te mihi liber Iambus
  Tincta Lycambeo sanguine tela dabit.
Nunc quo Battiades inimicum devocet Ibin,
  Hoc ego devoveo, teque tuosque modo.
Utque ille, historiis involvam carmina cæcis,
  Non soleam quamvis hoc genus ipse sequi.
Illius ambages imitatus in Ibida dicar
  Oblitus moris, judiciique mei.
Et quoniam, qui sis, modum quærentibus edo,
  Ibidis interea tu quoque nomen habe.
Utque mei versus aliquantum noctis habebunt,
  Sic vitæ series tota sit atra tuæ.
Hæc tibi natali facito, Janique Calendis
  Non mentituro quilibet ore legat.
Dii maris, & terræ, quique his meliora tenetis
  Inter diversos cum Jove regna polos.
Huc precor, huc vestras omnes advertite mentes,
  Et sinite optatis pondus inesse meis.

Ipsa-

Ipſaque tu, Tellus, ipſum cum fluctibus æquor,
  Ipſe meas, æther, accipe ſumme preces.
Sideraque, & radiis circundata ſolis imago,
  Lunaque, quæ nunquam, quo prius ore micas.
Noxque tenebrarum ſpecie reverenda tuarum,
  Quæque ratum triplici pollice netis opus.
Quique per infernas horrendo murmure valles
  Imperjuratæ laberis, amnis, aquæ,
Quaſque ferunt torto vittatis angue capillis
  Carceris obſcuras ante ſedere fores.
Vos quoque, plebs ſuperûm, Fauni, Satyrique, Lareſque,
  Fulminaque, & Nymphæ, ſemideûmque genus:
Denique ab antiquo, divi, watereſque, novique,
  In noſtrum cuncti tempus adeſte chao.
Carmina dum capiti malefido dira canuntur,
  Et peragunt partes ira dolorque ſuas,
Annuite optatis omnes ex ordine noſtris,
  Et pars ſit voti nulla caduca mei.
Quæque (precor) fiant ut non mea dicta, ſed ille
  Paſiphaes generi verba fuiſſe putet.
Quaſque ego tranſiero pœnas, patiatur & illas,
  Plenius ingenio ſit miſer ille meo.
Neve minus noceant fictum execrantia nomen
  Vota, minus magnos commoveantve Deos:
Illum ego devoveo, quem mens intelligit, Ibin,
  Qui ſe ſcit factis hæc meruiſſe ſuis.
Nulla mora eſt in me, peragam rata vota ſacerdos,
  Quiſquis ades, ſacris ore favete meis.
Quiſquis ades, ſacris lugubria dicite verba,
  Et fletu madidis Ibin adite genis.
Omnibuſque malis, pedibuſque occurrite lævis,
  Et nigræ veſtes corpora veſtra tegant.
Tu quoque quid dubitas ferales ſumere vittas?
  Jam ſtat (ut ipſe vides) funeris ara tui.
Pompa parata tibi eſt, votis mora triſtibus abſit;
  Da jugulum cultris hoſtia dira meis,

Terra

Terra tibi fruges, amnis tibi deneget undas;
Deneget afflatus ventus & aura suos.
Nec tibi Sol clarus, nec sit tibi lucida Phœbe;
Destituant oculos sidera clara tuos.
Nec se Vulcanus, nec se tibi præbeat aër,
Nec tibi det tellus, nec tibi pontus iter.
Exul, inops erres, alienaque limina lustres,
Exiguumque petas ore tremente cibum.
Nec corpus querulo, nec mens vacet ægra dolore;
Noxque die gravior sit tibi, nocte dies.
Sisque miser semper, nec sis miserabilis ulli,
Gaudeat adversis fœmina virque tuis.
Accedat lachrymis odium, dignusque puteris,
Qui mala cum tuleris plurima, plura feras.
Sitque (quod est rarum) solito * defecta favore
Fortunæ facies invidiosa tuæ.
Causaque non desit, desit tibi copia mortis,
Optatam fugiat vita coacta necem.
Luctatusque diu cruciatus spiritus artus
Deserat, & longa torqueat antè mora.
Evenient, dedit ipse mihi modo signa futuri
Phœbus: & à læva mœsta volavit avis.
Certe ego quæ voveo superos motura putabo,
Speque tuæ mortis, pessime, semper alar.
Finiet illa dies, quæ te mihi subtrahet olim,
Finiet illa dies, quæ mihi tarda venit.
Sed prius hanc animam nimium tibi sæpe petitam
Aufert illa dies, quæ mihi sera venit:
Quam dolor hic unquam spatio evanescere possit,
Leniat aut odium tempus & hora meum.
Pugnabunt jaculis dum Thraces, Iapides arcu,
Dum tepidus Ganges, frigidus Ister erit.
Robora dum montes, dum pabula mollia campi,
Dum Tyberis liquidas Tuscus habebit aquas:
Bella geram tecum, nec mors mihi finiet iras,
Sæva sed immanis manibus arma dabo.

Tunc

Tunc quoque cum fuero vacuas dilapſus in auras,
Exanimis manes oderit umbra tuos.
Tunc quoque factorum veniam memor umbra tuorum,
Inſequar & vultùs oſſea forma tuos.
Sive ego (quod nollem) longis conſumptus ab annis,
Sive manufacta morte ſolutus ero,
Sive per immenſas jactabor naufragus undas,
Noſtraque longinquus viſcera piſcis edet,
Sive peregrinæ carpent mea membra volucres,
Inque meo tingent ſanguine roſtra lupi,
Sive aliquis dignatus erit ſupponere terræ,
Et dare plebeio corpus inane rogo:
Quicquid ero, Stygiis erumpere nitar ab oris,
Et tendam gelidas ultor in ora manus.
Me vigilans cernes, tacitis ego noctis in umbris
Excutiam ſomnos viſus adeſſe tuos.
Denique quicquid ages, ante os, oculoſque volabo,
Et querar, & nulla ſede quietus eris.
Verbera ſæva dabunt ſonitum, nexæque colubris
Conſcia fumabunt ſemper ad ora faces.
His vivus furiis agitabere, mortuus iiſdem,
Et brevior pœna vita futura tua eſt.
Nec tibi continget funus, lachrymæque tuorum,
Indeploratum projiciere caput.
Carnificiſque manu populo plaudente trahêris,
Infixuſque tuis oſſibus uncus erit.
Ipſæ te fugient quæ carpunt omnia flammæ,
Reſpuet inviſum juſta cadaver humus.
Unguibus & roſtro tardus trahet ilia vultur,
Et ſcindent avidi perfida corda canes.
Deque tuo fiet (licet hac ſis laude ſuperbus)
Inſatiabilibus corpore rixa lupis.
In loca ab Elyſiis diverſa fugabere campis,
Quaſque tenet ſedes noxia turba coles.
Siſyphus eſt illic ſaxum volvenſque, petenſque,
Quique agitur rapidæ vinctus ab orbe rotæ.

Quæ-

Quæque gerunt humeris perituras Belides undas,
  Exulis Ægypti turba cruenta nurus.
Poma pater Pelopis præsentia quærit, & idem
  Semper eget liquidis, semper abundat aquis.
Jugeribusque novem summus qui distat ab imo,
  Visceraque assidue debita præbet avi.
Hic tibi de furiis scindat latus una flagello,
  Ut sceleris numeros confiteare tui.
Altera Tartareis sectos dabit anguibus artus,
  Tertia fumantes incoquet igne genas.
Noxia mille modis lacerabitur umbra, tuasque
  Æacus in pœnas ingeniosus erit.
In te transcribet veterum tormenta virorum,
  Manibus antiquis causa quietis eris.
Sisyphe, cui tradas revolubile pondus habebis,
  Versabunt celeres nunc nova membra rotæ.
Hic erit, & ramos frustra qui captet, & undas,
  Hic inconsumto viscere pascet aves.
Nec mortis pœnas mors altera finiet hujus,
  Horaque erit tantis ultima nulla malis.
Inde ego pauca canam, frondes ut si quis ab Ida,
  Et summam Lybico de mare carpat aquam.
Nam neque quot flores Sicula nascuntur in Hybla,
  Quotve ferat dicam terra Cilissa crocos,
Nec (quum tristis hyems Aquilonis inhorruit alis)
  Quam multa fiat grandine canus Athos.
Nec mala voce mea poterunt tua cuncta referri,
  Ora licet tribuas multiplicata mihi.
Tot tibi væ misero venient, talesque ruinæ,
  Ut cogi in lachrymas me quoque posse putem.
Ille me lachrymæ facient sine fine beatum,
  Dulcior hic risu tunc mihi fletus erit.
Natus es infelix (ita dii voluere nec ulla)
  Commoda nascenti stella, levisve fuit.
Non Venus affulsit, non illa Jupiter hora.
  Lunaque non apto, Sólve fuere loco.

Nec

Nec satis utiliter positos tibi præbuit ignes,
  Quem peperit magno lucida Maia Jove.
Te fera nequicquam placidum spondentia Martis
  Sidera presserunt, falciferique senis.
Lux quoque natalis (ne quid nisi triste videres)
  Turpis, & inductis nubibus atra fuit.
Hæc est in fastis, cui dat gravis Allia nomen,
  Quæque dies Ibin publica damna tulit.
Qui simul impurè matris prolapsus ab alvo est,
  Cinyphiam fœdo corpore pressit humum.
Sedit in adverso nocturnus culmine bubo,
  Funereoque graves edidit ore sonos.
Protinus Eumenides lavere palustribus undis,
  Qua cava de Stygiis fluxerat unda vadis.
Pectoraque unxerunt Erebeæ felle colubræ,
  Terque cruentatas increpuere manus.
Gutturaque imbuerunt infantia lacte canino,
  Hic primus pueri venit in ora cibus.
Perbibit inde suæ rabiem nutricis alumnus,
  Latrat & in toto verba canina foro.
Membraque vinxerunt tinctis ferrugine pannis,
  A male deserto quos rapuere rogo.
Et ne non fultum nuda tellure jaceret,
  Molle super silices imposuere caput.
Jamque recessuræ viridi de stipite factas
  Admorunt oculis usque sub ora faces.
Flebat, ut est fumis infans contactus amaris.
  De tribus est quum sic una locuta soror:
Tempus in immensum lachrymas tibi vovimus istas,
  Quæ semper caussa sufficiente cadent.
Dixerat, & Clotho jussit promissa valere,
  Nevit & infausta stamina pulla manu.
Et ne longa suo præsagia diceret ore,
  Fata canet vates qui tua, dixit, erit.
Ille ego sum vates, ex me tua vulnera disces;
  Dent modo dii vires in mea verba suas.

Car-

ırminibuſque meis accedant p...
Quæ rata per luctus experiere tuos.
Ieve ſine exemplis ævi cruciere prioris,
Sint tua Trojanus non leviora malis:
Quantaque clavigeri Pæantius Herculis hæres
Tanta venenato vulnera crure geras.
Nec levius doleas, quàm qui bibit ubera cervæ,
Armatuſque tulit vulnus inerme potens.
Quique ab equo præceps alienis decidit arvis,
Exitio facies cui ſua penè fuit.
Id quod Amyntorides videas, trepiduſque miniſtro
Prætentes baculo luminis orbus iter,
Nec plus aſpicias, quam quem ſua filia rexit,
Expertus ſcelus eſt cujus uterque parens.
Qualis erat poſtquàm eſt judex de lite jocoſa
Sumptus, Apollinea clarus in arte ſenex.
Qualis & ipſe fuit, quo præcipiente columba
Eſt data Palladiæ prævia, duxque rati.
Quique oculis caruit, per quos male viderat aurum,
Inferias nato quos dedit orba parens.
Paſtor ut Æthnæus, cui caſus antè futuros
Telemus Eurymedes vaticinatus erat.
Ut duo Phineidæ, quibus idem lumen ademit,
Qui dedit, & Thamyræ, Demodocique caput.
Sic aliquis tua membra ſecet, Saturnus ut illas
Subſecuit partes, unde creatus erat.
Nec tibi ſit tumidis melior Neptunus in undis,
Quam cui ſunt viſæ frater, & uxor aves.
Sollertique viro, laceræ quem fracta tenentem
Membra ratis Semeles eſt miſerata ſoror.
Vel tua, ne pœnæ genus hoc cognoverit unus,
Viſcera diverſis ſciſſa ferantur equis.
Vel quæ, qui redimi Romanos turpe putavit,
A duce Puniceo pertulit, ipſe feras.
Nec tibi ſubſidio ſit præſens numen, ut illi
Cui nihil Hercæi profuit ara Jovis.

U

Utque dedit ſaltus è ſummo Theſſalus Oſſa,
Tu quoque ſaxoſo præcipitere jugo.
Aut velut Euyali qui ſceptrum cepit ab illo,
Sint artus avidis anguibus eſca tui.
Vel tua maturet, ſicut Minoïa fata,
Per caput infuſæ fervidus humor aquæ:
Utque parum mitis, ſed non impune Prometheus,
Aërias volucres ſanguine fixus alas.
Aut velut Etracides magno ter ab Hercule quintus
Cæſus in immenſum projiciare fretum.
Aut ut Amantiades turpi dilectus amore
Oderit, & ſævo vulneret enſe puer.
Nec tibi fida magis miſceri pocula poſſint,
Quàm qui cornigero de Jove natus erat.
More vel intereas capti ſuſpenſus Achæi,
Qui miſer aurifera teſte pependit aqua:
Aut ut Achilleidem cognato nomine clarum
Opprimat hoſtili tegula jacta manu.
Nec tua quàm Pyrrhi felicius oſſa quieſcant,
Sparſa per Ambracias quæ jacuere vias.
Nataque ut Æacidæ jaculis moriaris adactis,
Non licet hoc Cereri diſſimulare ſacrum.
Utque nepos dicti noſtro modò carmine regis,
Cantaridum ſuccos dante parente bibas.
Aut pià te cæſo dicatur adultera, ſicut
Qua cecidit Leucon vindice, dicta pia eſt;
Inque pyram tecum chariſſima corpora mittas,
Quem finem vitæ Sardanapalus habet.
Utque Jovis Lybici templum violare, parantes,
Acta Noto vultus condat arena tuos.
Utque necatorum Darei fraude ſecundi,
Sic tua ſuccedens devoret ora cinis.
Aut ut olorifera quondam Sicyone profecto,
Sit frigus mortis cauſſa fameſque tuæ.
Aut ut Acarnides inſutus pelle juvenci,
Turpiter ad dominum præda ferare tuum,

Inque tuo thalamo juguleris more Pheræi,
 Qui datus est leto conjugis ense suæ.
Quosque putas fidos ut Larissæus alebas,
 Vulnere non fidos experiare tuo.
Utque Milo, sub quo cruciata est Pisa tyranno,
 Vivus in occultas præcipiteris aquas.
Quæque in Adimantum Philesia regna tenentem
 A Jove venerunt, te quoque tela petant.
Aut ut Amastricis quondam Lenæus ab oris
 Nudus Achillea destituaris humo.
Utque vel Eurydamas ter circum busta Thrasylli
 Est Larissæis raptus ab hoste rotis.
Vel qui, quæ fuerat tutatus mœnia sæpe,
 Corpore lustravit non diuturna suo.
Utque novum passa est genus Hippoménéia pœnæ,
 Tractus & Actæa fertur adulter humo:
Sic ubi vita tuos invisa reliquerit artus,
 Ultores rapiant turpe cadaver equi.
Viscera sic aliquis scopulis tua figat, ut olim
 Fixa sub Euboico Graia fuere sinu:
Utque ferox periit, & fulmine, & æquore raptor,
 Sic te mersuras adjuvet ignis aquas.
Mens quoque sic furiis vecors agitetur, ut illi,
 Unum qui toto corpore vulnus habet.
Utque Dryantiadæ Rhodopéia regna tenenti,
 In gemino dispar cui pede cultus erat:
Ut fuit Oeteo quondam, generoque draconum,
 Thysamenique patri, * Callirhoesque viro.
Nec tibi contingat matrona pudicior illa,
 Qua potuit Tydeus erubuisse nuru.
Quæque sui Venerem junxit cum fratre mariti,
 Locris in ancillæ dissimulata necem.
Tam quoque dii faciant possis gaudere fideli
 Conjuge, quam Talai, Tyndareique gener.
Quæque parare suis letum patruelibus ausæ,
 Belides assidua colla premuntur aqua.

Bibli-

Biblidos, & Canaces ſicut facis ardeat igne;
Nec niſi per crimen ſit tibi fida ſoror.
Filia ſi fuerit, ſit quod Pelopeia Thieſti,
Myrrha ſuo patri, Nyctimeneque ſuo.
Filia neve magis capiti ſit fida parentis,
Quam tua vel, Pterela, vel tua, Niſe, fuit;
Infamemque locum ſceleris quæ nomine fecit,
Preſſit & inductis membra paterna rotis.
Ut juvenes, pereas, quorum faſtigia vultus
Olim Piſeæ ſuſtinuere fores.
Ut qui perfuſam miſerorum cæde procorum,
Ipſe ſuo melius ſanguine tinxit humum.
Proditor ut ſævi periitque auriga tyranni,
Qui nova Myrtoæ nomina fecit aquæ.
Ut qui velocem fruſtra petiere puellam,
Dum facta eſt pomis tardior illa tribus.
Ut qui tecta novi formam celantia monſtri
Intrarunt cæcæ non redeunda domus.
Ut quorum Æacides miſit violentus in altos
Corpora cum ſenis altera ſena rogos.
Ut quos obſcuris victos ambagibus oris
Legimus infandæ Sphinga dediſſe neci.
Ut qui Biſtoniæ templo cecidere Minervæ,
Propter quod facies nunc quoque verſa Deæ eſt.
Ut qui Threicii quondam præſepia regis
Fecerunt dapibus ſanguinolenta ſuis.
Therodamanteos ut qui ſenſere leones,
Quique Thoanteæ Taurica ſacra Deæ.
Ut quos Scylla vorax, Scyllæque adverſa Charybdis
Dulichiæ pavidos eripuere rati.
Ut quos demiſit vaſtam Polyphemus in alvum:
Ut Leſtrygonias qui ſubiere manus.
Ut quos dux Pœnus merſit putealibus undis,
Et jacto canas pulvere fecit aquas.
Et velut Icaridos famulæ periere procique,
Inque caput domini qui dabat arma procis.

Ut jacet Aonio luctator ab hoſpite fuſus,
Qui (mirum) victor cum cecidiſſet, erat.
Et quos Anthei fortes preſſere lacerti,
Quoſque feræ morti Lemnia turba dedit.
Ut qui poſt longum ſacri monſtrator iniqui
Elicuit pluvias victima cæſus aquas.
Frater ut Anthei quo ſanguine debuit aras
Tinxit & exemplis occidit ipſe ſuis.
Ut qui terribiles pro gramine habentibus herbis
Impius humano viſcere pavit equos.
Ut duo diverſis ſub eodem vindice cæſi
Temporibus, Neſſus, Diſſimanique gener.
Ut pronepos Neptune tuus, quem reddere vitam
Ipſe Coronides vidit ab urbe ſua.
Ut Scynis, & Scyron, & cum Poliphemone natus
Quique homo parte ſui, parte juvencus erat.
Quique trabes preſſas ab humo mittebat in auras,
Æquoris aſpectes hujus, & hujus aquas.
Quæque Ceres vidit læto pereuntia vultu
Corpora Theſæa Cercionea manu.
Hæc tibi quæ precibus juſtis mea devovet ira,
Evenient, aut his non leviora malis.
Qualis Achemenides Sicula deſertus in ora,
Troica quum vidit vela venire, fuit.
Et qualis necnon fortuna binominis Iri,
Quique tenent pontem, qui tibi major erit.
Filius & Cereris fruſtra tibi ſemper ametur,
Deſtituatque tuas ſæpe petitus opes.
Utque per alternos unda labente recurſus,
Subtrahitur preſſo mollis arena pede:
Sic tua neſcio quæ ſemper fortuna liqueſcat,
Lapſaque per medias effluat uſque manus.
Utque pater ſolitæ varias mutare figuras,
Plenus inextincta conficiare fame.
Nec dapis humanæ tibi erunt faſtidia, quaque
Parte poteſt, Tydeus temporis hujus eris.

Atque aliquid facias à vespere Solis in ortus,
Cur externati rursus agantur equi.
Fœda Lycaoniæ repetes convivia mensæ,
Tentabisque iterum fallere fraude Jovem.
Teque aliquis posito tentet vim numinis, opto,
Tantalides tu sis, * tu Tereique puer.
Et tua sic latos spargantur membra per agros,
Tanquam quæ patrias detinuere vias.
Ære Perillæo veros imitere juvencos,
Ad formam tauri conveniente sono.
Utque ferox Phalaris, lingua prius ense resecta,
More bovis Paphio clausus in ære gemas.
Dumque redire voles ævi melioris in annos,
Ut vetus Admeti decipiare socer.
Atque eques in medii mergare voragine cœni,
Dummodo sint fati nomina nulla tui.
Atque utinam pereas, veluti de dentibus orti
Sidonia jactis Graia per arva manu.
Et quæ Battiades fecit, fraterque Medusæ,
Eveniant capiti vota sinistra tuo.
Et quibus exiguo est volucris devota libello,
Corpora projecta quæ sua purgat aqua.
Vulnera totque feras, quot dicitur ille tulisse,
Cujus ab inferiis cultor abesse solet.
Attonitusque seces, ut quos Cybeleia mater
Incitat ad Phrygios vilia membra modos.
Deque viro fias, nec fœmina, nec vir, ut Atys,
Et quatias molli tympana rauca manu.
Inque pecus magnæ subito vertare parentis,
Victor ut est sceleri, victaque versa pede.
Solaque Limone pœnam ne senserit illam,
Et tua dente fero viscera carpat equus.
Aut ut Cassandræ dominus, non mitior illo,
Saucius ingesta contumuleris humo.
Aut ut Abantiades, aut ut Lirnesius heros,
Cæsus in æquoreas præcipiteris aquas.

Victima vel Phœbo sacras macteris ad aras,
Quam tulit a sævo Theudotus hoste necem.
Aut te devoveat certis Abdera diebus,
Saxaque devotum grandine plura petant.
Aut Jovis infesti telo feriare trisulco,
Ut satus * Hippomene, Dosithoesque pater.
Ut soror Autonoes, ut cui matertera Maia est,
Et temere optatos qui male rexit equos.
Ut ferus Æolides, ut sanguine natus eodem,
Quo genita est liquidis quæ caret Arctos aquis.
Ut Macedon icta est rapidis cum conjuge flammis,
Sic precor ætherei vindicis igne cadas.
Prædaque sis illis, quibus est Latonia Delos,
Ante diem rapto non adeunda Thraso.
Quique verecundæ speculantem membra Dianæ,
Quique Crotopiadem diripuere Linum.
Neve venenato levius feriaris ab angue,
Quam senis Œagri, Calliopesque nurus.
Quam puer Hypsiphyles, quam qui, cava primus acuta
Cuspide suspecti robora fixit equi.
Neve gradus adeas Elpenore cautius altos,
Vimque feras vini quo tulit ille modo.
Tamque cadas domitus, quam quisquis ad arma vocātem
Juvit inhumanum Thiodamanta Dryops.
Quam ferus ipse suo periit mactatus in antro
Proditus inclusæ Cacus ab ore bovis.
Quam qui dona tulit Nesseo tincta veneno,
Euboicasque suo sanguine tinxit aquas.
Vel de præcipiti venias in tartara saxo,
Ut qui Socraticum de nece legit opus.
Ut qui Theseæ fallacia vela carinæ
Vidit: ut Iliaca missus ab arce puer.
Ut teneri nutrix eadem matertera Bacchi,
Ut cui causa necis serra reperta fuit.
Lidia se scopulis ut virgo misit ab altis,
Dixerat invito quæ mala verba deo.

Fœta

Fœta tibi occurrat patrio popularis in arvo,
  Sitque Paphageæ causa leæna necis.
Quique Lycurgiden laceravit ab arbore natum,
  Idmonaque audacem, te quoque rumpat aper.
Isque vel exanimis faciat tibi vulnus, ut illi,
  Ora super sævi quem cecidere suis.
Atque idem simile pinus quem morte peremit,
  Phrygia venator, sisque Berentiades.
Si tua contigerit Minoas puppis ad undas,
  Te corcyræum Cressia turba petat.
Lapsuramque domum subeas, ut sanguis Alebæ,
  Stella Lycoridæ cui fuit æqua viro.
Utque vel Evenus torrenti flumine mersus
  Nomina des rapidæ vel Tyberinus aquæ.
Hyrtacidæque modo defixa cadavera trunco
  Digna feras, hominis sit caput esca tuum.
Quodque ferunt Brotheum fecisse cupidine mortis,
  Des tua succensæ membra cremanda pyræ.
Inclususque necem cavea patiaris, ut ille
  Non professuræ conditor historiæ.
Utque repertori nocuit pugnacis Iambi,
  Sic sit in exitium lingua proterva tuum.
Utve parum stabili qui carmine læsit Athenas
  Invisus pereas deficiente cibo.
Utque Lyræ vates fertur periisse severæ,
  Causa sit excidii dextera læsa tui.
Utque Agamemnonio vulnus dedit anguis Oresti,
  Tu quoque de morsu virus habente cadas.
Et tibi conjugii nox prima novissima vitæ,
  Eupolis hoc periit, & nova nupta modo.
Utque cothurnatum periisse Licophrona narrant,
  Hæreat in fibris fixa sagitta tuis:
Aut lacer in sylva manibus spargare tuorum,
  Sparsus ut est Thebis angue creatus avo.
Perque feros montes tauro rapiente traharis,
  Ut tracta est conjux imperiosa Lyci.

Quodque suæ passa est pellex invisa sorori,
Excidat ante pedes lingua resecta tuos.
Cognitor ut tardæ Blæsus cognomine Myrrhæ;
Orbis in innumeris inveniare locis.
Inque tuis opifex, vati quod fecit Achæo,
Noxia luminibus spicula condat apis.
Fixus, & in duris carparis viscera saxis,
Ut cui Pyrrha sui filia fratris erat.
Ut puer Harpagidæ referas exempla Thyestæ,
Inque tui cæsus viscera patris eas.
Trunca geras sævo mutilatis partibus ense,
Qualia Nicerni membra fuisse ferunt.
Utve Syracosio præstricta fauce poëtæ,
Sic animæ laqueo sit via clausa tuæ.
Nudaque direpta pateant tua viscera pelle,
Ut Phrygii, cujus nomina flumen habet.
Saxificæ videas infœlix ora Medusæ,
Cephenum multos quæ dedit una neci.
Potniadum morsus subeas (ut Glaucus) equarum,
Inque maris salias Glaucus (ut alter) aquas.
Utque duobus idem dictis mihi nomen habenti
Præfocent animæ Gnosia mella viam:
Sollicitoque bibas Anyti doctissimus olim
Imperturbato quod bibit ore reus.
Nec tibi, si quid amas, fœlicius Hæmone cedat,
Utque sua Macareus, sic potiare tua.
Ut videas, quod jam, cum flammæ cuncta tenerent,
Hectoreus patria vidit ab urbe puer.
Sanguine probra luas, ut avo genitore creatus,
Per facinus soror est cui sua facta parens.
Ossibus inque tuis teli genus hæreat illud,
Traditur Icarii quo cecidisse gener.
Utque loquax in equo est elisus guttura acerno,
Sic tibi claudatur pollice vocis iter.
Aut ut Anaxarchus pila minuaris in alta,
Jactaque pro solitis frugibus ossa sonent.

Sal-

Salmacis utque patrem condat te Phœbus in ima
  Tartara, quod natæ fecerat ipſe ſuæ.
Inque tuos ea peſtis eat quam dextra Chorebi
  Vicit, opem miſeris Argoliciſque tulit.
Utque nepos Æthræ Veneris moribundus ob iram;
  Exul ab attonitis excutiaris equis.
Propter opes nimias ut perdidit hoſpes alumnum,
  Perdat ob exiguas te tuus hoſpes opes.
Utque ferunt fratres ſex cum Damaſicthone cæſos,
  Intereat totum ſic genus omne tuum.
Addidit ut fidicen miſeris ſua funera natis,
  Sic tibi ſint vitæ tædia juſta tuæ.
Utque ſoror Pelopis ſaxo dureris oborto:
  Et læſus lingua Battus ab ipſe ſua.
Aëra ſi miſſo vacuum jaculabere diſco,
  Quo puer Œbalides ictus ab orbe cadas.
Si qua per alternos pulſabitur unda lacertos,
  Omnis Abydena ſit tibi pejor aqua.
Comicus ut liquidis periit dum nabat in undis,
  Et tua ſic Stygius ſtrangulet ora liquor.
Aut ubi ventoſum ſuperabis naufragus æquor,
  Contacta pereas ut Palinurus humo.
Utque cothurnatum vatem tutela Dianæ,
  Dilaniet vigilum te quoque turba canum.
Aut ut Trinacrii ſalias ſuper ora Gigantis,
  Plurima qua flammas Sicanis Ætna vomit.
Diripiantque tuos inſanis unguibus artus
  Strymoniæ matres, Orpheon eſſe ratæ.
Natus ut Alteæ flammis abſentibus arſit,
  Sic tuus ardeſcat ſtipitis igne rogus.
Ut nova Phaſiaca compreſſa eſt nupta corona,
  Utque pater nuptæ, cumque parente domus.
Ut cruor Herculeos abiit diffuſus in artus,
  Corpora peſtiferum ſic tua virus edat.
Qua ſua Penteidem proles eſt ulta Lycurgum;
  Hæc maneat teli te quoque plaga novi.

Utque

Utque Milo robur deducere fiſſile tentes,
Nec poſſis captas inde referre manus.
Muneribuſque tuis lædaris ut Icarus, in quem
Intulit armatas ebria turba manus.
Quodque dolore necis patriæ pia filia fecit,
Vincula per laquei fac quoque guttur eat.
Obſtrictuſque famem patiaris limine tecti,
Ut legem pœnæ cui dedit ipſa parens.
Illius exemplo violes ſimulacra Minervæ,
Aulidis a portu qui leve vertit iter.
Naupliadæque modo ficto pro crimine pœnas
Morte luas, nec te non meruiſſe juvet.
Æthalon ut vita ſpoliavit Iſidius hoſpes
Quem memor a ſacris nunc quoque pellit Io.
Utque Melantheum tenebris a cæde latentem
Prodidit officio luminis ipſa parens:
Sic tua conjectis fodiantur corpora telis,
Sic precor auxiliis impediare tuis.
Qualis equis pactis, quos fortis agebat Achilles,
Acta Phrygi timido eſt, nox tibi talis eat.
Nec tu quam Rhœſus, ſomno meliore fruaris,
Quam comites Rhœſi, tu necis ante diem:
Quam quos cum Rutulo morti Rhamnete dederunt
Impiger Hyrtacides Hyrtacidæque comes.
Cliniadæque modo circundatus ignibus atris,
Membra feras Stygiæ ſemicremata neci.
Utque Remo muros auſo tranſire recentes,
Noxia ſint capiti ruſtica tela tua.
Denique Sarmaticas inter Geticaſque ſagittas
His precor ut vivas, & moriare locis.
Hæc tibi tantiſper ſubito ſunt miſſa libello,
Immemores ne nos eſſe querare tui.
Pauca equidem fateor, ſed dii dent plura rogatis,
Multiplicentque ſuo vota favore mea.
Poſtmodo plura leges, & nomen habentia verum,
Et pede quo debent acria bella geri.

FRAN-

FRANCISCI SANCTII
BROCENSIS,

In Inclyta Salmanticensi Academia Rhetorices, Græcæque Linguæ Primarii præceptoris,

IN IBIN OVIDII
BREVES, PERUTILES TAMEN ADNOTATIONES.

QUid sit lustrum, quid Olympias, non video adhuc inter doctos liquere. In hoc tantum conveniunt, lustrum ab Olympiade in annorum spacio non differre: sed alii quinque annos Olympiadi assignant, alii quatuor. Anton. Nebrissensis in quinquagenis graviter errare contendit eos, qui quinque assignant: hi laudant pro se Lucanum, qui de Cæsare sic ait:

Bellantem geminis tenuit te Gallia lustris.

Ovidius item decennale bellum Trojanum bilustre appellat. Varro de *ling. Lat. lib.* 5. lustrum nominatur tempus quinquennale, à *luendo*, hoc est solvendo, quòd quinto quoque anno vectigalia, & ultro tributa per censores persolvebantur. Ovid. *lib.* 4. *Pont. Eleg.* 6.

In Scythia nobis quinquennis acta est,
Jam tempus lustri transit in alterius.

Idem *lib.* 4. *Pont. Eleg.* 10. de Ulyssis absentia.

Jactatus dubio per duo lustra mari.

Innumera sunt testimonia, quibus quinquennale spacium significatur: nihilominus tamen certò certius est, Lustrum, vel Olympiadem quatuor annis absolvi: nec aliter accipiunt, qui Chronica, & Annales scripsere. Ut si dicas, Plato natus est Olympia-

dis

dis 88. anno 4. Pompe. Mag. Olymp. 169. anno primo. Ovid. in Fast. lib. 3.

Is decies senos tercentum, & quinque diebus
Junxit, & expleto tempora quinta die.
Hic anni modus est, in lustrum accidere debet,
Quæ consumatur partibus una dies.

In codicibus emendatis legitur:

Junxit & è pleno tempora quarta die.

& ita necessario legendum: annus enim constat 365. diebus, & sex horis, & illæ sex horæ quarto quoque anno diem integrum complent. Ita docet disertè Solinus, & Censorinus *de die natali*, & Plin. *lib.* 2. *cap.* 8. sic ait: *deinde solis meatum esse partium quidem trecentarum sexaginta, sed ut observatio umbrarum ejus ad notas redeat, quinos annis dies adjici, superque quartam partem diei. Quam ob causam quinto anno unus intercalaris dies additur, ut temporum ratio solis itineri congruat.* In his Plin. verbis, quæ multos fefellerunt, emendo pro, *quinto anno*, *quarto quoque anno*, ex Macrob. *lib.* 1. *Saturn. cap.* 14. *Julius ergo Cæsar*, inquit, *decem dies observatione veteri super adjecit, ut annum* 365. *dies, quibus Sol lustrat Zodiacum, efficeret, sed ne quadrans deesset, statuit ut quarto quoque anno Sacerdotes, qui curabant, unum intercalarent diem.* Jam igitur hunc Gordianum nodum non secantes, ut Alexander, sed planè explicantes, & enodantes, dissolvamus. Satis constat Olympiadas quaternis annis absolvi: sed ludi Olympici quinto quoque anno fiebant, & inde semper in annorum enumeratione semper Olympiades quinque annorum computantur; ut si dicas, vixit decem Olympiadas, id est, annos quinquaginta: lustrum item quatuor continet annos: & censores per quatuor annos administrabant censuram, & quinto anno rationem reddebant, & censebatur civitas, & ultro tributa solvebantur: factum

item

item est, ut lustrum in annorum computatione pro quinquennii spacio acciperetur, & hoc est quod dixit M. Varro, *lustrum nominatur*, &c. Ovid. 2. *Fast. de Arcade.*

Jam tria lustra puer furto conceptus agebat.

De eodem *Metamor. lib.* 2.

Ecce Lycaoniæ proles ignara parentis
Arcas adest, terquinque ferens natalibus annos.

Martial. *lib.* 7. *Epig.* 39.

Hic prope tersenas vidit Olympiadas.

Loquitur de Hetrusco, de quo sic Papinius in sylvis *lib.* 3.

Dextra bis octonis fluxerunt secula lustris.

Hoc est, felicia secula fluxerunt illi per annos octuaginta. Martialis vero dixit, vixisse fere annos nonaginta: utroque modo per quinarios numeros excurrit computatio, non per quaternarios. Nunc igitur Ovidius decem lustra quinquaginta annos intelligit, non quadraginta.

Pag. 201. *Artificis periit cum caput arte sua.*)
id est, caput artificis periit cum arte sua.
De tauro Perilleo, Ovid. 1. *de Arte.*

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit, infelix imbuit author opus.
Justus uterque fuit, nec enim lex æquior ulla est,
Quam necis artifices lege perire sua.

201. *Qui nostras inopes.*) Quidam de Germanico intelligunt, qui viaticum præbuit. Alii de Augusto, qui rem Poëtæ non confiscavit. *lib.* 2. *Trist. insuper accedunt.* & *lib.* 4. *Eleg.* 4. & *lib.* 5. *Eleg.* 12.

201. *Junctaque cum Luna lumina Solis erunt.*) Id est, dies, & nox simul dicetur: contra illud axioma, *aut dies est, aut nox.*

202. *Non-*

202. *Nondum calfacti.*) Velites primi lacessunt bellum, & sunt milites levis armaturæ.

202. *Tincta Lycambeo.*) Nota sunt, & trita de Archilocho, & Lycambe. vide Adag. *Archilochum teris.*

202. *Nunc quo Battiades.*) Battiades est Callimachus à Batto Cyrenes filio ducens originem, scripsit *Ibin* contra Apollonium Rhodium.

203. *Pasiphaes generi.*) Theseum intelligit, cui tria vota Neptunus concessit. Cicer. I. & 3. *Offic.* Ovid. II. *Metamor.* Eurip. in *Hippol.*

203. *Néve minus noceant.*) Macrob. *Satur. lib.* 3. *cap.* 9. dicit in devotione deberi nominari devotas urbes, vocabulo proprio, sin minus hoc addebant: verbi gratia, *illam urbem Carthaginem, exercitumve, quem ego me sentio dicere.*

203. *Quisquis ades ore favete.*) Favere linguis, non est idem, quod tacere, ut multi putant, vide nostram *Minervam lib.* 4. *in Euphemismo.*

203. *Omnibusque malis.*) Sic lege, non *omnibus.* Sæpe in Virgilianis Codicibus hic est error. Sic *dirigit omnia Chalcas*; lege, *omina*, & *omnia ni repetant* Argis, lege, *omina.*

204. *Sitque, (quod est rarum) solito defecta favore.*) Id est, destituta, Quintilia. *nescio quomodo omnis pro laborante favor est.*

204. *Luctatusque diu, cruciat.*) Suetonius in *Tiberio.* 61. *Mori volentibus vis adhibita vivendi: nam mortem leve supplicium putabat, & precanti cuidam pœnæ maturitatem, respondit: nondum tecum in gratiam redii.*

204. *Pugnabunt jaculis dum Thraces, Iapides arcu.*) Egnatius emendat *Iaziges*, & recte. Nam sic legitur in Valerio Flacco *lib.* 6. & Ovid. *Trist.* & I. *de Pont. Eleg.* 3. & Ammia. Marcel. *lib.* 22.

204. *Dum Tiberis liquidas.*) Lege *flavas*, ex Horat. *Vidimus flavum Tiberim.* & ex Ovid. *lib.* 5. *Trist. Eleg.* I. *Quot flavus Tibris arenas.*

204. *Sæva*

204. *Sæva sed immanis manibus.*) Lege *sæva, sed in Manes manibus*, id est, apud inferos.

205. *Exanimis manes oderit umbra tuos.*) Lege *mores tuos*, nam animæ malorum, non dicuntur *manes*, sed *lemures*.

206. *Non Venus affulsit.*) Septem hic planetæ numerantur, quorum qualitates breviter exponi possunt: Saturnus enim frigidissimus est, ac siccissimus, terreus, melancholicus, maleficus, & dicitur *infortunium* majus, quia secundum utramque qualitatem mortalium naturæ adversatur. Jupiter est calidus & humidus, aëreus, sanguineus, beneficus, & dicitur *fortuna major*, quoniam utraque ejus qualitas viventium naturam fovet. Mars calidissimus est, & siccissimus, igneus, cholericus, maleficus, & dicitur *infortunium minus*, quia una tantum ejus qualitas nostræ adversatur naturæ. Sol calidus est, & moderatè siccus, est fortuna per aspectum, & infortunium per corporalem conjunctionem. Venus est humidissima, benefica, & dicitur *fortuna minor*. Mercurius communis est, cum frigidis frigidus, cum bonis bonus, & fortuna cum fortunatis per conjunctionem, vel per felicem aspectum. Luna frigida est, & humida, ac ideo aquea.

208. *Quantaque clavigeri Pæantius.*) In his sex carminibus enumerantur, tres insignes claudicantes, Philoctetes Pæantis Regis filius, qui quum sagittas Herculis, quibus successit hæres, tractaret imprudentius, punctus ab una illarum graviter claudus est affectus: vide Aristot. *lib.* 7. *Ethico. cap.* 7. & ibi Eustratium & Senec. in *Hercule Oethe.* Thelephus a cerva nutritus fuit, percussusque in fœmore ab Achille, ab eodem postea fuit sanatus. Pausan. *lib.* 8. Plin. *lib.* 26. *cap.* 5. & *lib.* 34. *cap.* 15. versiculum sic emendavit Jacob. Mycill.

Armatique tulit vulnus, inermis opem.

208. *Qui-*

208. *Quique ab equo præceps.*) Bellerophon de quo multa diximus *in Emblem.* Porro versiculum sic emendavit Egnatius.

Quique ab equo præceps in Aleis decidit arvis.

Sunt autem Alei campi in Cilicia, & Alei ab errore dicti Græcis.

208. *Id quod Amyntorides videas.*) His septem distichis decem cæci enumerantur hoc ordine. Phœnix Amyntoris filius, Comes, aut potius pædagogus Achillis. (cujus apud Homerum honorata est mentio.) non fingitur ab Homero cæcus, sed interpres Lycophronis narrat eum in patriam reversum potuisse cognoscere suorum neminem, quia cæcus erat, Propert. *lib.* 2.

Tarda Philoctetæ sanavit crura Machaon,
Phœnicis Chiron lumina Phillyrides.

Œdipus de quo multa diximus in *Emblem.* Tyresias Thebanus. vide Politia. *Miscella.* 80. & Ovid. latè in *Metamor.* Phineus, qui Argonautas monuit ut columbam ducem sequerentur. De quo Orpheus, & Apollon. Rhodius, & Valer. Flac. *in Argonau.* Polymnestor, quem excæcavit Hecuba. Virgil. hæc latè. 3. *Æneid.* & multis carminibus Ovid. *in Metam.* & alii. Polyphemus, quem Ulysses excæcavit, de quo multa nos *in Emblem.* & Ovid. *lib.* 13. Vide Adag. *Vates secum auferat omen.* de Telemo vate. Phinei filii ex uxore Cleopatra vim intulerunt Idæ novercæ, qua de causa ab ipso patre excæcati fuerunt. Thamyras vates, & cantor eximius hunc musæ excæcarunt in arte canendi superatum, ut ait Home. 2. *Iliad.* Demodocus cantor egregius in Alcinoi domo, hunc Homerus laudat, seipsum (ut aliqui interpretantur) intelligens.

208. *Sic aliquis tua membra secet, Saturnus ut illas.*) vide Macrob. *Satur. lib.* 1. *c.* 8.

208. *Nec*

208. *Nec tibi sit tumidis melior Neptunus.*) Ceyx, & Alcyone uxor, & frater Dædalium versi sunt in aves. Ovid. 11. *Metam.*

208. *Sollertique viro.*) Id est, Ulyssi, cui naufrago Ino soror Semeles in avem Gaviam conversa velum dedit, quo succinctus enatavit. Homer. *Odyss.* 5.

208. *Vel tua, ne pœnæ genus hoc.*) Metius Suffetius dux Albanorum quadrigis illigatus distractus fuit. Tit. Liv. & Virgil. 8. *Æneid.* quod autem ait Poeta:

Ne genus hoc pœnæ cognoverit unus.

Videtur innuere solum Metium Suffetium fuisse hoc genere pœnæ mulctatum: at Plutarchus *in Parallelis* dicit etiam Pytæclymen Euboeæ regem Hercule jubente à quadrigis fuisse dilaceratum.

208. *Vel quæ, qui redimi.*) De Marco Attilio Regulo pleni sunt libri. Vide elegantissimam Oden Horat. *lib.* 3. *Od.* 5. Agel. *lib.* 6. *cap.* 4. Cice. 3. *Offic.* Val. Max. *lib.* 9. *cap.* 2. Augustinus *de Civit. lib.* 1. *cap.* 15.

208. *Nec tibi subsidio.*) Priamum dicit, quem Pyrrhus occidit juxta aram Jovis Hercei. Virgil. 2. *Æneid.* Vide Annotationes Egnatii.

209. *Utque dedit saltus è summo Thessalus Ossa.*) Alciatus in tres libros posteriores Codicis legit, *Thessalis*, & intelligit Aglaonicen Egemonis Thessali filiam, de qua Plutarchus *in præceptis connubialibus in fine.* Sed illic legitur *Agaonice* Hegetoris Thessali filia Astrologiæ perita. De saltu verò nulla mentio: quare aliud quærendum. Calderinus sic exponit. Hemon filium habuit Thessalum, qui quum Thessaliam imperio teneret, ab Euryalo advena (nam erat Corcyreus) ex Ossa monte præcipitatus est. Necato etiam Nesone filio, à quo Nesonus locus dictus est, ut scribit Strabo. Hæc ille, quæ mirificè quadrarent, si apud illum legerentur. Ego donec aliam interpretationem inveniam meliorem, hanc obtrudo: Quemadmodum, inquit, altissimus Ossa mons fuit ab

tolemus Achillis filius ab Oreste ob Hermionem raptam trucidatus fuit.

209. *Nataque ut Æacidæ.*) Laodomia. Justinus *lib.* 28. Laodomia autem cum in aram Dianæ, (*Cereris* potius legendum) confugisset, concursu populi interficitur. cæt.

209. *Utque nepos dicti.*) Manetes (ut aiunt) Gelonis, & Nereidos Pyrrhi filius fuit, cum quo mater rem habere voluit: idque non consecuta filium cantharidum veneno sustulit: quærendum.

209. *Aut pia te cæso.*) Oxilochus, & Leuchon fratres in Ponto. Strab. Leucon Spartacum fratrem regem Persarum occidit, ut regno & illius uxore, cum qua rem habebat, potiretur. Oxilochi uxorem alii, non Spartaci dicunt. Illa tamen illum ad paludem Sabelan interficit. Quærendum.

209. *Inque pyram tecum carissima corpora mittas.*) Lege *pignora*, non *corpora*: nam Sardanapalus pretiosissima quæque in rogum secum misit. Strab. Diod. Justin. vide adag. *Sardanapalus.*

209. *Utque Jovis Libyci.*) Cambyses Cyri filius quum Jovis Ammonis templum spoliare conaretur, 5000. hominum amisit in arena suffocatorum. Herod. Just. Joseph. *lib.* 11. *c.* 2.

209. *Utque necatorum Darii.*) Valer. Max. *lib.* 9. *c.* 2. Ochus autem qui postea Darius appellatus est sanctissimo Persis jurejurando obstrictus, ne quem ex conjuratione, quæ septem Magos cum eo oppresserat, aut veneno, aut ferro, aut ulla vi, aut inopia alimentorum necaret, crudeliorem mortis rationem excogitavit, qua onerosos sibi, non perrupto religionis vinculo tolleret. Septum enim altis parietibus locum cinere implevit, suppositoque ligno prominente, benignè cibo, & potione exceptos ibi collocabat, è quo somno sopiti in illam insidiosam congeriem decidebant: meminit & Justinus *in fine decimi.*

209. *Aut ut olorifera quondam Sicyone profecto.*) Lego *fugato*. Neocles Sicyonum rex, inquit Domitius, à suis rejectus: quærendum est.

210. *Aut ut Acarnides.*) Turnebus *Adverf. lib.* 9. *cap.* 25. legendum putat *Atarnides*. Nam Hormia Atarniæ tyrannus quum defecisset à rege Persarum à Mentore duce regis oppressus fuit, & ad dominum missus. Simile quiddam Val. Max. *lib.* 9. *c.* 2. *in calce. Ad dominum f.* Memnonem intelligit.

210. *Inque tuo thalamo.*) Alexander Pheræus. Cic. 2. *Offic.* Xenoph. *lib.* 6. Plutarch. *in Pelopida.* Egnatius aliter.

210. *Quosque putas fidos.*) Multi multa comminiscuntur. Vide Alciatum *lib.* 6. *Parerg. cap.* 21. Ego ex Diodoro Siculo *in ann.* 4. Philippi petendam puto interpretationem.

210. *Utque Milo, sub quo.*) Alii legunt, *Philo*: alii *Pisus*: dicunt hunc tyrannidem Pisis exercuisse. Sunt autem Pisæ juxta Alpheum sitæ, ubi ludi Olympii celebrabantur. Alpheus amnis est, qui subter maria occultas agit aquas in Siciliæ Arethusam. Huc igitur ille tyrannus vivus fuit præcipitatus, & forte legendum hic. *Utque ille, sub quo.* & intelligendum de Pantaleone, Pausan. *pag.* 240. 242.

210. *Quæque in Adimantum.*) Adimantus Philenorum rex, quum nec Jovi sacrificaret, nec Deo se minorem crederet, fulmine ictus est. Domitius.

210. *Aut ut Amastricis.*) Amastrix urbs est in Ponto, ex qua Mithridates expulit Bacchum, qui etiam Lenæus dictus fuit, quem exportatum in Insulam Ponti Achilleam sui reliquerunt, & deseruerunt.

210. *Utque vel Eurydamas.*) Eurydamas somniorum interpres apud Homerum. *Bap. Egnat.* sic ait. Hic Medus fuit ex Homeri interpretis testimonio, qui circa Thrasylli fratris tumulum à Simone Larisseo tractus est: vide Urceum Codrum *sermone* 1. & Homer. *Iliad.* 22. *in Comment.*

210. *Vel qua, quæ fuerat tutatus.*) Hector tractus ab Achille. Homer. *ultim. Iliad.*

210. *Utque novum passa.*) Vide Adag. *Hippomene magis impius.* Suidas *in Limone*, Ælianus, versiculus debet emendari, ut conveniat cum disticho sequenti.

210. *Sic ubi vita tuos.*) Pendet à superiori disticho.

Viscera sic aliquis scopulis tua figat, ut olim
Fixa sub Euboico Graia fuere sinu.

Hoc non de Ajace Oileo dici existimo, sed de tota classe Græcorum in Nauplii vindicta. Vide Servium in illud Virgil. *unius ob noxam, & fur.*

210. *Utque ferox periit.*) Hoc de solo Ajace, qui fulmine correptus in aquis periit. Servius *ibidem.*

210. *Mens quoque sic furiis.*) Septem furiosi enumerantur, Ajax Telamonius, Lycurgus, Hercules, Athamas, Orestes, Alcmæon. Hic fit mentio de Ajace Telamonio, de quo Ovid. non de Martia. de quo infra. Telamonius autem invulnerabilis fuit propter pellem leoninam, ut ait Didymus *Iliad. penultimo*, quam ei puero circundedit.

210. *Utque Dryantidæ.*) Egnatius Lycurgum intelligit, qui crura succidit, dum vitem vellet amputare. *Iliad.* 6. Diod. Sicul. *lib. Codrus sermone* 1. *pag.* 25.

210. *Utque fuit Oeteo.*) Herculi: genero draconum, id est, Athamanti Cadmi genero. *Thysamenique patri*, id est, Oresti, qui Thysamenum genuit. Pausan. *in Corinth. Calligonesque viro*, id est, Alcmæoni, ut notat Egnatius, & Nicol. Leon. *lib.* 2. *c.* 78. Pausan. *lib.* 8. & Apollod. *lib.* 3.

210. *Nec tibi contingat matr.*) Leonicus *lib.* 3. *c.* 76. Ægialem intelligit, fuit autem Ægiale uxor Diomedis, quæ absente viro ad Troiam nupsit Cillaboro Stelleni filio. Cæt.

210. *Quæque sui Venerem junxit.*) Domitius Hypermestram dicit, quæ postquam cum fratre mariti

concu-

concubuit, ut adulterium celaret, ancillam occidit: est quærendum, aut est Hypermestra Locrensis, versus est luxatus. Porro hæc decem disticha continent uxores & filias impudicas.

210. *Tam quoque dii faciant.*) Eryphile, quæ maritum Amphiaraum prodidit, hæc erat Talai filia. Virgilius, Homer. Clitemnestra Tendarei filia Agamemnonem maritum sustulit. Atque etiam Helene Deiphobum maritum (ut est apud Virg.) laceravit.

210. *Quæque parare suis.*) Id est, talis tibi contingat conjux, quales illæ fuere, quæ suis patruelibus mortem pararunt: nota est fabula apud Ovid.

211. *Byblidos, & Canaces.*) Ovid. *Metamor.* 9. Byblis Caunum amavit: Canace Macareum.

211. *Filia si fuerit.*) Pelopeia cum patre Thyeste concubuit, unde natus Ægistus: Myrrha cum Cynara patre rege Cypriorum. Ovid. 10. Nyctimine cum patre Nycteo Æthiopum rege.

211. *Filia neve magis.*) Pterelas Neptuni filius, filiam Cymetho genuit: quæ quum Pterelas ab Amphitrione, & Cephalo obsideretur, amore Cephali capta patrem ac patriam hosti prodidit. Ex comment. Apollonii. Aliter tamen hæc, & latius Hesiodi comment. De Nisi filia, latius Ovid. 8. *Metam. Tzetzes.* 2. 37.

211. *Infamemque locum.*) Tullia. Titus Liv. *lib.*1. late.

211. *Ut juvenes pereas.*) Œnomaus apud Ovid. Pausan. 13. procos cæsos nominat. alias, *Quorum fastigia vultus.* vel *Projecta cadavera quorum olim Piseæ*, id est, *Oraque Piseæ.*

211. *Proditor ut Sævi.*) Hic eadem historia, Myrtilus auriga Œnomai dedit nomen mari Myrthoo præcipitatus à Pelope.

211. *Ut qui velocem frustra.*) Multæ fuerunt Atalantæ. Hæc fuit filia Schœnei, Ovid. 10. *Metam.*

211. *Ut qui tecta novi.*) Loquitur de illis, qui ante Theſeum à Minotauro fuerunt devorati in ipſo labyrintho.

211. *Ut quos Æacides.*) Achillis duodecim ex nobilibus Trojanorum ad ſepulchrum Patrocli jugulavit. *Iliad.* 21.

211. *Ut quos obſcuris.*) Adag. *Bœotia ænigmata.* vide late *in Emblem.* Alcia.

211. *Ut qui Biſthoniæ.*) ZENELASTIA Lacedæmonii legem tulere, ne alicui hoſpiti Spartæ eſſe liceret, quam legem Græci dixerunt Ξενηλασίαν, id eſt, hoſpitum expulſionem, Lemniaci multi Spartæ deprehenſi ex lege interfecti ſunt in templo Palladis, quam appellabant Thraſiam, quo ſcelere ſtatua avertit oculos.

211. *Ut qui Threicii.*) Diomedes Thracius, de quo paulò inferius, equis mandendos advenas objectabat.

211. *Thedamanteos leones.*) Alii Terodamanteos. Ovid.

Non tibi Therodamas, cruduſque vocabitur Atreus.

Thoanteæ deæ, id eſt, Dianæ Tauricæ. Herod. *lib.* 1. & Ovid. 3. *Faſt.* vide *Hecate* in Diodo. Sicul.

211. *Ut quos Scylla vorax.*) De Scylla & Charybde, & Ulyſſe, & de Polyphemo, & de Lyſtrigonibus late Homer. *Odyſſ.* 10. Ovid. *Metam.*

211. *Ut quos dux Pœnus.*) Hic fuit Hannibal. Val. Max. *lib.* 9. *c.* 6. *de perfidia.*

211. *Et velut Icaridos.*) Penelope filia fuit Icarii, cujus proci, atque etiam famulæ perfidæ, & Melantius, qui procis arma miniſtrabat. Telis Ulyſſis, & Telemachi perierunt.

212. *Ut jacet Aonio.*) Aonius hoſpes, id eſt, Thebanus, eſt Hercules, qui lucta vicit Anteum. Lucanus late *lib.* 4. *in fine.*

212. *Ut quos Antei.*) Multos ante dederat letho Anteus.

212. *Quoſ-*

212. *Quosque feræ morti Lemnia turba.*) Lemniacæ mulieres revertentes maritos ex Thracia una nocte trucidarunt, præter Hysiphilem, quæ Thoantem patrem servavit. Statius *in Thebaid.* & Valer. Flac. *in Argona.*

212. *Ut qui post longum*) id est, *annos*. Thrasillus, vel Thrasius vocabatur. Ovid. *lib.* I. *de Arte amandi.*

Dicitur Ægyptus caruisse juvantibus arva
Imbribus, atque annis sicca fuisse novem.
Quum Thrasius Busirin adit, monstratque piari
Hospitis effuso sanguine posse Jovem.
Illi Busiris: fies Jovis hostia primus,
Inquit, & Ægypto tu dabis hospes aquam.

212. *Frater ut Antei.*) Egnatius Busiridem intelligit Neptuni filium, Antei fratrem, aut potius Ancæi fratrem.

212. *Ut qui terribiles pro gramen habentibus herbis.*) Sensus est, ut ille, qui pavit viscere humano equos, pro herbis habentibus gramen, potest legi, *gramina*, ubi vetus legit, *gramine:* potest autem intelligi Diomedes Thracius, qui suo sanguine suas equas pavit, illis ab Hercule objectus. De absumtis ab illis equis dixit supra. *Ut qui Threicii quondam.* Sunt qui intelligant de Glauco Sysiphi filio, qui etiam equis suis pabulum fuit, sed de hoc Glauco, & de equis infra.

Potniadum morsus subeas (ut Glaucus) equarum.

Ut duo diversis.) Hercules item diversis temporibus alios duos occidit Nessum, & Eurytion centauros: Eurytion autem vocat generum Dexameni. Hygin. *cap.* 31. 33. 34.

212. *Utque pronepos Saturne tuus.*) His octo versiculis continentur latrones à Theseo dilacerati, & occisi, de quibus sic Ovid. *Metam.* 7. in laudibus Thesei.

Mirata

Mirata est Marathon Crætei sanguine tauri,
Quodque suam securus arat Cromiona colonus
Munus, opusque tuum est: tellus Epidauria per te
Clavigeram vidit Vulcani occumbere prolem,
Vidit, & immitem Cephisias ota Procrusten:
Cercyonis letum, vidit Cerealis Eleusin.
Occidit ille Sinis, magnis malè viribus usus:
Qui poterat curvare trabes: & agebat ab alto
Ad terram late sparsuras corpora pinus.
Tutus ad Alcathoën Lelegeia mœnia limes
Composito Scirone patet: sparsique latronis
Terra negat sedem, sedem negat ossibus unda:
Quæ jactata diu fertur durasse vetustas
In scopulos, scopulis nomen Scironis adhæret.

Corynetes, sive Coryneta Vulcani filius, pronepos Saturni (non Neptuni) ex Junone dictus à Clava, quæ Græcè κορυνα dicitur, qua advenas interficiebat: *reddere vitam*, id est, mori. Sic enim interpretor non ut alii. *Coronides* est Æsculapius ab urbe sua, id est, Epidauro, ibi enim occisus est Coryneta. Secundus est Scinis, vel Sinis, de quo supra, qui poterat curvare, cæt. Tertius Scyron ut suprà. Quartus Polipemon, id est, damnosus, qui alio nomine dictus fuit Procustes à præcidendo à ΠΡΟΚΟΠΤΟΜΑΙ vel à KRYO percutio. Hic (inquit Diodorus, qui omnia hæc narrat *lib.* 4, *cap.* 7. *de rebus Thesei*) viatores cogebat super lectum aliquem ascendere, quod si longiores essent parte superemimente amputabantur. Quintus est Minotaurus. Oydo est, & qui natus est parte alia sui, homo, alia juvencus. *Sinin*, (non *Cynen* aut *Sinnin*) vocat Pausan. *lib.* 1. Idem *lib.* 2. *in prima pag. in princ.* Isthmi fronte locus est: ubi Sinis latro curvatis à terra diversarum picearum ramis ad eos, quos pugnando vicisset actis utrinque vinculis, alligabat, ut quum in suam naturam arbores redirent, miserabilem illi in modum distraherentur, quo ipse postea sup-

supplicii genere à Theseo affectus est. cæt. vide Plutarch. *in Theseo.*

212. *Qualis Achemenides.*) Per hæc decem deinceps disticha enumerantur Mendici, Egeni, & Famelici, qui humanis carnibus famem sedarunt. Achemenides, de quo latè Virgil. 3. *Æneid.* Irus celebris est apud Homerum *Odyss.* 18. antea vocabatur Arneus, sic erat binominis. In Ponte, & in Aricia via sedebant mendici. Vide Adag. *Multi Manii Ariciæ.* De illo dubitant docti (*Qui tibi major erit.*) Excute illud Persii *Satyr. sexta. Presto est mihi Mannius, heres, prope major avunculus.* cæt. Turneb. *lib.* 9. *cap.* 26.

212. *Filius Cereris*) est Pluto, qui omnes ad se euntes ditare solebat: vide Hesiodum, Theognidem, & *commentaria* Aristoph. in *Pluto.* hic autem legendum, *filius &*, non *filius ut*, sic Egnat. & Codrus Urceus. 30.

212. *Erisichthon* à Cerere irata in tantam famem coactus est, ut morsu suos artus dilaceraverit. Hic vendebat filiam, ut famem sustentaret, quæ in varias figuras vertebatur. Driopem vocat Ovid. 8. *Metam.* Tzetzes Mastram *Chil.* 2. *histor.* 47. alii Taopeidem, à pavonis facie, vel forma.

212. *Tydeus* lethali vulnere vitam finiens Menalippi caput corrosit, vide Statium *lib.* 8. *Theb.* de ipso Menalippo postea in illo: *Ac velut Hyrtacides.*

212. *Atrius* Thyestæ fratri filios mandendos in convivio apposuit, à quorum mensa Sol dicitur avertisse currus.

213. *Lycaon Arcadiæ Rex* Jovem excepit convivio mactati hominis, & ira Jovis versus fuit in Lupum. Ovid. 1. *Metam.*

213. *Pelops Tantali filius* Diis à patre positus fuit ad epulas: late Ovid. *Meta.* Terei puer fuit Itys, vel Itylus, sed videtur leg. *Threiciusque puer.*

213. *Et*

213. *Et tua sic latos spargunt.*) Absyrtus filius Æetæ Cholcorum regis à Medea fuit dilaceratus, & per campos sparsus, ut in colligendis membris pater insequens retardaretur: late hoc Ovid. *lib.*3. *Trist. Eleg.* 9.

213. *Ære Perilleo veros.*) De quo sic Ovid. 3. *Trist. Eleg.* 11.

Pro quibus inventis ut munus munere penses,
Da precor ingenio munera digna meo:
Dixerat: At Phalaris, pœnæ mirande repertor,
Ipse tuum præsens, imbue, dixit, opus.
Nec mora, monstratis crudeliter ignibus ustus
Exhibuit geminos ore gemente sonos.

Vide Lucianum in *Phalaride* & Tzetzem *Chil.* 1. *hist.* 25. Adag. *Phalaridis imperium.*

213. *Utque ferox Phalaris.*) Varia traduntur de morte Phalaridis Agrigentini tyranni. Ovidius videtur innuere illum à suis comprehensum, lingua prius resecta, in eundem Taurum Perilli conjectum. *Paphius.* 1. *Cyprius.* 1. æreus, nam ex Cyprio aëre conflatus fuit Taurus.

213. *Dumque redire voles.*) Pelias Admeti socer fraudibus Medeæ juveniles annos promittentis interiit. Ovidius *Met.* & Diodorus Siculus.

213. *Atque eques in medio.*) De lacu Curtio varia narratur historia. Titi Livii apponam verba ex *lib.* 7. *Eodem anno seu motu terræ, seu qua vi alia forum medium ferme specu vasto collapsum in immensam altitudinem dicitur: neque eam voraginem conjectu terræ, quam pro se quisque gereret, expleri potuisse prius, quam deum monitu quæri cœptum: quo plurimum populus Rom. posset: id enim illo loco dicandum Vates canebant, si remp. Rom. perpetuam esse vellent. Tum M. Curtium juvenem bello egregium castigasse ferunt dubitantes, num ullum magis Romanum bonum, quam arma, virtusque esset. Silentio facto templa deorum immortalium, quæ foro immi-*

imminent, Capitoliumque intuentem, & manus nunc in cœlum, nunc in patentem terræ hiatum ad deos manes porrigentem se devovisse. Equo deinde quam poterat maxime exornato insidentem armatum se in specum immisisse: donaque ac fruges super eum à multitudine virorum, ac mulierum conjectas: lacumque Curtium, non ab antiquo illo T. Tatii milite Curtio Metio, sed ab hoc appellatum. Vide Valerium Maxi. *lib* 5. *cap.* 6. & Paul. Oros. *lib.*3. *cap.* 5.

213. *Atque utinam pereas.*) Cadmus draconis dentes à se occisi seminavit, unde orti armati, qui inter se decertantes perierunt. Ovid. *Metamor.* Vide *Scholia* nostra ad *Emblemata* in illo: *littera occidit, spiritus vivificat.*

213. *Et quæ Battiades fecit.*) Alii legunt *Pentheides*. Lego, *Et quæ Pytheides*, id est, Hipponax: tres poëtæ enumerantur, qui vota fecerunt in inimicos. Hipponax, Archilochus, Callimachus. Hipponax Ephesius fuit Pythei, & Protidis filius, de quo Politianus in *Nutritiis*.

Nec ferus Hipponax, atro qui felle cruentus,
Bupalon, & stratum morsu laniavit Athenin.

Vide Plini. *lib.* 36. *cap.* 5. & Adag. *Hipponacteum præconium.*

Frater Medusæ fuit Archilochus: vide Adag. *Archilochum teris*, & *Archilochi melos*. Horat. *Archilochum proprio rabies armavit Iambo.*

Tertius Callimachus, qui in Apollonium Rhodium vota fecit, vocans illum *Ibidem*, quæ avis rostro utitur pro clystere: vide *Scholia Emblem. Ibis.*

213. *Vulnera totque feras.*) Osiris à Typhone disceptus in 24. partes per campos Ægyptios projectus fuit, cujus rei memoriam Ægyptii quotannis celebrantes à sacris cultros arcent. Vide Plutarch. *de Iside & Osiride*: lege *culter*, non *cultor*.

213. *Attonitusque seces.*) Deorum mater Cybele Atin amavit, & is sibi Entheus amputavit virilia.

Vide

Vide *Galliambum* Catulli: *super alta vectus Attis*, unde postea mos fuit sacerdotibus Cybelis, ut ad fluvium Gallum emascularentur. Cybelis currum vehunt leones, & hi leones sunt Hippomenes, & Atalanta. vide Ovid. *Metam.* 10.

213. *Solaque Limone.*) Ex Hippomene, & Atalanta nata est Limone, quæ, à patre in adulterio deprehensa equis discerpenda tradita fuit. Adag. *Hippomene magis impius.*

213. *Aut ut Cassandri dominus.*) Hercules Alexandri Magni filius à Cassandro una cum matre fuit occisus, & lapidibus coopertus, ne tantum facinus pateretur. Justinus *lib.* 15. Pauf. in *Bœotica.*

213. *Aut ut Abantiades, aut ut Lyrnesius heros,*
Cæsus in æquoreas præcipiteris aquas.

Abantiades passim vocatur Perseus, qui ab Abante genus ducens ab Acrisio in arca cum matre Danae inclusus in mare projectus fuit: unde hic aliqui non (*cæsus*) legunt, sed (*clausus*) quibus assentior. Porro quoniam de Lyrnesio heroe nihil reperitur idoneum, Egnat. legit, *Cygnesius* heros, & intelligit, Tenem Cygni filium. Quod verum puto. Nam ut narrant Homeri comment. *Iliad.* 1. Tenes Cygni filius fuit, qui accusatus à noverca, conjectus fuit cum sorore à patre Cygno in arcam per mare portandus: qui postea regnavit in Lycophre insula, quam Tenedon ab ipso appellavere. vide Adag. *Tenedia bipennis: & Tenedius homo.*

214. *Victima vel Phœbo.*) Theudotus Tragicus poëta, quum in Mnesarchum regem scripsisset atrocius, ab eodem crudeliter mactatus est, quum ille in templum Apollinis aufugisset: ita hoc refertur, sed sine certo autore.

214. *Aut te devoveat certis Abdera.*) Abderitæ quotannis certis diebus solebant hominem mactare, & impiis imprecationibus devovere. vide *Anathema* in nostra *Minerva.*

214. *Aut*

214. *Aut Jovis infesti.*) Nunc agit de illis, qui Jovis fulmine perierunt. Primus Capaneus, qui quum Thebanos muros ascenderet, fulmine ictus præcipitatus est, fuit Hipponoi filius, Pausan. *Boet. lib.* 9. Alciat. *lib.* 6. *Parerg. c.* 21. Statius.

214. *Ut soror Autonoes.*) Semele Bacchi mater, soror Autonoes, Ovid. *lib.* 3. *Metam.*

Cui matertera Maia est.) Porphyrium Sisyphi filium intelligit. *Comment.* Homeri.

214. *Et temere optatos.*) Phaeton fulmine ictus Ovid. 2. *Metam.*

214. *Ut ferus Æolides.*) Salmoneus Æoli filius. Virgil. 6. *Æneid.* & Diodor.

Ut sanguine natus eodem.) Ismeneus Lycaonis in lupum mutati filius, sed melius de ipso Lycaone intelligas, ex 1. *Metam.* Vide Bocatium: hujus filia fuit Arctos, & ipse à Jove genus ducebat, ut Salmoneus.

214. *Ut Macedo.*) Macedo (ut *Comment.* Homeri *Iliad.*) Jovis, & Æthræ filius, sed Macedo nomen est mulieris.

214. *Prædaque sis illis.*) Strabo *lib.* 6. Canes in Delo alere religiosum est. Thasus, vel Trasus puer *ante diem*, id est, juvenis dilaniatus fuit à canibus. Hyginus.

214. *Quique verecundæ specul.*) De Actæone late Ovid. & nos in *Emblem.* de *Actæone.*

214. *Quique Crotopiadem.*) Linus. Pausanias *lib.* 7. ita scribit. *Ijame hæ Crotopi regis Argivorum filia, filium ex Apolline peperit, quem canes Crotopi à pascuis redeuntes dilaniaverunt. Iratus Apollo monstrum immisit nomine Pœnam.*

214. *Neve venenato levius feriaris.*) Eurydices fabula notissima est, vide 4. *Georg.*

214. *Quam puer Hypsiphylis.*) Opheltes filius Lycurgi regis Nemeorum, qui postea Archemorus est dictus, dum parum diligenter ab Hypsiphyle nutrice custo-

custodiretur, serpentis morsu extinctus est. Statius, & Lactantius.

214. *Acuta cuspide.*) De Laocoonte multa Virgil. *lib.* 2. *Æneid.* & Plin.

214. *Neve gradus adeas.*) Elpenor Ulyssis socius ebrius ab Scalis decidit. Homer. in *fine* 10. *Odys.*

214. *Tamque cadas domitus.*) Id est, ita domitus cadas, ut quicumque ex Dryopum populo juvit Throdamantem regem contra Herculem pugnantem, ex interprete Apollonii.

214. *Quam ferus ipse suo.*) Cacus Vulcani filius ab Hercule occisus. Virgilius late *lib.* 8. *Æneidos.*

214. *Quam qui dona tulit Nesseo.*) Nessum Centaurum Hercules occidit, cujus sanguine imbutam vestem Lychas Herculi obtulit. Hercules autem tunica indutus furore correptus, Lycham ipsum rotatum in mare præcipitavit, vide *Epistolam* Dejaniræ in Ovid.

214. *Vel de præcipiti venias.*) Cleombrotus Ambraciotes lecto Platonis libro *de immortalitate animi* se se in mare ex alta turri præcipitavit. Cicero *lib.* 1. *Tuscul.* Extat Callimachi Epigramma de Cleombroto.

214. *Ut qui Thesea.*) Ægeus Thesei pater in mare se præcipitavit videns vela nigra, quæ mutanda dederat filio Theseo, si victor rediret. Plutarchus *in Theseo.*

214. *Missus ab arce puer.*) Astyanax Hectoris filius ab Ulysse fuit è turri præcipitatus. Seneca *in Troade.*

214. *Ut teneri nutrix.*) Ino Semeles soror & Athamantis uxor sese cum Melicerta filio projecit in mare. Ovid. *Metam.*

214. *Serra reperta fuit.*) Dædalus Perdicem è turri præcipitavit, quod serram invenerit. Ovid. *Metam.*

214. *Lydia se scopulis.*) Mars Ilicem Ibyci Lydii filiam amavit, quæ tuta Dianæ auxilio dum amorem Martis

Martis comtemnit, diris imprecationibus in furorem acta se demisit è scopolo: alii: Mars patrem occidit amatæ, cujus mortem puella dolens è rupe se dejecit.

215. *Fœta tibi occurrat.*) Paphages Ambraciæ rex, quum incidisset in leænam fœtam, in hortis suis ab ea est dilaceratus.

215. *Quique Lycurgidem laceravit.*) Nugantur hic interpretes Urceus Codrus *sermone* I. & Egnatius, & Fanensis de Ancæo Lycurgi, & Antinoes filio Arcade interpretantur: de quo Pausanias *in Arcadicis* ita scribit. Lycurgus filios habuit duos, Ancæum, & Epochum: Epochus morbo est absumptus: Ancæus quum expeditionis Colchicæ particeps fuisset, ac deinde Meleagro in pugna Calidonii apri operam navasset, ab eadem stratus bellua occubuit. vide Ovid. *Metam.*

Et arbore natum.) Hic fuit Adonis. vide Ovid. *Met.* & Aphthonii *progymnasmata.*

215. *Idmonaque audacem.*) Idmon Asteriæ & Apollinis filius unus fuit ex Argonautis, & apud Mariandinos ab apro perculsus interiit: vocat illum poeta audacem, quia quum sciret se in illa expeditione (erat enim vates) periturum, nihilominus expeditionem non detrectavit: locum Senecæ correximus in *Annotationibus* ad silvas Politiani.

215. *Isque vel exanimis.*) Diodorus Siculus *lib.* 4. de Herculis laboribus, *cap.* 2. *hinc digressus* (Hercules) *pervenit ad quandam in agro Possidoniacorum petram, ubi fabulantur miraculum quoddam accidisse. Erat venator in regione, quæ dicitur Andragathia, solitus antea, eorum quæ ceperat capita, ac pedes Dianæ dicata arboribus affigere, quum aprum ingentem cepisset, contenta Dea ait, se caput solum dicaturum: quumque suspenso oapite ab arbore quispiam meridianum somnum sub arbore petiisset, dormienti caput ligaculis dissolutis incidens vitam ademit. Sævi:* alii habent *fixi.*

215. *Atque illum ſimili.*) Variant Comment. forte legendum :

Atque idem ſimile vivus qui morte peremit
Venator Phrygia, & ſis Berecynthiades.

Sic alter Atys in Phrygio nemore ab Apro jugulatus, *Scholia* Nicandri. in *princip. Alexiph.*

215. *Lapſuramque domum ſubeas.*) Alciat. 6. *Parerg. c.* 21. *ſic :*

Lapſuramque domum ſubeas, ut ſanguis Alebæ:
Stella Lycoritæ quum fuit æqua viro.

Scaliger in Auſonium *lib.* 2. *cap.* 30. pro *Lycoridæ*, ſeu *Lycoritæ*, ſeu *Leoporidæ*, ut legebatur in Schedis, legit *Leoprepidæ*, nam ipſemet Simonides, de quo hæc intelligenda ſunt, ſe vocat filium Leoprepei. *Stella* vero *æqua*, ſunt Caſtor & Pollux: *ſanguis Alevæ*, fuit Scopas. Hiſtoriam narrat Cicero *in libris de Oratore*, quum agit de memoria, & nos etiam in *Silvis Politiani*, in *Simonide.* & Valer. Max. *lib.* 1. *cap. de miraculis.*

215. *Utque vel Evenus.*) *Scholia.* Homeri 9. *Iliad.* Evenus quum filiam Marpiſſam pulcherrimam nollet collocare cuiquam, niſi illi qui curuli certamine ſe ſuperaret, & victorum capita foribus affigeret: Idas Apharei filius acceptis à Neptuno (cujus etiam filius dicebatur) velociſſimis equis Evenum ſuperavit. Evenus autem præ dolore amiſſæ filiæ ſe in Lycormam fluvium præcipitavit, qui poſtea dictus Evenus.

215. *Hirtacidæque modo defixa.*) His verbis nihil ſignificatur, nec interpretes quicquam explicant. Ego ſic emendo.

Aſtacidæque modo, diffiſa cadavere trunco,
Digna feris, hominis ſit caput eſca tuum.

Hoc ſenſu: caput tuum ſit eſca hominis diffiſa ab trunco cadavere: quamvis magis erat eſca feris digna.

Lo-

Loquitur autem poeta de Melanippo, seu Menalippo, cujus caput Tydeus jam jam moriturus mordicus divellebat. Æschylus *in Tragæd. de Thebis* sic ait: *Ego vero Tydeo probum Astaci filium nunc apponam.* Statius *lib.* 8. *Thebaid. in calce.*

Astacides Menalippus erat.

215. *Quodque ferunt Brotheum.*) Alciat. *lib.* 4. Parerg. *cap.* 4.

215. *Inclususque necem.*) Egnatius, quam alii de Callisthene intelligit, qui res gestas Alexandri conscripsit, cui nihil profecit scripsisse, quo minus in cavea conclusus mortem obiret.

215. *Utque repertori.*) Archilochus Lacedæmonius Iambici carminis inventor: propter maledicentiam in exilium misere Lacedæmonii, librosque ejusdem extra urbem exportari jusserunt. Valer. Maxi. *lib.* 6. *cap. de severitate.* unde hic quidam malunt legere (*exilium*) quam (*exitium*:) de Archilocho & ejus morte multa diximus in *Emblem.* Alciat. & *Silvis* Politiani.

215. *Utve parum stabili.*) Carmen *parum stabile* vocat Scazontem, id est, claudum, quale illud: *Nec fonte labra prolui Caballino.* Hipponax poeta Ephesius Bupalon, & Athenin fratres sculptores carmine scazonte dilaceravit, ut ait Plin. *lib.* 36. *cap.* 5. lege igitur hic pro (*Athenas*) *Athenin*, ex Suida. vide Alciat. *lib.* 5. *Parerg. c.* 18. vide Adag. *Hipponacteum præconium.* in Plin. legitur (*Anthermus.*) Politianus *in Nutriciis.*

Bupalon & stratum morsu laniavit Athenin.

De fato autem Hipponactis nihil lego, præter hoc Ovidianum.

215. *Utque Lyræ vates fertur.*) De Stesichoro loquitur, de quo Horatius *lib.* 4. *Oda* 9. *Stesichorique graves camœnae.* Stesichorus etiam si Lyricus sit à Synæsio Heroicus vocatur: unde Polit. *in Nutriciis.*

Sustinet Heroi valida testudine pondus
Carminis.

Idem ait *lib.* 9. *maxima bella, & clarissimos canentem duces,* & *Epici carminis onera lyra sustinentem,* cæt. Ego itaque de Stesichoro interpretor, sed qua morte perierit non invenio: & forte hic legendum, (*exilii*) non *excidii*, hoc sensu: dextra læsa, id est, fides non servata sit tibi causa exilii. Credibile autem est poëtam junxisse tres iambographos: eosdemque maledicos Archilochum, Hipponactem, & Stesichorum, non ut somniant commentatores.

215. *Utque Agamemn.*) Apud solum Scholiastem Euripidis *in Oreste* lego Orestem à serpente interiisse, his verbis: *Asclepiades in Arcadia dicit ipsum Orestem à serpente sublatum.*

215. *Sit tibi conjugii.*) Eupolis (non ille comicus, sed alius, qui duxit Glycerium Eudici filiam) qua nocte primum fuerunt conjuncti, labente tecto mortuus est, ex *lib.* I. *Epig. Græc.*

215. *Utque cothurnatum.*) De Lycophrone scribit Suidas, & Diog. Laertius, de ejus morte nemo, præter Ovid.

215. *Aut lacer in sylva.*) Penthei fabula nota est, ex Ovid. & aliis. Nepos fuit Cadmi, qui in anguem fuit conversus.

215. *Perque feros montes.*) Dyrce Lyci Thebanorum regis uxor Antiopen à Lyco repudiatam in sævo carcere detinuit. Mortuo Lyco Zethus & Amphion filii Antiopes Dyrcem taurorum silvestrium caudis alligatam discerpserunt. Latius hæc interpres Apollonii.

216. *Quodque suæ passa est.*) Prognes & Philomelæ fabula notissima est, ex Ovid. & aliis.

216. *Cognitor ut tardæ Blæsus cognomine Myrrhæ. Orbis in innum.*) Alii legunt (*læsus*) & (*orbus*) & omnes intelligunt de Cynira patre Myrrhæ, de quibus Ovid. *Metamor.* sed ego non video, quomodo

modo hæc Cinyræ possint adaptari. Crediderim potius de Aristæo hæc dici, qui cognominatus est Battus, quia blæsus fuit, & impeditæ linguæ, ut Pindarus in *Pythiis* testatur. Et tardam Myrram vocat *Silphium* (Hispane *Menjui*, aut *Benjui*) cujus Battus fuit ditissimus. Ordo igitur erit, ut cognitor, & inventor tardæ myrrhæ, id est, silphii, quod tarde crescit: Inveniare in orbis diversis locis, ut Aristæus, qui varias orbis partes exul peragravit: donec venit Cyrenas, ubi rex ab Afris constitutus Silphii dominus effectus fuit. vide hæc latius in Adag. *Batti Silphium.*

216. *Inque tuis opifex.*) Ordo est: Apis opifex mellis figat tuis oculis noxia spicula, quod fecit illa vati Achæo. Achæum vatem multi Homerum vocant, sed mihi non satisfaciunt: nam nec constat fuisse Homerum cæcum, & si constaret, cæcitatis tamen causa penitus ignoratur. Alius igitur quærendus.

216. *Fixus & in duris carparis.*) De Prometheo Epimethei fratre, cujus filia Pyrrha fuit, multa diximus in *Emblem.*

216. *Ut puer Harpagides.*) Sic omnino legendum: sensus est: ita tu exemplum Thyestæ repetas, ut filius Harpagi, qui devoratus fuit ab insciente patre. Historiam refert Justinus *lib.* I. & Herodotus *lib.* I. late.

216. *Trunca geras sævo.*) Mamertes Sysaphonis Corinthii frater, regni cupiditate nepotem occidit, quare à fratre dicitur dilaceratus, de hoc amplius quærendum.

216. *Utve Syracosio.*) Omnes de Theocrito intelligunt, ab rege Siculo ob maledicentiam suffocato, & id quærendum.

216. *Nudaque direpta.*) Marsias victus à Phœbo excoriatus fuit, nota est fabula ex Ovid. & aliis: is dedit nomen fluvio.

216. *Saxificæ videas.*) Perseus devicta Medusa

 Cephe-

Cephenum populos in ſaxa convertit. Ovid. Hyginus & alii.

216. *Potniadum morſus.*) De tribus Glaucis ſatis ſuperque diximus in *Emblemat.* 26. cujus titulus *Gramen.*

216. *Sollicitoque bibas.*) *Aniti reus*, eſt Socrates, qui cicutam bibit, nota eſt hiſtoria, ex Platone, Diogene Laertio, & aliis.

216. *Nec tibi, ſi quid amas.*) Hæmon filius fuit Creontis Thebarum regis, hic Antigonem amabat, quam quum vidiſſet à patre damnatam, & ſepulchro incluſam, impatientia amoris ſe ipſum interfecit, Sophocles in *Antigone*, de Macarco & Canace extat Ovidii epiſtola. Hanc vide.

216. *Ut videas quod jam.*) Suſpicor hoc diſtichum non eſſe Ovidii, ſed è margine in contextum irrepſiſſe. Nam de Aſtianacte è turri præcipitato jam antea dictum eſt, inſulſum diſtichon & nullius imprecationis, nec ſalis.

216. *Sanguine probra luas.*) Adonis Cynaræ & Myrrhæ filius ab Apro fuit dilaceratus. Ovidius.

216. *Oſſibus inque tuis.*) *Commentaria Homeri, lib.* 11. *Odyſ.* narrant, quemadmodum Telegonus Ulyſſis ex Circe filius, patrem inſciens interfecerit. Erat autem Telegoni telum præfixum ſpina piſcis Trygonis venenoſa.

216. *Utque loquax in equo.*) Politianus in *Miſcell.* 76. ſolus attigit, quid hic dicat Ovid. Anticlus, qui cum cæteris Græcis in equo Durateo fuit incluſus, ab Ulyſſe compreſſis faucibus ſuffocatus eſt, eo quod Helenæ vocibus voluerit reſpondere. Meminit & Homerus *Odyſ.* 4. Politianus in *Ambra.*

Indiciique metu præcluſum pollice fauces
Anticlon Ortygidem.

216. *Aut ut Anaxarchus.*) Miror oſcitantiam interpretum, quum Diogenes Laertius diſerte in vita Anaxarchi hoc oſtendat, *quum* (inquit) *Cyprum invitus*

vitus applicuisset (Anaxarchus) *comprehensum in concavam pilam, seu mortarium* (Nicocreon) *injecit, jussitque ferreis malleis cædi: illum pœnæ suæ negligentem celebre id dictum ingeminasse. Tunde, tunde Anaxarchi vasculum, nam Anaxarchum nihil teris.*

217. *Salmacis utque patrem.*) Alii, *utque patrem Psamathes.* Ita legitur in Aldinis codicibus. Nec aliter legi debet: nam quatuor hæc carmina ex una eademque historia pendent. Pausanias *in Atticis* sic scribit: *Regnante Argis Crotopo, ejus filiam Psamathen tradunt, puerum quem ex Apolline pepererat, ut patrem, à quo sibi plurimum metuebat, celaret, exposuisse. Quumque ita accidisset, ut à Crotopi canibus pecoris custodibus dilaceraretur, Apollinem diram quandam belluam immisisse,* ΠΟΙΝΗΝ *ipsi appellarunt, quæ è matrum gremiis infantes rapiebat: monstrum vero illud Corœbum Argivorum misericordia ductum confecisse. Verum quum Dei ira nihil remisisset, & pestilenti morbo civitas iterum vexaretur, venisse Delphos Corœbum, ut de Pœnæ cæde Apollini satisfaceret:* & paullo inferius: *Corœbi vero sepulchrum Megaris est, in quo inscripti elegi rem totam de Psamathe, & Corœbo testantur: tumuli insigne est, Corœbus Pœnam conficiens.* Hæc Pausanias in quibus nulla mentio est de morte Crotopi, & Psamathes, sed credibile est, Apollinem iratum de Crotopo pœnas sumpsisse, quas ille de Psamathe sumpserat, & hæc omnia in illis elegis latius contineri. Stat. I. *Theb.*

217. *Utque nepos Æthræ.*) Theseus filius fuit Æthræ, & pater Hippolyti. Nota est fabula ex Ovid. Euripide in *Hippolyto coronato*, & ex Senecæ *Tragæd.*

217. *Propter opes nimias*) vel magnas. Polydorus Priami filius à Polymnestore Thraciæ rege necatus fuit. Virg. 3. *Æneid.*

217. *Utque ferunt fratres sex.*) Hæc sex carmina unam eandemque continent narrationem. Amphion

rex Thebarum & citharæ inventor Nioben duxit uxorem, quæ peperit ei duodecim filios, quorum unus vocatus fuit Damasichthon, omnes male perierunt, cum patre, & matre: de his late diximus in *Emblem.* Batthus autem pastor, ut Niobe, versus est in lapidem indicem, quem Hispane vocamus (*toque de platero.*) Ovid. I. *Metam.*

217. *Aëra si misso.*) Hyacinthus puer Œbali filius ab Apolline disco percussus interiit. Ovid. *Metam.*

217. *Si qua per alternos.*) Leandri amores notissimi sunt, ex Ovid. *Metam.* & Epistolis, & Musæo.

217. *Comicus ut liquidis.*) Quidam de Menandro intelligunt, alii de Terentio, qui naufragium fecit. Ego de Eupoli comico dictum puto. Ex Suida, qui narrat eum submersum in eo bello quod ad Hellespontum gestum est, & in *prolegomenis* ad Aristophan. sic ait Platonius: *Scimus Eupolin quum Baptas fabulam docuisset, ejectum fuisse in mare, ab illis, in quos fabulam composuerat:* de Eupoli latius egimus in *silvis* Politiani.

217. *Aut ubi ventosum.*) De Palinuro naufrago, vide Virgil. *Humo contacta*, dixit, quia post longam enatationem tacta terra interiit.

217. *Utque cothurnatum.*) Euripides à canibus discerptus fuit, de quo latius in *Silvis* egimus.

217. *Aut ut Trinacrii.*) Empedocles in Æthnam se conjecit. Horat. in *Arte poet. Super ora gigantis*, Typhoeum intelligit, cujus caput Æthna degravat.

217. *Diripiantque tuos.*) Nota sunt omnia de Orpheo dilaniato apud Ovid. & Virgil.

217. *Natus ut Althææ.*) Meleager exusto fatali torre combustus fuit. Ovid. late.

217. *Ut nova Phasiaca.*) Medea Creontis filiam Jasoni nuptam ignita corona concremavit: nota est fabula ex Diodoro Siculo, & Ovid. & aliis.

217. Ut

217. *Ut cruor Herculeos.*) Tunica venenata membra Herculis correpta ſunt. Ovidius *Metam.* & in Epiſtola *Dejaniræ.*

217. *Qua ſua Penteidem.*) Butes Lycurgi filius in vindictam patris à Baccho necati, bacchas diris ſuppliciis affecit.

218. *Utque Milo.*) Milonis Crotoniatæ hiſtoria paſſim decantatur, Pauſanias late proſequitur.

218. *Muneribuſque tuis lædaris.*) Icarus Erigones pater quum vini uſum Atticos colonos docuiſſet, ab ipſis ebriis interemptus eſt, putantibus venenum ſibi datum. Filia vero Erigone audita patris morte laqueo vitam finivit. Hyginus in *poëtico aſtronomico.*

218. *Obſtructuſque famem.*) Sic legendum, non *obſtrictus.* nam loquitur de Pauſania Lacedæmoniorum duce, qui proditionis damnatus in templum Palladis Chalcidoniæ confugit, ubi fame coactus eſt mori. Hæc Thucididis *lib.* I. addunt Commentaria Thucididis, & Paul. Æmilius, matrem Pauſaniæ Alatheam, quum Ephori fores ædiculæ, ubi ille abditus erat, obſtruerent, ut ad mortem fame compellerent: matrem ipſam, ubi de ſcelere filii eſſet admonita primum lapidem ad obſtruendam comportaſſe: unde Ovid. *Legem pœnæ dedit ipſa parens.* Poterit & de Pauſania intelligi quem pater Ageſilaus concluſum fame mori coëgit, quia Spartham proderet. Plutar.

218. *Illius exemplo violes ſimulacra Minervæ.*) De Ajace Olleo interpretantur, qui Caſſandram in templo Minervæ violavit. Sed quia jam hoc ſupra poeta narravit, placet antiqua lectio, *ſimulacra Dianæ.* Credo enim Poetam loqui de Agamemnone, qui ob violatum Dianæ numen ab uxore fuit occiſus. Et Agamemnoni & Claſſi Græcorum negati ſunt venti ob iram Dianæ: vide late Servium. 2. *Æneid.* in illo verſu:

San-

Sanguine placastis ventos, & virgine cæsa;

Et Ovid. 12. *Metam.*

218. *Naupliadæque modo.*) Palamedes Nauplii filius crimine ficto ab Ulysse, quod aurum à Priamo accepisset, lapidibus est obrutus: late Servius 2. *Æneid.* in illo: *Belidæ nomen Palamedis.*

218. *Æthalon ut vita spoliavit Isidius hospes.*) Versus claudicat in voce *Isidius. Isis* enim, & *Isiacus* primam producit, itaque aliter legendum, & *Æthalon* nihil est, aliud quærendum.

218. *Utque Melantheum tenebris.*) Hic frustra sunt commentatores, quare aliud quærendum: sed connecte huic disticho illud sequens, *Sic tua conjectis*, cæt.

218. *Qualis equis pactis.*) Ovid. in *Epistola*: *Rettulit, & ferro Rhoesum Dolonaque cæsos.* Dolon speculatum missus à Trojanis pactis equis Achillis, occisus noctu est ab Ulysse: ex Hom. *Iliad.* Rhæsi historiam narrat Servius in illo *Æneid.* 1.

Nec procul hinc Rhoesi. cæt.

218. *Quam quos cum Rutulos.*) Nisus, & Euryalus multos Rutulorum oppressos somno interfecerunt. Virgilius *lib.* 9. *Æneid.*

218. *Cliniadæque.*) Alcibiades, quum vivus non posset comprehendi, igni domo circundata interiit. Justinus *lib.* 5. Plutar. telis obrutum interiisse narrat. alii legunt, *Clytiadæque*, & de filio Clytiæ radiis solaribus combusto interpretantur, sed frustra.

218. *Utque Remo muros.*) Lucano *lib.* 1.

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Hæc nota sunt ex Livio, Plutar. & Dionys. Halicarn.

218. *Denique Sarmaticas.* Sarmatas, quos Græci Sauromatas vocant, sunt Scythiæ populi; tanta iis est barbaries ut pacem non intelligant: ibidem sunt

Getæ

Getæ & Daci, quorum sævitiam Ovid. notat in *libro de Ponto.*


Nulla Getis toto gens est truculentior orbe.
Ut qui post longum. Thrasius hic fuit.

Ovid. I. *Art. Amand.*

Dicitur Ægyptus caruisse juvantibus arva
Imbribus, atque annis sicca fuisse novem.
Quum Thrasius Busirin adit, monstratque piari
Hospitis effuso sanguine posse Jovem,
Illi Busiris, fies Jovis hostia primus
Inquit, & Ægypto tu dabis hospes aquam.



D. MAGNI



D. MAGNI AUSONII

GRYPHUS,

Ternarii Numeri.

ARGUMENTUM.

AUsonius in *Epistola ad Symmachum* sic ait: *Fuit autem ineptiolæ hujus ista materia. In expeditione, quod tempus, ut scis, licentiæ militaris est, super mensam meam facta est invitatio: non illa de Rubrii convivio, ut Græco more biberetur, sed illa de Flacci ecloga, in quo propior mediam noctem, & novam lunam, & Murenæ auguratum ter noster cyathos attonitus petit vates. Hunc locum de ternario numero illicò nostra illa poëtica scabies cœpit exscalpere.* Et paulò post: *Neque me fallit fore aliquem qui hunc jocum nostrum acutis naribus, & caperata fronte condemnet: negetque me omnia, quæ ad ternarium & novenarium numeros pertinent, attigisse: quem ego verum dicere fatebor, justè, negabo. Quippe si bonus est, quæ omisi, non oblita mihi, sed præterita existimet: dehinc qualiscunque est, cogitet secum quam multa de his non reperisset, si ipse quæsisset. Sciat etiam me nec omnibus erutis usum, & quibusdam oblatis abusum. Quam multa enim de Ternario sciens neglexi. Tempora & Personas, Genera & Gradus; novem naturalia Metra, cum Trimetris: totam Grammaticam, & Musicam: librosque Medicinæ: Ter maximum Hermen, & amatorem primum Philosophiæ, Varronisque numeros, & quicquid prophanum vulgus non ignorat.*

TEr bibe, vel totiens ternos: ſic myſtica lex eſt:
Vel tria potanti, vel ter tria multiplicanti,
Imparibus novies ternis contexere cubum.
Juris idem tribus eſt, quod ter tribus omnia in iſtis,
Forma hominis cœpti, plenique exactio partus:
Quique novem novies fati tenet ultima finis.
Tres Ope progeniti fratres: tres ordine Parcæ.
Veſta, Ceres, & Juno, ſecus muliebre ſorores.
Inde triſulca Jovis ſunt fulmina. Cerberus inde,
Inde Tridens: triplexque Helenes cum fratribus ovum.
Ter nova Neſtoreos implevit purpura fuſos.
Et totiens terno cornix vivacior ævo.
Quam novies terni glomerantem ſæcula tractus
Vincunt æripedes ter terno Neſtore cervi.
Tres quorum ætates ſuperat Phœbeius oſcen.
Quem novies ſenior Gangeticus anteit ales,
Ales Cinnameo radiatus tempora nido.
Tergemina eſt Hecate, tria virginis ora Dianæ.
Tres Charites: tria Fata: triplex vox: trina elementa.
Tres in Trinacria Siredones: omnia trina:
Tres volucres, tres ſemideæ, tres ſemipuellæ:
Ter tribus ad palmam juſſæ certare camœnis,
Ore, manu, flatu: buxo, fide, voce canentes.
Tres Sophiæ partes: tria punica bella: trimeſtres
Annorum cœlique vices, noctiſque per umbram
Tergemini vigiles: ter clara inſtantis Eoi
Signa canit ſerus deprenſo Marte ſatelles.
Et qui conceptus triplicatæ veſpere noctis,
Juſſa quater ternis ſuſpendit opima tropæis.
Et lyrici vates numero ſunt Mnemoſynarum,
Tris ſolas quondam tenuit quas dextera Phœbi.
Sed Citheron totiens ternas ex ære ſacravit
Relligione patrum: qui ſex periiſſe timebant.
Trina Terentino celebrata trinoctia ludo:

Qua-

Qualia bis genito Thebis Trieterica Baccho.
Tres primas Thracum pugnas tribus ordine ſellis,
Juniadæ patri inferias miſere ſepulcro.
Illa etiam thalamos per trina ænigmata quærens,
Qui bipes, & quadrupes foret, & tripes omnia ſolus,
Terruit Aoniam volucris, leo, virgo, triformis
Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.
Trina in Tarpeio fulgent conſortia templo.
Humana efficiunt habitacula tergenus artes,
Parietibus qui ſaxa locat, qui culmine tigna,
Et qui ſupremo comit tectoria cultu.
Hinc Bromii quadrantal; & hinc Sicana Medimna.
Hoc tribus, hoc geminis tribus explicat uſus agendi.
In phyſicis tria prima, Deus, mundus, data forma.
Tergenus omnigenum, genitor, genitrix, generatum.
Per trinas ſpecies trigonorum regula currit,
Æquilatus, vel crure pari, vel in omnibus impar.
Tres coit in partes numerus perfectus: ut idem
Congrege ter trino per ter tria diſſolvatur.
Tres primus, par, impar habet, mediumque, ſed ipſe
Qui medius, quinque & ſeptem quoque dividit unus.
Et numero in toto poſitus ſub acumine centri,
Diſtinguit ſolidos cubo pergente trientes.
Æquipares dirimens partes ex impare terno:
Et paribus triplex medium: cum quattuor & ſex,
Biſque quaternorum ſecernitur omphalos idem.
Jus triplex, tabulæ quod ter ſanxere quaternæ,
Sacrum, privatum, & populi commune quod uſquam eſt.
Interdictorum trinum genus: unde repulſus
Vi fuero, aut Utrobi fuerit, Quorumve bonorum.

Tri-

Triplex libertas, capitiſque minutio triplex.
Trinum dicendi genus eſt, ſublime, modeſtum,
Et tenui filo: triplex quoque forma medendi,
Quæ logos, aut methodos, cuique experientia nomen,
Et medicina triplex, ſervare, cavere, mederi.
Tres oratorum cultus, regnata coloſſo.
Quem Rhodos, Actææ, quem dilexiſtis Athenæ,
Et quem de ſcenis tetrica ad ſubſellia traxit
Proſa Aſiæ, in cauſis numeros imitata chororum.
Orpheos hinc tripodes, quia ſunt tria, terra, aqua, flamma.
Triplex ſideribus poſitus, diſtantia, forma,
Et modus, & genitrix modulorum muſica triplex;
Mixta libris, ſecreta aſtris, vulgata theatris.
Martia Roma triplex: equitatu, plebe, ſenatu.
Hoc numero tribus, & ſacro de monte tribuni.
Tres equitum turmæ, tria nomina nobiliorum.
Nomina ſunt chordis tria: ſunt tria nomina menſi.
Geryones triplex, triplex compago Chimæræ.
Scylla triplex, commiſſa tribus, cane, virgine, piſce.
Gorgones, Harpyæque, & Erinnyes agmine terno.
Et tres fatidicæ nomen commune Sibyllæ:
Quarum tergemini fatalia carmina libri:
Quos ter quinorum ſervat cultura virorum.
Ter bibe: tres numerus ſuper omnia, ter Deus unus.
Hic quoque ne ludus numero tranſcurrat inerti,
Ter decies ternos habeat, deciesſque novenos.

FRANCISCI SANCTII BROCENSIS,

In Inclyta Salmanticensi Academia Rhetorices, Græcæque Linguæ Primarii Doctoris,

IN GRYPHUM AUSONII ANNOTATIONES.

GRiphus, vel *Gripus*, est propriè piscatorum sagena, id est, rete; capitur pro ænigmate, vel obscura quæstione, qua mens aut intellectus irretitur, ita Suidas, Hesychius & Eustathius dicitur etiam Græce Βολος, *à jaciendo*, Latinè *jaculum*, Hispanè *Sparavel*, & *redeguelle*.

℣.1. *Ter bibe, vel totiens ternos.*) Plutarchus in *libello de vita Homeri* postquam multa carmina poëtæ recitavit, de numero ternario, & novenario, sic ait. *Quur autem novenarius numerus est perfectissimus? quia quadratus est, primum imparem numerum radicem habens: estque impariter impar: in tres divisibiles terniones, quorum quilibet in tres unitates dividitur. Mysticam legem* dicit propter illud Horatii *lib. 3. Od.* 19. *Tribus, aut novem miscentur Cyathis pocula commodis: qui Musas amat impares Ternos ter Cyathos attonitus petet vates. Tres prohibet supra rixarum metuens tangere gratia.* quasi dicat: Tres cyathos bibe, propter Gratias: aut novem propter Musas. Hispanè dicimus, *beve los Kyrios*, id est, *bibit novies*. Mysticum est, quod habet aliquid occultioris mysterii, & aliud significat, quam quod prima fronte ostendit. Athenæus, & Eustathius mystice interpretantur illud vulgatum proverbium: *Aut quinque bibe, aut tria, aut ne quater.* non enim de Cyathis bibendis interpretantur, sed de temperandi vini

vini lege: Quinque bibe, id est, tres aquæ partes duabus vini accommoda: tria bibe, id est, duas aquæ partes uni vini misce: & ne quater, id est, non duas aquæ duabus vini, id adagium Græce refertur apud Plautum *in Sticho*: Sed quia Servius male recitavit adagium, ut ad suum commodum verbum corrumperet, nec Erasmus, neque Lambinus, neque alius adhuc illud recte potuit explicare. Quærit enim Stichus: quot cyathos bibemus? respondet alius: Tot, quot digiti sunt tibi in manibus: nam cantio Græca est: *Et quinque bibe*, & *tres bibe*, & *semiquater*. hactenus ille. Sed corrupit, & mutavit ΗΤΑ, in ΚΑΙ. & ex vocibus ΜΗ, ΤΕΤΑΡΑ, id est, vel ne quater, fecit ΙΜΕΤΕΤΑΡΑ, id est, semiquater, id est, decem. Sic dicimus Hispanè, *Dios nos de salud*: & *Dios no os de salud*: in primo precamur, in altero imprecamur, cum simili pronuntiatione.

℣. 3. *Imparibus novies.*) id est, idem juris est tribus numeris, quod ter tribus, ad contextum cubi, id est, numeri quadrati. Cubus est numerus productus ex multiplicatione sui in se primum, deinde in productum ex multiplicatione numerorum: ut ter terna 9. & ter novena 27. Quadrati autem dicuntur numeri, qui in se multiplicantur: ut decem decies: quinquies quinque. Sed hæc latius Macrobius *lib.* 2. *c.* 2. *in Somn.*

℣. 5. *Forma hominis cœpti.*) Inchoati hominis signum novem diebus intelligitur. Plin. *lib.* 7. *cap.* 6. Hippoc. *de natura fœtus* trigesimo die formari ait: & tertio mense moveri.

Plenique exactio partus.) Novem mensibus legitimus partus intelligitur. Antiqui semper decimum mensem dixerunt, ut Plautus, *Virgo ex eo compressu gravida facta est, mensis hic est decimus.* Idem. *Ea peperit decimo exacto mense post.* Sed illi menses erant lunares, & nostris minores.

℣. 6. *Quique novem novies.*) Sic legendum, non *quemque.* Hoc est: Et finem vitæ nostræ, qui tenet ultima fati, in numero novem novies, id est, 81. Censorinus *de die natali* sic ait: *Quadrati numeri potentissimi dicuntur.* Plato quadrato numero annorum vitam humanam consumari putavit, ut novenario, qui complet ann. 81. in *Psal. Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta.*

℣. 7. *Tres Ope progeniti fratres.* Ops, quæ & Rhea tres peperit filios, Jovem, Neptunum, & Plutonem.

Tres ordine Parcæ. Aristot. *de mundo*: tres sunt Parcæ juxta tria tempora divisæ: quarum alia res transfactas, alia futuras, seu venturas, alia præsentes significat. Nam una Parcarum Atropos nomine res præteritas expectat. vide Lactant. Quia quæ præterierunt nulla ratione possunt converti, aut revocari: Alia quæ futuri curam sortita est Lachesis dicitur: quoniam qui rerum naturalium est eventus, stabilis est. At Cloto præsentia perficit, illaque absolvit quæ sunt sui muneris. Parcæ autem, ut ait Varro, à *partu* dicuntur, non ut vulgus Grammaticorum somniat à *parcendo*, quia nemini parcunt per antiphrasim, quæ nusquam est. De Parcis hic versiculus circumfertur: *Cloto colum bajulat, Lachesis net, & Atropos occat.* Auson. infra vocat Parcas *tria Fata.*

℣. 8. *Secus muliebre.*) *Secus* pro *sexus* dixere antiqui. Quemadmodum, inquit, sunt fratres Ope geniti tres, ita tres fœminæ Deæ. De *secus*, pro *sexus* Charis. & Non.

℣. 9. *Trisulca Jovis fulmina.* Quia fulmen terebrat, scindit, & urit. vide Senec. *in quæstion. naturalibus, lib.* 2. *cap.* 39. & 40. vide Plin. & figuram fulminis *lib.* 2. siccum, humidum, clarum.

Cerberus assignatur Plutoni quemadmodum Jovi fulmen & Neptuno tridens, & Cerberus triceps est, quæ sunt tres necessitates edendi, bibendi, somni. unde homines ΒΡΟΤΟΙ dicuntur, vel dicitur triplex

Cer-

Cerberus, à triplici mortis genere, Naturali, Violento, & Fortuito. Quæ tria rursus quum sint innumera, locum dedere poëtis, ut plurima fingerent Cerbero capita, unde Horat. *lib.* 2. *Ode.* 13. *bellua centiceps.* Hesiod. *Theog.* Πεντήκοντα κεφαλων, nominat, id est, quinquaginta capitum.

℣. 10. *Tridens Neptuno*,) quia aqua labilis, nabilis, potabilis. Aut quia tres sunt aquæ naturæ. Nam flumineæ & fontanæ dulces sunt, maritimæ salsæ, & amaræ: lacuum vero, nec amaræ, nec gustui gratæ. Aut tridens significat tres magnos Mediterranei sinus.

Triplex Helenes.) Duplex ovum est in Fabulis: quod Læda peperit ex Jove in Cycnum verso: & ex uno Helenam, & Clytemnestram fabulantur esse natas, ex altero Castorem & Pollucem. Sed Auson. triplex ovum facit alios secutus authores: & ipse epigramma lusit, cujus titulus est de Castore, Polluce, & Helena sic:

Istos tergemino nasci quos cernis ab ovo
Patribus ambiguis & matribus assere natos
Hos genuit Nemesis: sed Læda puerpera fovit
Tindareus pater his & Jupiter. hic putat, hic scit.

11. *Ter nova Nestoreos.*) *Purpura*, id est, regnum, sive juventus: aut alludit ad vestem Parcarum: id est, Nestor vixit tres *geneas.* Est autem una genea triginta & duo anni. vide *Emblema* Alciati, ibi nos plura de *Genea.* vide Adag. *Cornicibus vivacior.* & *Nestorea senecta.* Idem autem est, ultra pensum vivere, &, ultra fusum.

17. *Ales Cynnameo.*) In Adag. *Cornicibus vivacior*: multa traduntur de ætatibus animal. quæ Plinius *lib.* 7. *cap.* 48. fabulosa putat. Aristotel. *lib.* 4. *de Gener. animal. cap. ultimo* sic ait: Homo enim plus temporis, quam quodvis animal vivit, excepto elephante. Itaque Hispan. proverb. propius vero accedens, ait: *Tres años un seto: tres setos un can:*

tres canes un cavallo: tres cavallos un hombre: tres hombres un elefante.

℣. 18. *Tergemina est Hecate.*) Hecate est Proserpina: sic dicta, quia *centum ululata per urbes.* Eadem est Diana, ideo triplex, quia in cœlo dicitur Luna, in terris Diana, in inferno Proserpina. Triformis item dicitur, quia triplici facie pingebatur, equi, apri, canis. Equus velocitatem motus ejus innuit: aper venationem & silvas, canis inferos.

19. *Tres Charites.*) Euphrosyne, Aglaia, Pitho, vide *Emblem.* Alci. & nostra *Schol.* 163.

Tria fata.) Omnia incipiunt à suo principio, & iter faciens per sibi attributum medium provenit in destinatum finem.

Triplex vox.) In cantilenis etiamsi quatuor, quinque vel sex voces reperiantur, proprie tamen sunt tres, alta, ima, media, ut triplex accentus, acutus, gravis, circunflexus.

Trina elementa.) Quatuor enumerabant antiqui, ignem, aërem, aquam, terram, sed Aristoteles ante hæc ipsa elementa docet esse tria, materiam, formam, & privationem: vide eundem Aristotelem 2. *de generat. cap.* 3. ex Platone, si autem velis referre ad instrumenta vulgaria, tria enumerant periti, ignis enim elementum nusquam est, sed ex aëre generatur, Valla *Dialect. lib.* 1.

20. *Tres in Trinacria Sirenes.*) Alii legunt Siredones, quod idem est, quasi *Seiras dones*, vide *Emblem.* Alc. & *Schol. nostra* 115. Trinacria dicta est Sicilia quod habeat tria promontoria, & sit triquetra.

Omnia trina.) Lege omina trina. Aut referendum est ad vocem (*ter*) qua plurimum utebantur in auspiciis, & quæ sæpe iteratur in Pharmaceutria Virgilii, Macrob. *Saturn.* Valer. Maxim. Cicer. 3. *de natur. Deorum*, aut ad tria omina quæ dicebantur, Sternutatio: Palpitatio: Tinnitus aurium. De Sternutatione multa diximus in *silvis Politiani*: Sternutanti respondebatur:

debatur: Ζεῦ Σωσον, id eſt, *Jupiter ſerva.* De palpitatione dixit Theocritus: Oculus mihi dexter ſalit. De tinnitu aurium vide Plin. *lib.* 28. *cap.* 2. Poteſt, & tolerari antiqua lectio.

Omnia trina.) referatur ad ſequentia de Sirenibus.

℣. 21. *Tres volucres, tres ſemideæ.*) Sirenes provocarunt Muſas ad certamen canendi: vide *Emblem. Alci.* 115. & *comm. noſtra.* Paul. *in Bætic.*

23. *Ore, manu, flatu.*) Auguſtin. *lib.* 2. *de Doctrin. Chriſt. cap.* 17. *Omnis ſonus triformis eſt: aut enim editur voce, ut eorum qui faucibus ſine inſtrumento canunt: aut flatu, ſicut tubarum & tibiarum: aut pulſu, ſicut in cytharis & tympanis.*

24. *Tres Sophiæ partes.*) Cicer. 1. *Academ. Fuit jam à Platone accepta philoſophandi ratio triplex: Una de vita & moribus: altera de natura & rebus occultis: tertia de diſſerendo, & quid verum, & quid falſum, quid rectum in oratione pravumque, quid conſentiens, quid repugnans judicando.* Macrob. D. Hieronym. Laert. in *proëmio.* Senec. *lib.* 14. *in principio.*

Tria Punica bella.) Primum bellum Punicum fuit, & ſecundum, & tertium. Livius & alii multi.

Trimeſtres, &c.) Martius, Aprilis, Maius, ver efficiunt. Junius, Jul. Aug. æſtatem. September, October, November, Autumnum. Decemb. Januar. Februar. Hiemem. Hæ diviſiones dicuntur quatuor anni horæ, ſive tempora: fiunt etiam hæ diviſiones per 12. ſigna ab ariete incipiendo.

25. *Noctiſque per umbram.*) Quatuor erant in caſtris vigiliæ, & unicuique vigiliæ tres ſatellites proponebantur excubitores, in quarta vero vigilia ſatelles ter buccina ſignum dabat. Propert.

Et jam quarta canit venturam buccina lucem.

Cum adventaret Aurora: *depenſo Marte*, non *deprenſo*, legendum, id eſt, examinato Marte, hoc eſt, exercitu Caſtrenſi. Qui legunt *deprenſo Marte* ad fabulam galli gallinacei convertuntur, qui ante ſatelles

fuit Martis: cum Mars in adulterio fuit deprehensus: vide Lucian. *in Gallo*. Plin. *de Gallo*. sed *depenso* melius.

℣. 28. *Et qui conceptus*.) Ut Hercules conciperetur tres deinceps junxit noctes Jupiter. Hercules porro duodecim certamina confecit, id est, quater terna, de quibus extat epigramma.

Prima Cleonei tolerata ærumna leonis, &c.

Vide *Emblem*. Alciat.

30. *Et Lyrici vates*.) Novem sunt Lyrici poetæ apud Græcos: totidem quot Musæ, Alcæus, Sapho, Stesichorus, Ibycus, Anacreon, Pindarus, Simonides, Bacchilides, Alcman. Polit. in *Nutriciis* late, &c.

31. *Mnemosynarum tres solas quondam*.) Mnemosyne hoc est, memoria, Jovi novem Musas peperit quæ in epigramm. continentur, *Clio gesta canit*, &c. sed aliter de Musis Auson. Nam ut in *Beoticis* tradit Pausan. Otus & Ephialtes Aloei filii Heliconem montem Musis consecrarunt. Hi numero Musas tres religione sanxerunt: nomina imposuerunt Meleten, Mnemen, & Aoeden, quasi dicas meditationem, memoriam & cantionem. Tempore multo post Pierum Macedonem ferunt à quo uni de Macedoniæ montibus nomen, quum Thespias venisset ut novem Musæ, hisce quibus nunc appellantur nominibus colerentur instituisse. Sunt qui Pierum ipsum filias novem habuisse dicant, easque de Musarum nominibus appellasse. Divus Augustinus *lib.* 2. *de Doctrina Christiana c.* 17. citat Varronem qui dicit in Sycione contigisse, ut tribus artificibus terna Musarum simulacra traderentur efformanda, ut singulum ex uno quoque eligeretur, ita ut tres Musæ in templo Apollinis ponerentur, contigit ut tres illi artifices ita terna quisque simulacra effingeret, ut nullum putarent Sycionii repellendum. Itaque novem Musæ quibus postea Hesiodus nomina indidit in templo Apollinis constitui decreverunt.

℣. 31. *Tenuit quas dextera Phœbi.*) Videmus sæpe in nummis Imperatores extenso brachio in palmis ferre victoriam, ad hunc fortasse modum Phœbus in palma Musas ferebat, qui Musagetes dicitur. Macrobius tres Charites hic dicit.

32. *Sed Cytheron.*) Ego ex historia legerem *Sycion*. Nam *Cytheron* cum diphtongo scribitur. Lilius Giraldus *Sycion*.

33. *Qui sex periisse timebant.*) Nil muto contra Joseph. Scalig. hoc sensu.

Si tres donassent Sycionii Apollini, sex reliquæ periissent omnino, ita novem sacrarunt. legitur sprevisse & præbuisse.

34. *Trina Tarentino.*) Lege *Terentino* & de ludis secularibus intellige, qui centesimo quoque anno per trinoctium celebrabantur. vide Val. Maxim. *lib.* 2. *c.* 1. de Valesio & Ludo. Viv. *lib.* 3. *cap.* 18. August. de *Civitate Dei* copiosissime.

35. *Trieterica.*) Quasi triennalia festa erant in honorem Bacchi, quæ tertio quoque anno nocte fiebant. *Bis genitus* Bacchus dicitur, quia prius fuit in utero Semeles, deinde in Jovis femore. Ovid.

36. *Tres primas Thracum pugnas.*) Lips. *lib.* 1. *Saturn. cap.* 8. sic. *Tres primas Threcum pugnas, tribus ordine bellis.* Festus, Suet. Dio. *in Commod.* Alii malunt *Phœacum*, sed non placent, quia Phoeaces cum diphtongo scribitur. Valer. Maxim. *lib.* 2. *cap.* 4. Gladiatores funebria prælia notum decertasse foro, Auson. *pag.* 200. Gladiatorum munus primum Romæ datum est in foro Boario Apio Claud. & M. Fulvio Coss. dederunt M. & D. Junii Bruti, quorum meminit Liv. *Dec.* 4. *lib.* 4. D. Junius Brutus funebri memoria patris cineribus honorandus munus gladiatorium in honorem defuncti patris edidit primus, Liv. 16. Hos vocat Ausonius *Juniadas*, id est, Junii filios. *Tres pugnas Thracum*, quòd ut ait Dionys. Halicarn. in fine, 7. *lib.* Post equorum cursum Athletæ

inducebantur, Curſores, Luctatores, Pugiles. Hæc enim tria certaminum genera apud priſcos erant, vel potius reorum, quia gladiatorum genera tria: retiarii, & ſecutores vel Mirmillones, ſeu Hoplomachi: & Thraces. horum magiſtri & inſtitutores Laniſtæ inquit Budæus *in Pandect. fol.* 85.

℣. 36. *Tribus ſellis ordine.*) *Sellæ curuli*, inquit Feſtus, *locus in Circo: item proximo lictori, poſterioribuſque lictoribus proxime Sacellum fuit Murciæ, de quo loco deſpiciebant ſpectacula magiſtratus.*

38. *Ille etiam thalamos.*) Leg. *illa*, ſcilicet, Sphinx quæ triplex ænigma proponebat. vide *Commen.* noſtra in *Emblem.* Suid. Diod. Higin. Tzetzes *in Caſſand.* qui variant.

42. *Trina in Tarpeio.*) Diony. Halicarn. *lib.* 4. de Tarpeia rupe. *Tres*, inquit, *ædes pares communibus continentur lateribus. Media Jovis. Hinc, & inde Junonis & Minervæ ſub eodem tecto & pinnaculo Tarquinius voverat*, &c. vide Turn. in Varron. *pag.* 76. Livi. 1. & 2.

43. *Humana efficiunt habitacula.*) In conſtruenda domo tria genera adhibemus artificum. *Canteros, Carpinteros, Albañiles.* parietibus, is eſt Latomus: culminibus, is eſt carpentarius; faber lignarius, qui fucat; is eſt tector, qui tectorio, albariove opere domum exornat.

46. *Hinc Bromii quadrantal.*) Amphora, ſive quadrantal *es una arroba y media y poco mas*, quod pedis eſſet quadrati in modum Cubi. Budæus.

Sycana Medimna.) Capit modios Romanos ſex, Budæus, in plurali ponitur, nam medimnos & medimnum.

47. *Hoc tribus*,) quia quadrantal, id eſt, amphora habet urnas duas, modios tres, ſemodios ſex, congios octo, & *Hoc geminis tribus.* Medimnum ſenos modios capiebat, ac proinde bina quadrantalia.

48. *In phyſicis, &c.*) Θεός, Ὕλη, Ἰδέα. Plutarch. *de placitis.*

℣. 50.

℣. 50. *Per trinas species.*) TRIGONOS sic Trigonorum regula, id est, trigonon linea, trianguli omnes triplici vocantur nomine qui sunt omnibus lineis æquales; isopleuri, vel æquilateri dicuntur, qui duobus tantum lateribus æquales, Isoscheli vel æquicruri, qui ex omnibus lateribus inæquales scaleni: item qui unum rectum angulum habent orthogonii, aut rectanguli: qui unum angulum obtusum ambligonii, qui omnes angulos acutos oxigonii.

52. *Tres coit in partes numerus perfectus.*) Commendat numerum ternarium in pluribus: primo quòd perfectus numerus ter possit coire in ter tria, id est, novem, & idem novem possit dissolvi inter tria. Secundo, quod TRIAS habeat numerum parem & imparem. Constat enim ex monade & dyade, habetque principium, medium & finem. Nam centrum suum æqualibus spaciis ad principium & finem componit. Tertio laudat ternarium dupliciter: primum in numeris imparibus quòd centrum ejus, seu medium, hoc est, unitas potest dividere quinarium & septennarium, & hi numeri in articulis primi dicuntur, quia ex seipsis nascuntur & à nullo possunt dividi nisi ab unitate. Deinde positus in toto numero, id est, decennario medius & quasi centrum distinguit solidos trientes, idque facit pereunte cubo, id est, novenario. trientes vocat latera novenarii, quæ quatuor habent puncta. Æquipares enim dividit partes, id est, tria puncta in ternos numeros, & idem omphalos, id est, umbilicus est triplex, medium, in quatuor, & in sex, & in octo, si secernatur relinquit numeros perfectos. Unde numerus perfectus, ut ait Jordonius *elementorum lib.* 8. triangularis est, sive trinus: per unitates enim in ordinem resolutas trianguli figuram imitatur. Rectè igitur à triangulis linearibus ad triangulum numerum. Tum numerus perfectus est senarius, cujus partes sunt 1. 2. 3. quæ simul illectæ senarium perficiunt.

Sed libet epistolam Franc. de Mello Lusitani huc addere quam inter schedas meas servaram.

„ *Franciscus de Mello Joannæ Vaz. S.* Serius, „ quam optaveras, literas ad te mitto, Virgo eru- „ ditissima, ut cum magno fœnore meam apud te „ negligentiam, ne dicam culpam excusem. Addidi „ etenim huic muneri, ut tibi gratiora essent quæ „ olim in duodecim versus illos Ausonii ex Grypho „ decerptos, non sine longo ingentique labore Lute- „ tiæ Parisiorum annotaveram, & interpretamenti vi- „ ce scripseram, pauca quidem, sed quæ omnem hu- „ jus tam abditi loci difficultatem satis explicare pos- „ sint, & inexplicabiles Mæandros solvere. Cum enim „ in manus meas libellus quidam Francisci Sylvii „ grammatici ignobilis venisset, quem in Ausonii Gry- „ phum ediderat, cæpi hominis ridere imprudentiam, „ nimiumque temerarios conatus convellere. Nam „ quis ferat homuncionem qui vix urticam norit, cu- „ pressum exprimere voluisse. Cum enim multa sint „ in Ausonio quæ doctissimum interpretem deside- „ rent: hic tamen unus Gryphus difficultatem om- „ nem superat, &c. Post pauca subdit: *Deinde* se „ confert ad numerum perfectum à triangulis linea- „ ribus inquiens: *Tres coit in partes numerus per- „ fectus*: Numerum perfectum vocant Mathematici „ eum qui suis partibus numero collectis æqualis est: „ Et numerum minorem vocamus, qui aliquoties re- „ peritur in majore: sive qui per aliquem numerum „ multiplicatus majorem constituit. Primus autem „ perfectus est Senarius, cujus partes sunt, 1. 2. 3. qui „ simul collecti Senarium neque minorem, neque ma- „ jorem constituunt. Omnis autem numerus perfectus „ (ut ait *Jordanus lib.* 8. *element.*) triangularis est, sive „ trinus: ipse enim per unitates in ordinem resolutas „ trianguli figuram imitatur: cæt. “

℣. 61. *Jus triplex.*) Duodecim tabulæ, quæ ex ternionibus quatuor constant, triplex jus sanxerunt: Jus

Jus sacrum, Jus privatum, Jus commune. Alii aliter dividunt, vide Aggell.

℣. 63. *Interdictorum.*) Interdictum *Unde vi*: Interdictum *Utrobi:* Interdictum *Quorum bonorum.* Vide in *Digest. lib.* I. *de vi, & vi armata*: & *Utrobi:* & *Quorum bonorum.*

65. *Triplex libertas.*) Cives Romani: Latini: Junianii: Dedititii. Cives Rom. qui Vindicta: Censu: aut Testamento, nullo jure impediente manumissi sunt. Cicer. *in Top. Si neque censu, neque vindicta, neque testamento.* cæt. De triplici libertate, vide Ulpian. *lib.* I. *Instit.*

Capitis minutio triplex.) Maxima: Media: Minima: Vide in D. *de capitis diminutione.*

66. *Trinum dicendi genus.*) Aggell. *lib.*7. *cap.* 14. Virgilius hæc tria dicendi genera mire fuit executus, vide nostra *Scholia in Artem poët. Horatii.*

67. *Triplex quoque forma medendi, Quæ logos.*) Puto legendum, *Cui logos.* Medici dicuntur aut Logici, aut Dogmatici, aut Empirici. vide Cœlium Rhodig. *lib.*29. *c.*19. Cornelius Celsus in primo prologo paulo aliter, sic: *Iisdemque temporibus in tres partes medicina diducta est, ut una esset quæ victu; altera, quæ medicamentis; tertia, quæ manu mederetur.* Primam Διαιτητικὴν: secundam φαρμακευτικὴν: tertiam Χειρουργικὴν nominaverunt.

70. *Tres Oratorum cultus.*) vide Aggell. *lib.*7. *c.*14. Macrob. *lib.* I. *Saturn. cap.* 5. Melius Cicer. 2. de *Orat.* Ex illo loco: *Tria sunt genera dicendi.* Quintilianus tria constituit, Subtile, Grande, Medium. quem vide *lib.* 12. *cap.* 10.

74. *Orpheus hinc tripodes.*) Alii, *Orpheus in tripodes.* lege, *Orpheos hinc tripodes.* Nam Terra, Aqua, Flamma sunt tripus Orphei.

75. *Triplex sideribus positus.*) Nam alia in Zodiaco sita sunt, alia citra, alia ultra Zodiacum. *Distantia*: Longitudo, Latitudo, Declinatio. *Forma:* Alii globosas

bosas dixerunt stellas, alii Conoides, alii Clavos velut infixos.

ỳ.76. *Musica triplex.*) Genus Enarmonicum, Chromaticum, Diatonicum. vide Macrob. & Vitruvium *lib.* 5. *c.* 4. Alii sic: Musica aut est Harmonica, aut Rhythmica, aut Crusmatica: Boethius dividit in Humanam, Mundanam, & eam quæ in quibusdam instrumentis consistit. *Toni.* Doricus, Phrygius, Lydius. Plin. *lib.*2. *cap.*22.

79. *Hoc numero Tribus.*) Romulus primo tres tantum Tribus designavit, Rhamnenses, Tatienses, Luceres. Livius *lib.*1. *Tribuni.* Romulus ex singulis Tribubus singula millia militum elegit, vocavitque Legionem tria militum millia, & duces millenorum vocarunt Tribunos. *Tres equitum turmæ.* Idem Romulus ex singulis Tribubus singulas equitum turmas conscripsit. unde Virgil. *Æneid.* 5.

Tres equitum numero turmæ, ternique vagantur Ductores. Postea vero creverunt & Tribus usque ad XXXVI. & Tribuni tum militares, tum plebei, & etiam Turmæ.

80. *Tria nomina nobiliorum.*) Nomen Rom. tres habet partes. ut M. T. Cicero. Prænomen, Nomen, Cognomen. Longa de his disputatio apud Karolum Sigonium. Adag. *Tam quam habeas tria nomina.*

81. *Nomina sunt chordis tria.*) Hypate, Mese, Nete. *Tria nomina mensis.*) Kalendæ, Nonæ, Idus.

82. *De Gerione, Chimæra, Scylla, & Harpyis,* late diximus in *Scholiis* ad Alciati *Emblem. Gorgones* tres fuerunt sorores Euryale, Steno, Medusa. Vide Ovid. 4. *Metam.* Vide Adag. Γοργόνα βλέπειν: Furiæ, quas Ερινύας Græci vocant, tres sunt Acherontis filiæ, Alecto, Mœgera, Tisiphone.

AULI

AULI PERSII FLACCI,

SATYRÆ SEX,

CUM ECPHRASI, ET SCHOLIIS

FRANCISCI SANCTII BROCENSIS,

In Inclyta Salmanticensi Academia primarii Rhetorices, & Latinæ Græcæque Linguæ Doctoris.

Juxta Exemplar Salmanticense anni 1599.

GENEVÆ MDCCLXV.

LICEN-

LICENCIA.

EL Licenciado Hieronimo Gonçalez Moriz, Provisor y Vicario general en todo el obispado de Salamanca, por el Señor Don Pedro Iunco de Posada, Obispo del dicho obispado, del Consejo de su Magestad, por la presente damos licencia a Diego Cussio impresor de libros, vezino desta ciudad, para que guardando las prematicas del Reyno, pueda imprimir esse libro intitulado Persio, con annotaciones del Maestro Francisco Sanchez Brocense, Cathedratico de Prima de Rhetorica y Griego. Fecha en Salamanca a cuatro dias del mes de Junio de 1599. años.

Luys Perez de Ulloa.

El Licenciado Hieronimo Gonzalez Moriz.

FRAN-

FRANCISCUS SANCTIUS BROCENSIS,

D. JOANNI DE SALAS, ET VALDES. S. P. D.

QUanti te faciam, Salas clarissime, quantumque tibi sim obæratus, cuivis facile perspicuum erit si modo pensitet, me hominem annos septem & septuaginta natum cogi posse, ut denuo repuerascerem, & ad ea, quæ juvenem ætatem magis deceant, pertractanda descendere. Sed quid non a me impetret tua singularis humanitas, egregia virtus, assiduus in literis labor, cum egregii generis claritate ita connexus ut uterque ab utroque nequeat separari? Petiisti clariorem Persii satyris lucem dari. Multa tunc cœpi causari, quæ me in judicio vel apud iniquum judicem absolverent: ætatem longam: sex, aut septem quotidianas prælectiones, & numerosæ familiæ sustendandæ sollicitudinem. Tu vero qui splendidiorem de me opinionem conceperis, quam quæ hujusmodi arietibus possit labefactari: cœpisti magis magisque instare, ut hunc laborem tui gratia non exhorrescerem. Noli obsecro, mi Joannes, laborem appellare, qui tui gratia suscipitur. Nam ego inter beneficia connumero, si libenti animo quod libens offero suscepisti. Sic enim tuus admonet Seneca: *Beneficium dando accepit, qui digno dedit.* Vale.

AULI

AULI PERSII VITA.

AUlus Persius Flaccus, ut autor est Eusebius, Volaterris Hetruriæ civitate natus est, quod & ipse videtur innuere, cum ait satyra sexta:

Mihi nunc Ligus ora
Intepet, hybernatque meum mare, quà latus ingens
Dant scopuli, & multa littus se valle receptat,
Lunai, &c. *Describit enim portum Lunæ, quod oppidum est in Hetruria, quò secesserat: & mare suum vocat, nimirum se Hetruscum significans. Natus est, ut quidam volunt, sub Tiberio principe, ejus imperii anno* XXI. *mortuus Neronis nono, cum ageret tricesimum ætatis suæ annum. Romam litterarum causa profectus, sumpta virili toga, Cornuto Philosopho dedit operam, quem præcipue observabat, ut ipse testatur Satyra quinta.*

Cum primum pavido custos mihi purpura cessit
Bullaque succinctis laribus donata pependit,
Me tibi suppofui, teneros tu suscipis annos
Socratico Cornute sinu.

Amicos in primis coluit Minutium Macrinum equestris ordinis principem, & Cæsium Bassum poëtam Lyricum. Præter has satyras, nihil scripsisse testatur Quintilianus lib. 10. *de satyra loquens, in hanc sententiam*: Multum & veræ gloriæ quamvis uno libro Persius meruit.

Et Martialis:

Sæpius in libro memoratur Persius uno,
Quam levis in tota Marsus Amazonide.

AULI



AULI PERSII FLACCI, POETÆ VOLATERRANI, SATYRARUM LIBER UNICUS.

SATYRA PRIMA.



EC fonte labra prolui caballino,
Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, ut repente sic poëta prodirem.
Heliconidasque, pallidamque Pyrenen
Illis relinquo, quorum imagines lambunt
Hederæ sequaces: ipse semipaganus
Ad sacra vatum carmen affero nostrum.
Quis expedivit Psittaco suum ΧΑΙΡΕ,
Picasque docuit nostra verba conari?
Magister artis, ingenique largitor
Venter, negatas artifex sequi voces.
Quòd si dolosi spes refulserit nummi,
Corvos poëtas, & poetrias picas
Cantare credas Pegaseium melos.
O curas hominum! ò quantum est in rebus inane!
Quis leget hæc? min' tu istud ais? nemo Hercule: nemo.
Vel duo, vel nemo, turpe & miserabile: quare,
Ne mihi Polydamas, & Troiades Labeonem
Prætulerint: nugæ, non si quid turbida Roma
Elevet, accedas: examenve improbum in illa
Castiges trutina: nec te quæsiveris extra.
Nam Romæ quis non? ah si fas dicere, sed fas,
Tunc, cum ad canitiem, & nostrum istud vivere triste

Aspexi, & nucibus facimus quæcumque relictis,
Cum sapimus patruos, tunc, tunc, ignoscite: nolo.
Quid faciam? sed sum petulanti splene cachinno.
Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber
Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet.
Scilicet hæc populo, pexusque, togaque recenti,
Et natalitia tandem cum sardonyche albus,
Sede leget celsa, liquido cum plasmate guttur
Mobile colluerit, patranti fractus ocello:
Hic neque more probo videas, neque voce serena
Ingentes trepidare Titos, cum carmina lumbum
Intrant, & tremulo scalpuntur ubi intima versu.
Tun' vetule auriculis alienis colligis escas?
Auriculis, quibus & dicas cute perditus, ohe,
Quid didicisse, nisi hoc fermentum, & quæ semel intus
Innata est, rupto jecore exierit caprificus?
En pallor seniumque! o mores, usque adeone
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?
At pulcrum est, digito monstrari & dicier, hic est.
Ten' cirratorum centum dictata fuisse
Pro nihilo pendas? Ecce inter pocula quærunt
Romulidæ saturi, quid dia poëmata narrent.
Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthina læna est,
Rancidulum quiddam balba de nare locutus
Phyllidas, Hypsipylas, vatum & plorabile si quid
Eliquat, & tenero supplantat verba palato.
Assensere viri: nunc non cinis ille poëtæ
Felix? nunc levior cippus non imprimit ossa?
Laudant convivæ, nunc non è manibus illis,
Nunc non è tumulo fortunataque favilla,
Nascentur violæ? rides, ait, & nimis uncis
Naribus indulges? an erit qui velle recuset
Os populi meruisse, & cedro digna locutus
Linquere, nec scombros metuentia carmina, nec tus?
Quisquis es: o modo quem ex adverso dicere feci,
Non ego, cum scribo, si forte quid aptius exit,
(Quando hæc rara avis est) si quid tamen aptius exit,
Lau-

Laudari metuam, neque enim mihi cornea fibra est,
Sed recti finemque extremumque esse recuso
Euge tuum, & belle: nam belle hoc excute totum,
Quid non intus habet? non hic est Ilias Acci
Ebria veratro, non si qua elegidia crudi
Dictarunt proceres, non quicquid denique lectis
Scribitur in citreis: calidum scis ponere sumen,
Scis comitem horridulum trita donare lacerna.
Et verum, inquis, amo, verum mihi dicito de me.
Qui pote? vis dicam? nugaris, cum tibi calve
Pinguis aqualiculus propenso, sesquipede extet.
O Jane, à tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitata est mobilis albas;
Nec linguæ, quantum sitiat canis Appula, tantum.
Vos ò patricius sanguis, quos vivere fas est
Occipiti cæco, posticæ occurrite sannæ.
Quis populi sermo est? quis enim, nisi carmina molli
Nunc demum numero fluere, ut per leve severos
Effundat junctura ungues? scit tendere versum
Non secus, ac si oculo rubricam dirigat uno.
Sive opus in mores, in luxum & prandia regum
Dicere, res grandes nostro dat musa poëtæ.
Ecce modo heroas sensus afferre docemus
Nugari solitos Græcæ, nec ponere lucum
Artifices, nec rus saturum laudare: ubi corbes,
Et focus, & porci, & fumosa palilia fœno,
Unde Rhemus, sulcoque terens dentalia, Quinti,
Cum trepida ante boves dictatorem induit uxor,
Et tua aratra domum lictor tulit. Euge poëta!
Est nunc Brysei quem venosus liber Acci,
Sunt quos Pacuviusque, & verrucosa moretur
Antiopa, ærumnis cor luctificabile fulta.
Hos pueris monitus patres infundere lippos
Cum videas, quærisne, unde hæc sartago loquendi
Venerit in linguas? unde istud dedecus, in quo
Trossulus exultat tibi per subsellia levis?
Nilne pudet capiti non posse pericula cano

Pellere? quin tepidum hoc optes audire? decenter?
Fur es, ait Pedio, Pedius quid? crimina rasis
Librat in antithetis, doctas posuisse figuras
Laudatur: bellum hoc? hoc bellum? an, Romule cenes?
Men' moveat quippe, & cantet si naufragus, assem
Protulerim? cantas, cum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes? verum, nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incurvasse querela.
Sed numeris decor est, & junctura abdita crudis.
Claudere sic versum didicit, Berecynthius Atys,
Et qui cæruleum dirimebat Nerea delphin,
Sic costam longo subduximus Appennino.
Arma virum, *nonne hoc spumosum, & cortice pingui,*
Ut ramale vetus vegrandi subere coctum?
Quidnam igitur tenerum, & laxa cervice legendum?
Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris, & lyncem Mænas flexura corymbis
Evion ingeminat, reparabilis adsonat Echo.
Hæc fierent, si testiculi vena ulla paterni
Viveret in nobis? summa delumbe saliva
Hoc natat in labris, & in udo est Mænas, & Atys?
Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit ungues.
Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? vide sis, ne majorum tibi forte
Limina frigescant, sonat hic de nare canina
Littera: per me equidem sint omnia protinus alba,
Nil moror. Euge! omnes, omnes bene miræ eritis res.
Hoc juvat, hic, inquis, veto quisquam faxit oletum.
Pinge duos angues, pueri, sacer est locus, extra
Meiite, discedo: secuit Lucilius urbem,
Te Lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis:
Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admissus circum præcordia, ludit,
Callidus excusso populum suspendere naso.
Men' mutire nefas nec clam, nec cum scrobe? nusquam?
Hic tamen infodiam, vidi, vidi ipse, libelle,

Auri-

Auriculas asini quis non habet? hoc ego opertum:
Hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo
Iliade, audaci quicunque afflate Cratino,
Iratum Eupolidem prægrandi cum sene palles:
Aspice & hæc, si forte aliquid decoctius audis.
Inde vaporata lector mihi ferveat aure,
Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit,
Sordidus, & lusco qui poscit dicere, lusce,
Sese aliquem credens; Italo quod honore supinus
Fregerit heminas Areti ædilis iniquas,
Nec qui abaco numeros, & secto in pulvere metas
Scit risisse vafer, multum gaudere paratus
Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat.
His mane edictum, post prandia Callirhoen do.

SATYRA II.

HUnc, Macrine, diem numera meliore lapillo
Qui tibi labentes apponit candidus annos.
Funde merum Genio, non tu prece poscis emaci
Quæ nisi seductis nequeas committere divis.
At bona pars procerum tacita libabit acerra.
Haud cuivis promtum est, murmurque humilesque susurros
Tollere de templis, & aperto vivere voto.
Mens bona, fáma, fides, hæc clare, & ut audiat hospes,
Illa sibi introrsum, & sub lingua immurmurat, ò si
Ebullat patri præclarum funus, &, o si
Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro
Hercule: pupillumve utinam, quem proximus hæres
Impello, expungam, namque est scabiosus, & acri
Bile tumet. Nerio jam tertia conditur uxor
Hæc sanctè, ut poscas, Tyberino in flumine mergis
Manè caput bis, terque, & noctem gurgite purgas.
Heus age, responde (minimum est, quod scire laboro)
De Jove quid sentis? estne, ut præponere cures
Hunc cuiquam? cuinam? vis Staio? an scilicet hæres?
Quis potior judex puerisve quis aptior orbis?

Hoc igitur, quo tu Jovis aurem impellere tentas
Dic agendum Staio, proh Jupiter! o bene clamet
Jupiter! at sese clamet non Jupiter ipse?
Ignovisse putas: quia cum tonat, ocyus ilex
Sulphure discutitur sacro quam tuque, domusque?
An quia non fibris ovium, Ergennaque jubente
Triste jaces lucis, evitandumque bidental,
Idcirco stolidam præbet tibi vellere barbam
Jupiter? aut quidnam est, qua tu mercede Deorum
Emeris auriculas? pulmone, & lactibus unctis?
Ecce avia, aut metuens divum matertera, cunis
Exemit puerum, frontemque, atque uda labella
Infami digito, & lustralibus ante salivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.
Tunc manibus quatit, & spem macram supplice voto
Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in ædes.
Hunc optent generum rex, & regina, puellæ
Hunc rapiant, quicquid calcaverit hic, rosa fiat.
Ast ego nutrici non mando vota, negato
Jupiter hæc illi, quamvis te albata rogarit.
Poscis opem nervis, corpusque fidele senectæ:
Esto, age; sed grandes patinæ, tucetaque crassa
Adnuere his superos vetuere, Jovemque morantur.
Rem struere exoptas cæso bove, Mercuriumque
Arcessis fibra, da fortunare penates,
Da pecus, & gregibus fœtum. Quo, pessime pacto,
Tot tibi cum in flamma junicum omenta liquescant?
Attamen hic extis, & opimo vincere farto
Intendit: jam crescit ager, jam crescit ovile,
Jam dabitur, jam jam, donec deceptus, & exspes
Nequaquam fundo suspiret nummus in imo.
Si tibi crateras argenti, incusaque pingui
Auro dona feram sudes, & pectore lævo
Excutias guttas, lætari prætrepidum cor.
Hinc illud subiit, auro sacras quod ovato
Perducis facies: nam fratres inter ahenos,
Somnia pituita, qui purgatissima mittunt,

Præ-

Præcipui sunto, sitque illis aurea barba.
Aurum vasa Numæ, Saturniaque impulit æra
Vestalesque urnas, & tuscum fictile mutat.
O curvæ in terris animæ, & cælestium inanes!
Quid juvat hoc templis nostros immittere mores?
Et bona diis ex hac scelerata ducere pulpa?
Hæc sibi corrupto casiam dissolvit olivo
Hæc Calabrum coxit vitiato murice vellus,
Hæc baccam conchæ rasisse, & stringere venas
Ferventis massæ crudo de pulvere jussit.
Peccat & hæc, peccat, vitio tamen utitur: at vos
Dicite, pontifices, in sacro quid facit aurum?
Nempe hoc, quod Veneri donatæ à virgine puppæ.
Quin damus id superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messalæ lippa propago,
Compositum jus, fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.
Hoc cedo, ut admoveam templis, & farre litabo.

SATYRA III.

Nempe hoc assidue! jam clarum manè fenestras
Intrat, & angustas extendit lumine rimas.
Stertimus, indomitum quod despumare falernum
Sufficiat, quinta dum linea tangitur umbra.
En quid agis? siccas insana canicula messes
Jandudum coquit, & patula pecus omne sub ulmo est:
Unus ait comitum, verumne? itane? ocyus adsit
Huc aliquis: nemon?? turgescit vitrea bilis,
Findor, ut Arcadiæ pecuaria rudere dicas.
Jam liber, & bicolor positis membrana capillis,
Inque manus chartæ, nodosaque venit arundo,
Tum queritur, crassus calamo quod pendeat humor,
Nigra quod infusa vanescat sepia lympha,
Dilutas queritur, geminet quod fistula guttas,
O miser! inque dies ultra miser, huccine rerum
Venimus? at cur non potius teneroque columbo

Et ſimilis regum pueris, pappare minutum
Poſcis, & iratus mammæ lallare recuſas?
An tali ſtudeam calamo? cui verba? quid iſtas
Succinis ambages? tibi luditur, effluis amens.
Contemnere: ſonat vitium percuſſa, malignè
Reſpondet viridi non cocta fidelia limo.
Udum, & molle lutum es, nunc, nunc properandus, & acri
Fingendus ſine fine rota, ſed rure paterno
Eſt tibi far modicum, purum, & ſine labe ſalinum.
Quid metuas? cultrixque foci ſecura patella.
Hoc ſatis? an deceat pulmonem rumpere ventis,
Stemmate quod Thuſco ramum milleſime ducis,
Cenſoremve tuum vel quod trabeate ſalutas?
Ad populum phaleras: ego te intus, & incute novi.
Non pudet ad morem diſcincti vivere Nattæ?
Sed ſtupet hic vitio, & fibris increvit opimum
Pingue, caret culpa, neſcit quid perdat, & alto
Demerſus, ſumma rurſus non bullit in unda.
Magne pater divûm, ſævos punire tyrannos
Haud alia ratione velis, cum dira libido
Moverit ingenium, ferventi tincta veneno,
Virtutem videant, intabeſcantque relicta.
An ne magis Siculi gemuerunt æra juvenci,
Et magis auratis pendens laquearibus enſis,
Purpureas ſubter cervices terruit? imus,
Imus præcipites, quam ſi ſibi dicat, & intus
Palleat infelix, quod proxima neſciat uxor?
Sæpe oculos memini, tangebam parvus olivo
Grandia ſi nollem morituri verba Catonis
Diſcere, ab inſano multum laudanda magiſtro,
Quæ pater adductis ſudans audiret amicis.
Jure etenim id ſummum, quid dexter ſenio ferret,
Scire erat in voto, damnoſa canicula quantum
Raderet, anguſtæ collo non fallier orcæ,
Neu quis callidior buxum torquere flagello.
Haud tibi inexpertum eſt curvos deprendere mores,

Quæ

Quæque docet sapiens bracatis illita Medis
Porticus, insomnis quibus indetonsa juventus
Invigilat siliquis, & grandi pasta polenta.
Et tibi quæ Samios diduxit littera ramos,
Surgentem dextro monstravit limite callem.
Stertis adhuc? laxumque caput compage soluta
Oscitat hesternum dissutis undique malis?
Est aliquid quo tendis, & in quod dirigis arcum?
An passim sequeris corvos, testaque, lutoque
Securus quo pes ferat, atque ex tempore vivis?
Helleborum frustra, cum jam cutis ægra tumebit,
Poscentes videas, venienti occurrite morbo.
Et quid opus Cratero magnos promittere montes?
Discite que ô miseri, & causas cognoscite rerum
Quid sumus, aut quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metæ quam mollis flexus, & unde
Quis modus argento, quid fas optare, quid asper
Utile nummus habet, patriæ, charisque propinquis
Quantum elargiri deceat, quem te Deus esse
Jussit, & humanæ qua parte locatus es in re.
Disce, neque invideas quod multa fidelia putet
In locuplete penu defensis pinguibus umbris,
Et piper: & pernæ Marsi monumenta clientis,
Mænaque, quod prima nondum defecerit orca.
Hic aliquis de gente hircosa centurionum
Dicat, quod satis est, sapio mihi, non ego curo
Esse quod Arcesilas, ærumnosique Solones
Obstipo capite, & figentes lumine terram,
Murmura cum secum, & rabiosa silentia rodunt
Atque exporrecto trutinantur verba labello,
Ægroti veteris meditantes somnia, gigni
De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.
Hoc est quod palles? cur quis non prandeat, hoc est.
Hos populus ridet, multumque torosa juventus
Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.
Inspice, nescio quid trepidat mihi pectus, & ægris
Faucibus exuberat gravis halitus, inspice sodes,

Qui dicit medico jussus requiescere, postquam
Tertia compositas vidit nox currere venas,
De majore domo modice sitiente lagæna
Lenia loturo sibi surrentina, rogavit.
Heus bone, tu palles, nihil est, videas tamen istud
Quicquid id est: surgit tacite tibi lutea pellis.
At tu deterius palles, ne sis mihi tutor
Jampridem hunc sepeli, tu restas, perge, tacebo.
Turgidus hic epulis, atque albo ventre lavatur,
Gutture sulphureas lente exhalante Mephites.
Sed tremor inter vina subit, calidumque triental
Excutit è manibus, dentes crepuere retecti.
Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.
Hinc tuba, candelæ, tandemque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit, at illum
Hesterni capite induto subiere Quirites.
Tange, miser, venas, & pone in pectore dextram.
Nil calet hic, summosque pedes attinge, manusque,
Non frigent: visa est si fortè pecunia, sive
Candida vicini subrisit molle puella,
Cor tibi rite salit, positum est algente catino
Durum olus, & populi cribro decussa farina,
Tentemus fauces, tenero latet ulcus in ore
Putre, quod haud deceat plebeia radere beta.
Alges cum excussit membris tremor albus aristas:
Nunc face supposita fervescit sanguis, & ira,
Scintillant oculi: dicisque, facisque, quod ipse
Non sani esse hominis, non sanus juret Orestes.

SATYRA IV.

REm populi tractas? (barbatum hoc crede magistrum
Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutæ.)
Quo fretus? dic hoc magni pupille Pericli.
Scilicet ingenium, & rerum prudentia velox

Ante

Ante pilos venit: dicenda, tacendaque calles.
Ergo ubi commota fervet plebecula bile,
Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ
Majestate manus: quid deinde loquere? Quirites
Hoc puto non justum est, illud male, rectius istud.
Scis etenim justum gemina suspendere lance
Ancipitis libræ: rectum discernis, ubi inter
Curva subit, vel cum fallit pede regula varo:
Et potis es nigrum vitio præfigere theta.
Quin tu igitur summa nequicquam pelle decorus
Ante diem blando caudam jactare popello
Desinis? Anticyras melior sorbere meracas?
Quæ tibi summa boni est, uncta vixisse patella
Semper, & assiduo curata cuticula sole.
Expecta, haud aliud respondeat hæc anus: I nunc
Dinomaches ego sum: suffla: sum candidus: esto,
Dum ne deterius sapiat pannucia Baucis,
Cum bene discincto cantaverit ocyma vernæ.
Ut nemo in sese tentat descendere, nemo,
Sed præcedenti spectatur mantica tergo,
Quæsieris: nostin' Vectidi prædia, cujus,
Dives arat Curibus, quantum non milvus oberret.
Hunc ais, hunc, Diis iratis, genioque sinistro,
Qui quandoque jugum pertusa ad compita figit:
Seriolæ veteris metuens deradere limum
Ingemit, hoc bene sit: tunicatum cum sale mordens
Cæpe, & farratam pueris plaudentibus ollam,
Pannosam fæcem morientis sorbet aceti.
At si unctus cesset, & figas in cute solem,
Est prope te ignotus cubito qui tangat, & acre
Despuat in mores penemque, arcanaque lumbi
Runcantem, populo marcentes pandere vulvas.
Tu cum maxillis balanatum gausape pectas
Inguinibus quare detonsus gurgulio extat,
Quinque palæstritæ licet hæc plantaria vellant
Elixasque nates labefactent forcipe adunca:
Non tamen ista filix ullo mansuescit aratro.

Ca-

Cædimus, inque vicem præbemus crura sagittis.
Vivitur hoc pacto, sic novimus: ilia subter
Cæcum vulnus habes, sed lato baltheus auro
Protegit, ut mavis, da verba, & decipe nervos
Si potes, egregium cum me vicinia dicat
Non credam? viso si palles, improbe, nummo,
Si facis in penem quicquid tibi venit amarum,
Si puteal multa cautus vibice flagellas,
Ne quicquam populo bibulas donaveris aures.
Respue quod non es: *tollat sua munera cerdo:*
Tecum habita, & noris quam sit tibi curta supellex.

SATYRA V.

VAtibus hic mos est, centum sibi poscere voces,
Centum ora & linguas optare in carmina centum:
Fabula seu mœsto ponatur hianda Tragœdo
Vulnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum.
Quorsum hæc, aut quantas robusti carminis offas
Ingeris, ut par sit centeno gutture niti,
Grande locuturi nebulas Helicone legunto,
Si quibus aut Prognes, aut si quibus olla Thyestæ
Fervebit, sæpe insulso cœnanda Glyconi.
Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos, nec clauso murmure raucus
Nescio quid tecum grave cornicaris inepte,
Nec scloppo tumidas intendis rumpere buccas.
Verba togæ sequeris, junctura callidus acri
Ore teres modico, pallentes radere mores,
Doctus, & ingenuo culpam defigere ludo.
Hinc trahe, quæ dicas, mensamque relinque Mycenis
Cum capite, & pedibus, plebeiaque plandia noris.
Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis
Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo.
Secreti loquimur, tibi nunc hortante Camœna
Excutienda damus præcordia, quantaque nostræ
Pars tua sit, Cornute, animæ, tibi dulcis amice

Osten-

Ostendisse juvat: pulsa, dignoscere cautus
Quid solidum crepat, & pictæ tectoria linguæ.
Hic ego centenas ausim deposcere voces,
Ut quantum mihi te sinuoso in pectore fixi,
Voce traham pura, totumque hoc verba resignent,
Quod latet arcana non enarrabile fibra.
Cum primum pavido custos mihi purpura cessit,
Bullaque succinctis laribus donata pependit,
Cum blandi comites, totaque impune Suburra
Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo,
Cumque iter ambiguum est, & vitæ nescius error
Diducit trepidas ramosa in compita mentes,
Me tibi supposui, teneros tu suscipis annos
Socratico, Cornute, sinu, tunc fallere sollers
Apposita intortos extendit regula mores,
Et premitur ratione animus, vincique laborat,
Artificemque tuo ducit sub pollice vultum.
Tecum etenim longos memini consumere soles,
Et tecum primas epulis decerpere noctes.
Unum opus, & requiem pariter disponimus ambo,
Atque verecunda laxamus seria mensa.
Non equidem hoc dubites amborum fœdere certo
Consentire dies, & ab uno sidere duci,
Nostra vel æquali suspendit tempora libra
Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora
Dividit in geminos concordia fata duorum,
Saturnumque gravem nostro Jove frangimus unà
Nescio quod certè est, quod me tibi temperat astrum.
MILLE hominum species, & rerum discolor usus
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.
Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
Rugosum piper, & pallentis grana cumini:
Hic satur irriguo mavult turgescere somno:
Hic campo indulget, hunc, alea decoquit: ille
In venerem est putris: sed cum lapidosa chiragra
Fregerit articulos, veteris ramalia fagi,
Tum crassos transisse dies, lucemque palustrem,

Et sibi jam seri vitam ingemuere relictam.
At te nocturnis juvat impallescere chartis,
Cultor enim juvenum purgatas inseris aures
Fruge Cleanthea: petite hinc, juvenesque, senesque,
Finem animo certum, miserisque viatica canis.
Cras hoc fiet: idem cras fiet: quid (quasi) magnum?
Nempe diem donas: sed cum lux altera venit,
Jam cras hesternum consumpsimus: ecce aliud cras
Egerit hos annos, & semper paulum erit ultra.
Nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno,
Vertentem sese frustra sectabere canthum,
Cum rota posterior curras, & in axe secundo.
Libertate opus est, non hac ut quisque Velina
Publius emeruit, scabiosum tesserula far
Possidet: heu steriles veri, quibus una Quiritem
Vertigo facit: hic Dama est: non tressis agaso,
Vappa, & lippus, & in tenui farragine mendax,
Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama: papè? Marco spondente recusas.
Credere tu nummos? Marco sub judice palles?
Marcus dixit: ita est: assigna Marce tabellas.
Hæc mera libertas? hanc nobis pilea donant?
An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
Cui licet, ut voluit? licet, ut volo, vivere: non sum
Liberior Bruto? Mendose colligis, inquit
Stoicus hic, aurem mordaci lotus aceto.
Hæc reliqua accipio, licet, ut volo, *vivere, tolle.*
Vindicta postquam meus à prætore recessi,
Cur mihi non liceat jussit quodcumque voluntas?
Excepto si quid Masuri rubrica vetavit.
Disce, sed ira cadat naso, rugosaque sanna,
Cum veteres avias tibi de pulmone revello.
Non prætoris erat stultis dare tenuia rerum
Officia, atque usum rapidæ permittere vitæ.
Sambuceam citius caloni aptaveris alto.
Stat contra ratio, & secretam garrit in aurem,
Ne liceat facere id, quod quis vitiavit agendo.

Pu-

Publica lex hominum, naturaque continet hoc fas,
Ut teneat vetitos inscitia debilis actus.
Diluis helleborum, certo compescere puncto
Nescius examen? vetat hoc natura medendi.
Navem si poscat sibi personatus arator
Luciferi rudis, exclamet Melicerta perisse
Frontem de rebus. Tibi recto vivere talo
Ars dedit, & veri speciem dignoscere calles,
Ne qua subærato mendosum tinniat auro,
Quæque sequenda forent, & quæ vitanda vicissim,
Illa prius creta, mox hæc carbone notasti.
Es modicus voti, presso lare, dulcis amicis,
Jam nunc astringas, jam nunc granaria laxes,
Inque luto fixum poscis transcendere nummum,
Nec gluto sorbere salivam Mercurialem:
Hæc mea sunt, teneo, cum vere dixeris; esto
Liberque, ac sapiens Prætoribus, ac Jove dextro.
Sin tu, cum fueris nostræ paulo ante farinæ,
Pelliculam veterem retines, & fronte politus
Astutam vapido servas sub pectore vulpem,
Quæ dederam supra, repeto, funemque reduco:
Nil tibi concessit ratio, digitum exere, peccas,
Et quid tam parvum est? sed nullo thure litabis,
Hæreat in stultis brevis ut semuncia recti.
Hæc miscere nefas, nec cum sis cætera fossor,
Treis tantum ad numeros satyri moveare Bathylli.
Liber ego: unde datum hoc sumis tot subdite rebus?
An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat?
I, puer, & strigiles Crispini ad balnea defer,
Si increpuit, cessas nugator: servitium acre
Te nihil impellit? nec quicquam extrinsecus intrat
Quod nervos agitet? sed si intus, & in jecore ægro
Nascuntur Domini, qui tu impunitior exis,
Atque hic, quem ad strigiles scutica, & metus egit herilis?
Mane piger stertis, surge, inquit avaritia, eia
Surge: negas: instat, surge inquit: non queo: surge,

Et

Et quid agam? rogitas? en, saperdam advehe ponto,
Castoreum, stuppas, hebenum, thus, lubrica Coa.
Tolle recens primus piper è sitiente camelo,
Verte aliquid, jura: sed Jupiter audiet: eheu,
Vare, regustatum digito terebrare salinum,
Contentus perages, si vivere cum Jove tendis.
Jam pueris pellem succinctis, & œnophoron aptas
Ocyus ad navem, nihil obstat, quin trabe vasta
Ægæum rapias: nisi sollers luxuria ante
Seductum moneat, quo deinde, insane ruis? quod?
Quid tibi vis? calido sub pectore mascula bilis
Intumuit, quam non restinxerit urna cicutæ.
Tun' mare transilias? tibi torta cannabe fulto
Cœna sit in transtro? Veientanumque rubellum
Exhalet vapida læsum pice sessilis obba?
Quid petis, ut nummi, quos hic quincunce modesto
Nutrieras, peragant avidos sudare deunces?
Indulge genio, carpamus dulcia, nostrum est
Quod vivis, cinis, & manes, & fabula fies.
Vive memor lethi, fugit hora: hoc quod loquor, inde est.
En quid agis? duplici in diversum scinderis hamo.
Hunccine, an hunc sequeris? subeas alternus oportet,
Ancipiti obsequio dominos, alternus oberres.
Nec tu cum obstiteris semel, instantique negaris
Parere imperio, rumpi jam vincula dicas.
Nam luctata canis nodum arripit, ast tamen illi
Cum fugit, à collo trahitur pars longa catenæ.
Dave, cito hoc credas jubeo, finire dolores
Præteritos meditor, (crudum Chærestratus unguem
Abrodens ait hæc) an siccis dedecus obstem
Cognatis? an rem patriam rumore sinistro
Limen ad obscœnum frangam, dum Chrysidis udas
Ebrius ante fores extincta cum face canto?
Eugè puer, sapias: Diis depellentibus, agnam
Percute, sed censen' plorabit, Dave relicta?
Nugaris? solea puer objurgabere rubra,
Ne trepidare velis, atque arctos rodere casses.

Nunc

Nunc ferus, & violens, at si vocet, haud mora, dicas,
Quidnam igitur faciam? ne nunc, cum accensor, & ultro
Supplicet, accedam? si totus, & integer illinc
Exieris, nunc nunc, hic hic, quem quærimus, hic est.
Non in festuca, lictor quam jactat ineptus.
Jus habet ille sui, palpo, quem ducit hiantem
Cretata ambitio? vigila & cicer ingere large
Rixanti populo, nostra ut Floralia possint
Aprici meminisse senes, quid pulchrius? at cum
Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ
Portantes violas, rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino,
Labra moves tacitus, recutitaque sabbata palles.
Tunc nigri lemures, ovoque pericula rupto,
Tunc grandes Galli, & cum sistro lusca sacerdos
Incussere deos, inflantes corpora, si non
Prædictum ter mane caput gustaveris alli.
Dixeris hæc inter varicosos Centuriones,
Continuo crassum ridet Vulphenius ingens.
Et centum Græcos curto centusse licetur.

SATYRA VI.

ADmovit jam bruma foco te Basse, Sabino?
Jamne Lyra, & tetrico vivunt tibi pectine chordæ?
Mire opifex numeris veterum primordia vocum,
Atque marem strepitum fidis intendisse Latinæ,
Mox juvenes agitare jocos, & pollice honesto
Egregios lusisse senes: mihi nunc Ligus ora
Intepet, hybernatque meum mare, qua latus ingens
Dant scopuli, & multa littus se valle receptat.
Lunai portum est operæ cognoscere cives,
Cor jubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Mæonides Quintus pavone ex Pythagoræo.
Hic ego securus vulgi, & quid præparet Auster
Infelix pecori, securus, & angulus ille

Vicini, nostro quia pinguior, etsi adeo omnes
Ditescant orti peioribus, usque recusem
Curvus ob id minui senio, aut cœnare sine uncto,
Et signum in vapida naso tetigisse lagæna.
Discrepet hic alius? geminos horoscope varo
Producis genio. solis natalibus est qui
Tingat olus siccum muria vafer in calice empta,
Ipse sacrum irrorans patinæ piper, hic bona dente
Grandia magnanimus peragit puer: utar ego, utar,
Nec rhombos ideo libertis ponere lautus,
Nec tenuem sollers turdorum nosse salivam.
Messe tenus propria vive, & granaria fas est,
Emole: quid metuis? occa, & seges altera in herba est.
Ast vocat officium trabe rupta, Brutia saxa
Prendit amicus inops, remque omnem, surdaque vota
Condidit Ionio, jacet ipse in littore, & una
Ingentes de puppe Dei, jamque obvia mergis
Costa ratis laceræ, nunc & de cespite vivo
Frange aliquid, largire inopi, ne pictus oberret
Cœrulea in tabula: sed cœnam funeris hæres
Negliget iratus, quod rem curtaveris, urnæ
Ossa inodora dabit, seu spirent cinnama surdum,
Seu ceraso peccent casiæ nescire paratus.
Tune bona incolumis minuas? sed Bestius urget
Doctores Graios: ita fit, postquam sapere urbi
Cum pipere, & palmis venit nostrum hoc maris expers,
Fœnisecæ crasso vitiarunt unguine pultes.
Hæc cinere ulterior metuas? at tu, meus hæres
Quisquis eris, paulum à turba seductior audi:
O bone, num ignoras? missa est à Cæsare laurus
Insignem ob cladem Germanæ pubis, & aris
Frigidus excutitur cinis, ac jam postibus arma
Jam chlamydas regum, jam lutea gausapa captis,
Essedaque, ingentesque locat Cæsonia Rhenos.
Diis igitur, genioque ducis centum paria, ob res
Egregiè gestas, induco: quis vetat? aude.
Væ, nisi connives: oleum, artocreasque popello

Lar-

rgior, an prohibes? dic clare: non audeo, inquis.
oſſatus ager juxta eſt, age, ſi mihi nulla
m reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
ulla manet patrui, ſterilis matertera vixit,
que avia nihilum ſupereſt, accedo Bovillas
ivumque ad Virbi, præſto mihi Mannius hæres
ogenies terræ, quære ex me, quis mihi quartus
t pater, haud promte, dicam tamen: adde etiam unum;
num etiam, terræ eſt jam filius, & mihi ritu
Iannius hic generis prope maior avunculus exit,
ui prior es, cur me in decurſu lampada poſcis?
m tibi Mercurius, venio Deus huc ego, ut ille
ingitur, an renuis? vin tu gaudere relictis?
eeſt aliquid ſummæ: minui mihi, ſed tibi totum eſt;
uicquid id eſt, ubi ſit fuge quærere, quod mihi quondam
egarat Stadius, neu dicta repone paterna,
enoris accedat merces, hinc exime ſumptus.
uid reliquum eſt? reliquum? nunc nunc impenſius unge,
nge puer caules: mihi feſta luce coquatur
rtica, & fiſſa fumoſum ſinciput aure,
t tuus iſte nepos olim ſatur anſeris extis
um moroſa vago ſingultiet inguine vena,
atritiæ immeiat vulvæ? mihi trama figuræ
it reliqua? aſt illi tremat omento popa venter?
ende animam lucro, mercare, atque excute ſollers
mne latus mundi, ne ſit præſtantior alter
appadocas rigida pingues paviſſe catoſta.
em duplica: feci: jam triplex, jam mihi quarto;
m decies redit in rugam: depinge ubi ſiſtam
ventor, Chryſippe, tui finitor acervi.

In Auli Persii

Francisci Sanctii Brocensis,

In Sex Satyras Persii Ecphrases, Scholia & Annotationes.

IN SATYRAM PRIMAM.

EGo, qui neque poëta sum, nec poëtæ filius (non enim labias in Pegaseo fonte prolui, nec in Parnasso bicipiti somniavi, ut solent hi, qui repente poëtæ prosiliunt) Musas non invoco: sed quasi semipaganus, & tamen poëtis addictus ad eorum sacraria me conferens, illis hæc qualiacunque poëmata consecro, relinquens interim Heliconiadas sorores, fontemque Pirenen illis qui foliis hederæ lambentibus frontem stant in Palatino Apolline coronati. Non, inquam, poëta sum: sed tamen ab iis, qui heri, vel nudius tertius repente pullularunt, quæsierim, quis expedite loqui psittacum, aut quis picas nostra verba conari docuerit? nimirum venter, qui & ingenium largiri mirus artifex, & magister negatas voces apprehendere. Imo vero si ad hanc edendi necessitatem accedat, & refulgeat aliqua fallacis pecuniæ spes, non solum loquetur pica, & corvus diserte, sed & corvi poëtæ: & picæ poëtriæ, Pegaseium melos resonabunt. Sed quid in his translationibus demoror? cur non palam in mores nostros despuo? O curas nostrorum hominum! Itane omnes in verbis sunt occupati, ut rerum, & sententiarum sint inanes, & vacui; sed dicet aliquis: Quis leget hæc? Mene rogas? aio: Nemo leget opinor, hercle nemo: vel duo: vel nemo. O rem turpem, & miserabilem! Quare vereor, ne princeps, & Romani proceres Accium Labeonem mihi ante-

anteferant. Sed nugæ ſunt hæ, quæ me aſcribendo conantur deterrere. Nam Roma, quæ nunc turbida eſt, non poteſt perſpicue ſpicere, aut cernere quid verum ſit, unde ſi quid illa elevet, & deprimat: nec ejus judicio ſubſcribas, neque judicium caſtiges, & emendes in tali trutina. Neque unquam te quæras in externo ſermone, dum alios de te interrogas. Nam Romæ quis non, ah vereor dicere, nec fas eſt prodere. Sed dicam, & audebo: quandoquidem video & ſenes inſanire, & qui ſeveri dici cupiunt, puerilibus hujuſmodi nugis implicari, & qui nuces jam reliquerint, & caſtigatores, & patruos aliorum ſe præſtant, puerilia conantur. Hos ego non inſecter? ſed præſtat tacere: nolo quemquam offendere, vel irritare. Sed quid potius faciam, ſi petulanti cachinno ſplen mihi ſubſultat? Aggrediar igitur.

Non ſolum poëtæ, ſed & qui proſa oratione ſcribunt, ſecluſi, & abditi magna quædam muginantur quæ anhelanti pulmone prælargo animæ in populum recitent. Sed populo recitabit non imparatus: ſed pexatus, nova toga indutus, & ſardoniche, quam die natali accepit, exornatus, ſi prius tamen pallidum colorem contraxerit, & ad vocem mollius emittendam liquido plaſmate molle guttur colluerit, ſic inſtructus ocello patranti, & pruriente concionatur.

Hic videas ingentes Titos, & ſeveros Romanos nec more probo, neque voce ſerena trepidare, quum carmina lumbum intrant, & tremulo illo verſu inſtigati titillantur. O inveterate ſenex, & uſque cutem perdite, auriculis alienis eſcas colligis? quibus inſuper auriculis non te pudet talia inſuſurrare.

Ohe cives, quid didiciſſe juvat, niſi hoc fermentum erumpat, & quæ ſemel intus nata eſt captifricus vel rupto jecore proſiliat? O mores! O ſenium perditum! hoc erat cur pallebas? An credis ſcire tuum nihil eſſe, niſi alius te ſcire hoc ſciat? At, inquis, pulchrum eſt digito monſtrari, & dici: Hic

est ille. An pro nihilo pendendum est, te & tua carmina in scholis esse dictatum centum nobilium cirratorum?

Ecce autem Romulidæ saturi quærunt inter bibendum, quid divina poëmata narrent: inter quos aliquis, cui ex humeris pendebat jacintina læna, qui submurmurans, & veluti de naribus balbutientibus præmittens rancidulum procœmium, numerose fluens, & tenero supplantans verba gutture, Phyllidis, & Hypsyles querimonias, simul & alia lacrymosa carmina decantat. His omnes illi magnates viri assensere, & uno ore talia promebant, ô felices tanti poëtæ cineres cujus sine dubio levior cippus imprimit ossa, ex alia vero parte convivæ laudantes succinunt: ô felices tanti poëtæ manes, ex quorum tumulo, & fortunata favilla rosæ nascentur, & violæ pullulabunt. Hic tunc amicus cubito me tetigit, inquiens: Rides, ô Persi, & subsannas. An est ullus qui nolit placere, & omnium ora mereri? quum præsertim digna cedro locutus faciat carmina, quæ scombros, thus, & cordilas non metuant? ô amice, quisquis es, quem modo adversantem induxi, audi, & disce: Non ego, quum scribo, si forte, aliquid scribi dignum emisero (quæ rarissima est avis) laudari timeam: neque enim venæ, aut fibræ sunt mihi corneæ: sed in scribendo, Recti finem, & scopum non pono *Euge tuum*, & *tuum Belle*. Sed Rectum ipsum, Et Belle tuum si excutias, & tentes, quid non malorum, invenias? Hunc scopum non reperio in Iliade Accii Labeonis, quantumvis veratro plenissima: ab hoc fine longe aberrant à crudis proceribus dictatæ elegiæ: itidem & illa, quæ in mensis citreis scribuntur. Hujus mali si causam quæris, paucis aperiam. Si ducis ad convivium, qui tuos versus emendet: quomodo poterit verum elicere: calidum scis ponere porcæ sumen: scis comitem nudum trita lacerna donare: tunc addis: Ego amo

amo verum: verum dicito mihi de me ipſo. Hoc fieri non poteſt. Quur non poſſit, expreſſius dicam. Nugaris & operam perdis: quoniam, & calvus es, & obeſus. Quum igitur tibi venter ita pendeat, ut ſeſquipede extet: & Pinguis venter, ut eſt in proverbio, ſapientiam non generet, non poteris non eſſe ridiculus. Quod ſi oculos haberes in occipitio (ut Janus pingitur) videres, dum recitas, miras a tergo ſannas: eſt enim qui fingat ciconiam, quæ te a tergo pinſitet: eſt qui manibus motis aſini auriculas imitetur: eſt denique, qui tantum exerat linguæ quantum canes in Apulia ſitibundi exertent. Vos itaque, Patricii viri, quando non pote eſt ut occipite ut amini oculato, occurrite ſannæ poſticæ.

Porro autem. *Quis popoli ſermo eſt*, ſubinde ſolent interrogare, qui ſe extra quærunt, & ab arbitrio pendent populi. Quibus adulatores reſpondent. Quis ſermo ſit rogas, omnes uno ore fatentur carmina nunc demum molliſſimo fluere numero: & juncturam verborum ita compactam & concinnam adaptari, qualis tabula ex diverſis compacta ungues ſeveros reſpuat, & per læ nia non admittat. Scit noſter poëta ita rectum verſum tendere, ut videatur rubram lineam oculo uno dirigere: nec repit humi: ſed ſemper grandes res dicere noſtro poetæ Muſa dat, ſive in mores ſit, ſive in luxum & prandia regum dicendum.

Videas rurſus ex alia parte heroas noſtros nugari ſolitos Græce occupatos in ſenſibus poëtarum explicandis & enodandis, quum interim ipſi nec in Rhetoricis præexercitamentis ſint ſatis inſtructi. Neſciunt etenim lucum deſcribere, neque rus ſaturum laudare: ubi ſint corbes, & focus, & porci, & fumoſa Palilia in abundanti feno. Unde magnanimi prodierunt viri, ut Remus, & Q. Cincinnatus, qui quum ſulco aratrum tereret, ſalutatus fuit Dictator, & ante ipſos boves illum uxor trepidans induit

 dicta-

dictatoria veste: atque ipsemet lictor, qui mandata Po. Ro. dederat, aratrum domum tulit. Euge poëta, qui tam parvis contemtis altissima crepas.

Et nunc alius tam antiquitatis admirator, ut nunquam è manibus venosum librum Actii Briseidem deponat. Sunt alii, quos Pacunii verrucosa moretur Antiopa, & in illis verbis stupescat: *ærumnis cor luctificabile fulta.* Quum igitur videamus patres lippos pueris tales monitus infundere: quæris unde hæc stridentia verba sartaginis frixum imitantia venerint in linguas, unde etiam istud dedecus, in quo Trojanulus imberbis per subsellia exultat, & obloquitur.

Tecum, senex inveterate, mihi nunc sermo est: Nonne pudet, quum furti accusaris, non posse à cano capite arcere periculum, sed totus verbis rerum inanibus incumbens hoc *decenter*, *pulchre sophos*, calidum optas audire. Quum aliquis dixit Pedio, Fur es: Pedius circa figuras verborum occupatus expendit crimina in rasis antithetis, & paria paribus compensans manet furti reus, & tamen doctas posuisse figuras laudatur. Hoc bellum est? Hoc tu bellum vocas? An Romule ceves, & clunes moves? cantas quum te defendis ab accusatione? Non me movebit cantillans, qui naufragium fecit, & se in tabula depictum portat, nec assem miserans porrigam. Ploret mihi verum, & non meditatas voces ostentet, quas nocte hesterna concinnavit, tunc vere dolebo.

Sed jam ad tuæ numeros poëseos deveniamus. Quantus illis decor est? qualis junctura crudis, & immaturis carminibus? sæpe sic cludit carmen ille: *Berecynthius Atys.* Accipe rursus juncturam.

Et qui cæruleum dirimebat Nerea delphin.

Sic costam longo subduximus Apennino.

Quid rides, o Persi, aliorum inflatus versus? Nonne tuus Virgilius inflatior est? *Arma virumque cano.* Nonne hoc spumosum est, nonne hoc est ut ramale

vetus

vetus incoctum prægrandi ſubere, atque cortice pingui. Quid igitur legendum eſt, tenere, ſummiſſe, atque cervicibus incurvis. Hæc inquam.

Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura ſuperbo
Baſſaris, & lyncem Mænas flexura corymbis
Evion ingeminat. reparabilis adſonat Echo.

Hæc fierent, ſi paternæ virilitatis vena ulla, vel ſignum aliquod in nobis vigeret? Age, delumbe & enervate ſenex, ſemper hoc in ſumma ſaliva, & in udis labris natabit? nunquam excidet ex ore, *Mænas, & Atys*? Hoc inflatum eſt, immaturum & repentino calore fuſum, nec ſapit lucernam, nec demorſos ungues, aut pluteum ex meditatione percuſum.

Sed reprimam me. Nam quid opus eſt tam aperta, & vera proloqui, quum teneræ auriculæ mordaci vero radantur. Vide ſis, ne quis te frigore feriat, id eſt, ne in liminibus domus tuorum interficiaris. Nam tua ſcripta redolent caninam mordacitatem. Recte mones, abſiſto: nil moror, laudo jam res: Euge, euge, res miras video. Nunc places, o Perſi, quum abſtinere a meiendis poëtis jubes, tanquam a ſacris: pingamus igitur duos angues, ut pueros extra meiere moneamus: ſic jubeo, & diſcedo. Sed proh Jupiter, nonne mihi licebit vel Lucilium, vel Horatium non dico imitari, ſed nec longe ſequi? Secuit Lucilius totam urbem, & te Muti, & te Lupe, & genuinum dentem fregit in Aulis: Et vafer Horatius ridentibus amicis vitia cuncta objectat: & quum ſemel eſt admiſſus, urit ludens præcordia, denique ſumma calliditate naſo populum ſuſpendit: & me jubent non loqui, imo & mutire nefas ducunt, nec clam, neque in defoſſa terra, nec denique uſquam. Evomam tamen in hac foſſa: vidi ipſe, o libelle mi. Quis non habet auriculas aſini. Reſpiravi, & dico jam ſerio

me

me nulla Labeonis Iliade hoc opertum, & hoc ridere meum tam nihili vendere. Sed ab illis tantum legi cupio, qui afflati, & inſpirati a comœdiis reprehenſoris Cratini, iratum Eupolidem, & ſenis Ariſtopharis reprehenſionem palleſcunt, illi inquam, etiam hæc legant, nam forte aliquid hic decoctius audient. Ab illis igitur poëtis veniens lector aure vaporata fervens mea legat: non ille, qui crepidas philoſophorum irrident, ipſi avari, & ſordidi: & ſibi placent, quum luſcum vocant luſcum, & claudum claudum: & ſeſe extollunt, & magnifaciunt, quod ædilitatem apud Arretium, aut Ulubras gerentes, iniquas vini menſuras inflati fregerunt. Ne me legat ille, qui vafer, & ingenioſus (ut ſibi videtur) ſcit ridere mathematicas lineas in abaco, vel in tabulis arena coopertis conſignatas. Nec qui (quum Cynici barbam vellit Nonaria impudens meretricula) cachinno rumpitur. Huic etenim librum meum non dabo legendum, ſed eos mane ad edictum prætoris in forum mitto: poſt cœnam vero Callirhoen lacrymabile poema revolvant.

Annotationes.

pag. 273. NEc fonte labra.) Satyris nemo unquam proœmium præmiſit. Satyræ enim curione non egent, ſed ſua, id eſt, mala lingua contentæ ſunt. Sed Perſius Archilocum imitatus virulento ſenario ſcazonte in poëtas irruit, ſed per allegoriam, & tecte primum, poſt autem ne poſſit non intelligi, mutato carmine planius totam iram effundit. Similes ait poëtas ſui temporis picis & pſittacis, qui tantum verba ſine ſenſu garriunt. Philoſtratus *lib.* I. *c.* 5. narrat Apollonium Thianeum noluiſſe perſeverare in addiſcenda philoſophia cum Eugeno, quia ventri deditus eſſet, & licet expeditus lingua ſine ſenſu & ſententia diſputaret. Eugenius (inquit) ex Heraide Pytha-

Pythagoræ ſententias ita noverat, ſicut aves ab hominibus edoctæ humana verba enunciant. Illæ enim *Salve*, & *Felix ſis*: & *Jupiter propitius*, & hujuſmodi quædam verba nonnunquam proferunt, neque quid dicant ſcientes, neque ſe locis, ac temporibus accommodantes. Sic Cicero in *Orat. Nihil eſt tam furioſum, quam verborum vel lectiſſimorum ſonitus inanis, nulla ſubjecta ſententia neque ſcientia.* Quæ verba quadrant aptiſſime contra illos verſiculos. *Torva Mimalloneis.* cætera.

Neque fonte labra.) Grammatici differre dicunt *Labrum*, & *Labium*. Falluntur. Nam *labium* Latina vox non eſt. Antiqui utebantur voce *Labiæ, arum.*

In bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo.) Alludit ad Ennii ſomnium. Somniavit Ennius (ut ipſe refert) ſe vidiſſe Homerum aſſerentem animam Homeri in pavonem migraſſe. Unde Horatius.

Ennius, & ſapiens, & fortis, & alter Homerus,
Ut critici dicunt, leviter curare videtur
Quò promiſſa cadant, & ſomnia Pythagorea,

item, Ennius *lib.* 1.

Mihi viſus Homerus adeſſe poëta.

idem citante Cariſio.

Commemini fieri me Pavum.

Perſius *ſat.* 6.

Cor jubet hoc Ennj, poſtquam deſtertuit eſſe
Mæonides Quintus pavone ex Pythagoreo.

Fuit autem ſomnus hic in Parnaſſo, ut innuit Propertius *lib.* 2.

Viſus eram molli recubans Heliconis in umbra
Bellerophontei qua fluit humor equi.
Parvaque tam magnis admoram fontibus ora,
Unde pater ſitiens Ennius ante bibit.

Par-

Parnaſſus mons eſt in Phocide, ubi erat Delphicum oraculum: habet duos vertices, Thitoræum, & Hexampæum: alterum Baccho ſacrum, Phœbo alterum, unde biceps dicitur: inter hos vertices requievit ex diluvio Deucalionis arca, unde antea Parnaſſus dicebatur, ab *arca*, quæ græce λαρναξ nuncupatur. Helicon mons eſt in Bœotia muſis ſacer. *Nec in bicipiti ſomniaſſe*. Laur. Valla *in Raudenſem*, adnotat non recte dici poſſe: *memini ſomniare*: ſed *ſomniaſſe*, nam cum dixit Virg. *memini me condere ſoles*, hic (inquit) verſus magis licentiam poëticam oſtendit, qua ego non uterer, dumtaxat in proſa, dicerem enim ſic: *memini me puerum condidiſſe ſoles*: aut cæt. ego aſſero errare omnes grammaticos Græcos & Latinos cum verbi infiniti (quod ipſi perperam vocant *infinitivum modum*) diſtinguunt tempora. *Minerva* noſtra infinitum verbum vocat quod nec tempora, nec perſonas, nec numeros difinit, quam vide.

Artifex ſequi voces.) Anxie torquentur Grammatici, cum inculcant, quot modis determinetur infinitivus: Sed nihil explicant: infinitum ſemper pro nomine ponitur, ut late diſputat *Minerva*, *lib.* 3. *cap.* 6. neque Græca eſt locutio, *tempus eſt abire*: & *artifex ſequi voces*, ſed propria & pervulgata.

Ipſe ſemipaganus.) Pagani dicuntur à *pago*, & pagus à *page*, id eſt fonte, ſunt qui circa fontem habitant, in militia vero pagani diſtinguuntur a militibus, quia non ſunt Sacramento adacti, ut milites: poſſunt abire cum voluerint, nec ſtipendia merent, unde apud theologos noſtros *pagani* dicuntur omnes, qui ſub Chriſti vexillo non militant.

Pegaſeium melos.) Quoties Homerus vult producere vocalem brevem, duplicat conſonantes, ut *Achilles* pro *Achiles*. Sic Latini aliquando ſcribunt *repperit*, *reggero*, *reſſero*, *rettuli*, *rellatum*, *relligio*, ſic hic ſcribe *mellos* duplici ll. non *nectar*, ut diſputat Politianus.

O cu-

O curas hominum , non hoc eſt principium Satyræ: ſed apertius indicat quod propoſuerat: *o*, particula (ut ſomniant grammatici) tribus caſibus jungitur, vocandi, nominandi, & accuſandi, ut *ô ſumme* Pater: *ô vir fortis atque amicus* : *ô fortunatam Romam*. Sed hæc quam putida & falſa ſint, declarat noſtra *Minerva*.

Quare ne mihi Polidamas.) Hic nulla eſt interrogatio, ſed eſt ordo: quare vereor, ne ipſe imperator & Romani mihi præferant Labeonem: ſic loquitur Terentius in *Adelphis*: *ne tuæ iſtæ rationes Mitio*, *& tuus iſte animus æque ſubvortat.* Sic enim legendum, & *ſubvortat*: ut legit Faernus, & deeſt *timeo*, vel *vereor*.

Non ſi quid Turbida Roma elevet.) *Elevare*, eſt deprimere, non extollere, ut conatur Calepinus comprobare ex Plauti loco male intellecto.

Examenve improbum.) vide adag. *Eadem penſa retrutina.*

Nec te quæſiveris extra.) Vide adag. *extra quærere ſe.*

p.274. *Et nucibus facimus.*) Adag. *Nuces relinquere.*

Cum ſapimus patruos.) Adag. *Ne ſis mihi patruus.*

Quid faciam? Sed ſum:) alii legunt, *Si ſum*, & melius. Cachinno autem ſextus caſus eſt: non ut ſomniant interpretes, rectus ordo eſt, *ego ſum præditus ſplene petulanti cum cachinno.*

Quod pulmo animæ.) Adag. *De pulmone revellere.*

Scire tuum nihil eſt.) Adag. *Occultæ muſices nullus fructus.*

At pulchrum eſt digito monſtrari.) Adag. *Monſtrari digito.*

Nunc non e manibus illis.) Adag. *Roſas loqui.*

Et nimis uncis naribus.) Adag. *cedro digna.*

Quandò hæc rara avis eſt.) Adag. *Rara avis.*

275. *Non hic eſt Ilias Accj.*) Id eſt in hoc numero non numeratur ilias Accj, neque quidquid Proceres ſcri-

scribunt, illi enim tantum quærunt sophos, & famam.

Calidum scis ponere sumen.) Hæc eadem mire notat Horat. *in fine Artis Poeticæ*, ex illis verbis:

Ut præco ad merces turbam qui cogit emendas.

Pinguis aqualiculus.) Adag. *venter pinguis non gignit sapientiam.*

O Jane, à tergo.) Adag. *Alter Janus.*

Quos vivere fas est Occipiti cæco.) Hæc ita conjungo sine dispunctione, ut sit sensus, O vos, qui estis patricius sanguis, quibus non datum est habere oculos in occipitio, posticæ occurrite sannæ, *fas* autem hic accipitur pro potestate: vide adag. *postica sanna.*

Effundat junctura ungues.) Adag. *Ad unguem.*

Oculo rubricam dirigat.) Adag. *Thynni more.*

Neque ponere lucum artifices,) reprehendit poëtas sui temporis, qui nondum præ exercitamentis rhetorum essent versati, sic Horatius in *Arte.*

Quum lucus & ara Dianæ, & properantis aquæ.

Est nunc Bryseis.) Alii legunt *Brysei*: ut referatur ad Accium, id est, Bachici.

Antiopa verrucosa.) Adag. *Antiopæ luctus.*

Ærumnis cor luctificabile fulta.) Hæc quatuor verba sunt ex *Antiopa* Paccuvii: reprehenditur in illis junctura: quia non apte dicitur *fultus ærumnis*: ut *fultus baculo*, vel *spe*, deinde verbum (*luctificabile*) horridum est, & antiquum.

p. 276. *Arma virum nonne*, non hic reprehenditur Virgilius, sed est objectio insani cujusdam qui nesciebat distinguere inter stylum grandem & turgentem: versus enim turgidos & inflatos insectabatur Persius; ille vero eodem modo putabat versus Virgilii esse duros inflatosque, & turgidos: statimque adjecit (non spectato Persii responso.) *Quidnam igitur tenerum & laxa cervice legendum.*

Nec

Nec pluteum cedit.) Adag. *caput scabere*, vide Quintili. *lib.* 10. *c.* 3.

Mordaces radere vero.) Adag. *Olcum in auricula ferre.*

Per me equidem sint omnia protinus alba.) Adagium est.

Et genuinum fregit in illis,) alii legunt, *in Aulis*, quod placet, adag. *Genuino mordere.*

Callidus excusso:) adag. *Naso suspendere.*

p. 277. *Auriculas asini*, adag. *Midas auriculas asini habet.*

Praegrandi cum sene palles.) Nullum verbum est quantumvis absolutum videatur, quod non possit regere accusativum ejusdem significationis, ut *vivo vitam*, *certo certamen*, *sto stationem*, *ambulo ambulationem*: sed aliquando accusativus ille vertitur in metaphoricum, ut *palleo praeceptorem*: *Corydon ardebat Alexin*: *nubes pluant justum*: *terra germinet salvatorem.*

Unde vaporata.) melius legitur, *inde vaporata.*

Si Cynico barbam.) Adag. *Barbam vellere.*

SECUNDAE SATYRAE

Ecphrasis.

O Minuti Macrine, hunc diem quo natalem tuum celebras, & tibi labentes annos candidus apponit, numera meliori lapillo, funde merum genio hilaris, non enim tu poscis deum emaci prece ea quae non possunt committi divis, nisi secretis & seorsum ductis palam petis quae vere petenda sunt. At Procerum maxima pars tacite libat: nec palam audet petere. Non cuilibet promptum est murmura & humiles susurros a templis amandare: nec facile est aperto voto vivere, clare & aperte, & ut audeat hospes. Quivis sic loquatur cum Deo: sit mihi mens

mens bona, ſit fama, ſit fides: ſed interius, & tacite ſub lingua inmurmurat, o ſi præclarum funus patrui mei ebullet, & germinet: o ſi argenti ſeria ſub emoto raſtro crepet, dextro & favente Hercule, O utinam expungam ex teſtamento pupillum, quem proximus hæres inſequor & impello: eſt enim ſcabioſus, & acri bili tumet. Video Nerium repente divitem effectum propter trium uxorum funus. O ſtulte votorum, qui ut hæc poſcas, ſancte & pie in flumine Tiberino mergis mane caput bis terque, & noctem fluviali aqua purgas.

Accede huc, bone vir, & reſponde ad hæc paucula, quid ſentis de ſummo Jove? præponiſne hunc alicui homini? cuinam vis præponere? Vis Staio? videris dubitare: ne dubita, nam nullus judex potior aut aptior eſt tutandis pueris orbatis. Agedum dic eadem Staio, quæ dicis Jovi cum ejus aurem tentas impellere exclamare licebit Proh Jupiter, o bone Jupiter, at ipſe Jupiter non clamet, ſeſe? an tu putas eum tibi ignoviſſe, quia cum tonat & fulgurat, potius in ilicem ſævit, & ſulſure ſacro diſcutit ilicem, quam te domumque tuam. An vero quia non jaces in agro & in lucis factus triſte & evitandum bidental, adminiſtrante augure Ergena fibris ovium & extis, idcirco ſtolidum credis Jovem, & illius barbam vellere malitioſe tentas? ſi hoc non eſt, quid illud eſt, qua tu mercede, quo pulmone & lactibus pinguibus emeris deorum auriculas?

Ecce autem ex alia parte venit avia, vel matertera religioſa & cunis eximit infantulum, quumque prius frontem atque humida labella infami digito expiarit & luſtralibus ſalivis imbuerit, faſcinumque averruncaverit (eſt enim perita urentes oculos avertere) manibus quatit infantem, & prece ſupplice ſpei tenuis puerum nunc mittit in campos Licini, nunc in Craſſi ædes intrudit innuens videlicet ſic illorum accipere poſſeſſionem, interim hæc tacite ſubmurmu-

murmurat: Utinam Rex, & regina hunc optent generum: utinam puellæ hunc rapiant: utinam quidquid calcaverit hic, Rosa fiat. At vero pater pueri stultissima vota indignatus, hæc addit, ego o Jupiter, nunquam talia mandavi nutrici: hæc illi negato vota, quantumvis alba veste inducta te roget.

Est rursus qui poscat opem & tutamen nervis & senectæ fidele corpus: esto age, sed grandes patinæ, & crassa tuceta, quibus indesinenter utitur, vetuere Deos his annuere Jovemque arcent a precibus.

Est qui rem extruere exoptet, propterea cæso bove & fibris inspectis Mercurium advocat dicens: da fortunare penates, da pecus, da gregibus fœtum. Quo pacto pessime tot incensis & crematis junicibus & tot interfectis ovibus vis gregem crescere? sed tamen tu obniti contra tendis & opimis omentis vincere intendis: tibique palparis dicens: jam crescit ager: jam crescit ovile: jam dabitur quod exopto: jam jam, dabitur. Donec nummus deceptus & expes in imo fundo arcæ nec quisquam suspiret solus.

Age jam veniamus ad somniorum deliramenta, qui somnia captas ad pecunias conglobandas, cui curæ, & occupationi dum deditus es, & anhelas, si forte fortuna tibi repente crateras argenti feram, aut dona pingui auro cælata offeram, sudes, & pectore sinistro a parte cordis excutias guttas, & præ lætitia cor tibi subsultet. Inde enim auguror fieri, ut facies deorum inaures, & auro triumphali: atque statuis æneis barbam auratam facias. Sed illis præcipuè fratribus quinquaginta, qui ænei stant in campo Martio, quia somnia vera, & pituita purgata mittunt, o, auri sacra fames: Aurum e templis vasa Numæ expulit: aurum Saturnia æra impulit: aurum Vestalium urnas abjecit, aurum denique fictile Tusciæ hodieque mutat.

O curvæ, animæ, in terras & rerum cæleſtium inanes & vacuæ, anne more hominum exiſtimatis deos humanis muneribus capi, & bona exiſtimare illa, quæ ex hac carne & pulpa procedent. Hæc pulpa nihil non vitioſe molitur: Hæc ſuaviſſimam caſiam oleo corrumpit, & adulterat: Hæc vellera Calabria coxit in Tyrio aheno; & pro vero murice vendit, hæc docuit e ſummo mari conchas extrahere, unde Margaritæ, ex quibus nulla emergit utilitas: eradantur hæc ab inferno pulvere decocto, venas argenti inquirens opes in lucem intulit. Hæc tamen peccando ſibi prodeſt & utitur vitio: at vos, Pontifices, dicite mihi quid in templis facit aurum. Illud nempe, quod imagunculæ puellarum, quæ Veneri dicantur. Quur non potius Deis ſuperis offerimus, quod magnifici, ſed lippi, & hebetes nati Meſſalæ non poſſint dare. Hoc eſt, pure conjunctum cum divino jus humanum: ſanctoſque puræ mentis receſſus: & in vera virtute pectus recoctum? Quæ ſi tu mihi præſtiteris, ut templis offeram, vel farre ſolo ſine mica ſalis Deos reddam propitiatos.

ANNOTATIONES IN

Secundam Satyram.

HÆc Satyra ſumta eſt ex ſecundo Platonis Alcibiade, in improba vota hominum. Ejuſdem argumenti eſt decima Juvenalis quæ docet homines ſemper neſcire quid petant a Deis.

p. 277. *Meliore lapillo.* Adag. *creta notare.*

Prece poſcis emaci. Turneb. *lib.* 25. *c.* 14.

Illa ſibi introrſum. Al. *Illa ſed.*

Ebuliat patrui. Al. *Ebullit.* Al. *Ebulliat.*

Dextro Hercule. Adag. *dextro Hercule.*

278. *Præbet tibi vellere barbam.* Adag. *Barbam vellere.*

In-

Infami digito. Adagium, *In tuum ipsius sinum inspue*, & Adag. *medium ostendere digitum.*

Rosa fiat. Adag. *Rosas loqui.*

Nec quidquam fundo. Adag. *Sera in fundo parsimonia.*

p. 279. *Sitque illis aurea barba.* Adagium. *Aureus in olympia stato.*

Compositum jus, fasque animi. cæt. Mire hæc consonant Davidico carmini. *Si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* Quid autem sit *sacrificare*, quid *litare*, in fine *Annotationum* explicabimus.

ECPHRASIS IN

Satyram Tertiam.

PRædivitis, sed desidiosi juvenis, comes unus ingrediens cubile dormientis, sic alloquitur. Nempe hoc assidue fit? Jam lux clara fenestras intrat: & angustas rimas lumine reddit laxiores. An vero stertimus donec falernum indomitum despumetur, dum quinta linea Solis umbra tangatur? En quid agis? Vesana canicula jam messes siccat, & coquit: & omne pecus sub ulmo captat umbras æstum fugiens. Tunc juvenis: Verumne dicis? ita ne est? cito adsit huc aliquis, nemo ne prodit? Hic effervet illi splendida bilis & ita finditur vociferando, ut Arcadiæ asinos rudentes aspicere videaris. Sed tandem jam liber adest, & membrana rasa bicolor: & in manus dantur chartæ, & nodosus calamus in manus venit. Sed simul adsunt & querelæ quod crassum atramentum ex calamo pendeat: quod sæpiæ humor, id est, atramentum aqua infusa vanescat: quod arundo papyro infusa geminet guttas fluentes.

O miser, miser, & in dies ultra miserrimus, huccine rerum venimus? cur non potius similis tenero palumbo, & regum pueris minutissimum cibum petis & iratus nutrici seu mammæ recusas lactare? an tale (inquit) studeam calamo? Ne studeas: cui verba te putas dare? cui istas ambages canis? tibi luditur: effluis amens: tu contemneris quemadmodum male cocta fidelia ex viridi limo sonat vitium percusa, maligneque respondet, tu nunc velut udum & molle lutum es, nunc nunc properandus, & acri rota sine fine fingendus. Sed dices ex rure paterno tibi esse far modicum, purum, & salinum purum, & patellam securam ad focum proprium, quid timeam? hoc satis esse putas? an ideo superbis & pulmonem ventis rumpis quod millesimum ramum ducis ab Tusco Stemmate: vel, quod trabeatus tui generis censorem salutas? ad populum phaleras: ego te intus & foris novi, nec mihi verba dabis. Non pudet te ad morem discincti & perditi Nattæ vivere. Sed de Natta jam nulla spes est: tu poteris ad bonam frugem revocari; ille enim jam stupet vitioso habitu, & venter pinguis subfocavit cordis fibras, & propter summam ignorantiam nescit quid perdat atque ideo caret culpa & in alta voragine demersus nullas emittit bullas in summam undam. O supreme divum Jupiter, noli obsecro alia ratione sævos tyrannos punire (cum libidine incenduntur sæviendi & ingenium acuunt ad vindictam) quam si ostendas illis virtutem qua relicta maximo illi stupore teneantur: an ne magis relicta virtute gemerent in tauro æneo Siculo inclusi, magisque terrebuntur si gladius ex laquearibus pendens cervicibus immineret: quàm cum sibimet dicunt: actum est: imus præcipites: & intus palleat infelix quod cum proxima uxore nequeat communicare.

Pueri nesciunt quid perdant, ideo illis magis ignoscendum, quam tibi. Memini, quum essem parvulus,

lus, sæpe oculos tinxisse oleo, ne cogerer discere, & memoriæ mandare grandia illa verba morituri Catonis Uticensis, quæ verba meus pater convocatis amicis sudans recitabat, & insanus magister meus in cœlum extollebat. Id putabam jure optimo posse fieri: quia mens erat in ludo talorum tota: & quid damni adferret jactæ Canis, aut quid commodi ex bene jacto Senione proveniret, in votis erat etiam scire, quo pacto per angustum orcæ collum plures nucleos tramitterem: itaque summum id ducebam, si nullus intorquendo buxo flagellis peritior inveniretur. Tu vero, qui experiendo didicisti curvum a recto separare: quique in porticu, ubi brachati Medi depicti sunt, philosophos audisti, quibus cirrata juventus invigilat sobria, ut quæ polenta & siliquis pascatur: Tu qui litteram Pythagoræ novisti in duos ramos dispersam dextro calle viam rectam ostendere: tu, inquam, aliter excitandus & instigandus atque etiam reprehendendus, Stertis adhuc. An oscitas propter hesternam crapulam? nam videris caput in duas partes dissutis maxillis, & compage soluta dissecare. Propone tibi scopum, in quem jaculeris: ne temerè dirigas arcum, ut qui passim per lutum, & testas corvos incerto pede prosequitur. An melius putas ex tempore vivere? Falleris. Nam venienti occurrendum est morbo, sero & frustra helleborum & medicinam poscunt aliqui: cum jam cutis ægra intumuit: venienti ergo morbo: sic enim non erit necesse medicis aureos montes polliceri. Discite, miseri & ignari, & discite rerum causas primum: deinde, quid simus, & quam ob causam simus in vitam educti: quis sit ordo vitæ datus, & quam mollis flexus circa metam, & unde flectendi initium, quis modus constituendus argento: quid sit optare fas: quid nova moneta utilitatis habeat: quantum patriæ, propinquis elargiri deceat: quem te Deus esse jussit, & una qua parte locatus es in re, dis-

 cendum

cendum itaque semper est, neque invideas divitibus quia putres fidelias in penu habeant ob defensos divites Umbros, multumque piperis & pernas suillas, quæ Marsi clientis sunt monumenta, mænasque innumeras, quæ etiam ex prima orca suppeditantur.

Hic aliquis degente hircosa Centurionum dicet: quod satis est, sapio mihi: non ego curo esse quod fuit Arcesilas, & ærumnosi Solones, qui obstipo capite & lumine terram figentes murmura secum & silentia rabiosa usque rodunt, atque exporrecto labello verba trutinantes. ægroti veteres meditantur somnia, qualia sunt: gigni de nihilo nihil, & in nihilum nihil posse reverti. Addit insuper Centurio: hoc est quod palles, hoc est cur non quisquam prandeat? His populus ridet: atque etiam juvenes gurdi crispante naso tremulos cachinnos ingeminant.

Hi omnes videlicet ignorant quantum animi morbi sint corporis pestilentiores, accedit quis ad medicum dicens, aspice, sedes: nescio quid trepidat mihi pectus: & ægris faucibus exsuperat gravis halitus, cui medicus: Abi cubitum, & requiesce: sed ille cum post tres noctes compositas venas vidit: de majore domo in modica lagena vina Surrentina rogavit tanquam loturus: rursum medicus, heus bone, tu palles: cui æger, nihil est: instat medicus, videas tamen istud quidquid id est: nam surgit tibi lutea pellis sensim & tacite: respondet ille: at tu deterius palles: ne sis mihi tutor: nam tutorem jampridem sepelii, tu modo restas: cui medicus, perge fac ut libet, tacebo: ille pergit in balneum turgidus epulis & albo ventre inflatus exhalante gutture sulfureos fœtores, sed statim posita mensa tremor subit inter vina: trientem calidum excutit de manibus: retecti dentes crepuere: & pulmentaria delicata e labris laxis cadunt, tandem adveniunt tubæ, & candelæ, & ipse crassis unguentis unctus rigidos pedes in portam civitatis extendit: humerisque Quiritum pridie

pridie factorum, sepeliendus effertur.

Age jam mecum morbos animi considera. Miser (inquit) tange venas, & pone in pectore dextram. At ille nihil calethic. summitates attinge manuum, atque pedum. subdit ille non frigent, tunc philosophus, quum vidisti grandem alterius pecuniam: aut quum candida puella in viciniam tibi molle subrisit, tum tibi compositum est cor, aut rite salit? Si vero exolere duro in frigido catino posito, & ex pane secundo ulcus in ore contraxeris: statim clamas medicum, qui fauces tentet, cibosque suggerat non vulgares. At vero cum timore horrescunt tibi pili per membra, albus riges, & contra cum tibi sanguis ab ira fervescit, oculi scintillant: dicis & facis qualia Orestes insanus, sani hominis non esse dicat.

SCHOLIA.

p. 279. NEmpe hoc assidue.) *Nempe* adverbii usus adhuc latuit Grammaticos: putant enim esse adverbium confirmantis, aut exponentis. Dicunt enim: *Tria sunt genera causarum nempe demonstrativum, deliberativum & Judiciale.* Barbare: nam sæpe Latini cum aliqua ironia, vel irrisione utuntur hoc adverbio. Idem fere est, quod *Nimirum*, cum interrogatione, aut sine illa. Cic. A quo defenderis? nempe ab hoste. *Assidui* dicebantur olim divites, *ab asse dando.* Unde in leg. XII. Tabul. sic legimus: *Assiduus assiduo vindex esto. i. locuples locupleti.* Sed quia locupletes & divites in foro semper adsidebant ut clientibus patrocinarentur, factum est ut nomen *Assiduus* pro *jugi*, & perpetuo caperetur, non ab *adsidendo*, ut aliqui putaverunt.

Findor ut Arcadiæ.) Alias *Finditur. Arcad.* quod placet.

280. *Respondet viridi.*) Adagium. *Qualis vir, talis oratio.*

Millesime ducis. Trabeate salutas.) Non est.

Antiptosis. 1. casus pro casu positio: Grammatici frustra sunt in hac fingenda, vocativus semper ponitur absolute neque regitur ab ulla parte orationis: recteque dicitur contra Vallam: *discipule vocande doctus*, vel *vocande docte.* vide *Minervam.*

Ad populum phaleras.) Adag. est.

Ego te intus, & in cute.) Adagium, *Intus, & in cute.*

Et magis auratis pendens.) Adagium. *De pilo pendere.*

Quid dexter senio.) Adag. *Chius ad Coum.*

p. 281. *Est aliquid quò tendis.*) Adagium. *In diem vivere, & nullo scopo jaculari, & aves quæris, & volatilia sectaris.*

Venienti occurrite morbo.) Adag. *Satius initiis mederi, quàm fine.*

Obstipo capite.) Adag. *Bulbos quærit.*

282. *Ne sis mihi tutor.*) Adagium. *Ne sis mihi patruus.*

IN SATYRAM IV.

Ecphrasis.

REm publicam tractas adolescentulus (Non meus hic sermo est, sed senis illius, qui falso judicio ad sorbitionem diræ cicutæ fuit condemnatus.) O magni Periclis pupille Alcibiades quo fretus? An scilicet rerum prudentia tibi ante pilos venit? Jam dicenda, tacendaque perspexisti? Ergo ubi bili atque ira commotus fuerit popellus, tu scilicet majestate, & autoritate manus ferventem turbam sedare cupiens, quid dices? Nempe sic opinor. Quirites, hoc non justum puto: illud, male procedit: rectius istud erit. Scis nempe, quod justum, &

& æquum est, gemina lance in libella suspendere: verum a curvo discernis: verum & tortuosum suo pede justaque regula metiris. Ac denique in judicio de capite theta mortiferum scis præfigere. Quur non potius, o delicatule, & extrinsecus formosule, te abstines a popularibus adulationibus juvenis & levis, & aptior ad helleborum sorbendum, ut sapias, quam ad populum gubernandum.

Age jam dic mihi: Quæ tibi summa boni est. Nonne bene, & opipare cœnare: & ad solem curare cutem? Hoc idem & anicula hæc vilis optat, & procurat. I nunc, & intumesce, quod generose Dinomaches sis filius, & te nullus pulchrior reperiatur: Si tamen hæc pannosa, & vilis anicula, quæ ocyma, & alia legumina cantillans vendit vilibus vernis & popello tecum sentiat, & in optando summo bono temet ipso non inferior prædicetur.

Qui fit ut nemo in sese tentet descendere, nemo est qui vitia sua inspiciat, sed mantica, quæ in tergo præcedentis viatoris est, inspicitur, nunquam prior, quæ peccata nostra continet. Ut si quæras: Nosti-ne Vestidii prædia? Respondebit alius: Cujus, inquis. Dicis-ne illum, qui in Curibus tantum arat agrorum, quantum non milvus circuire potest. Illum, diis iratis, & genio sinistro natum: qui quandocumque ad compita ventum est, ubi figuntur aratra post jacta semina ut festum celebretur: adit seriam vini veteris: sed tremens & gemens radere limum dicit. Hoc bene sit, & bene vertat: tunc mordens cepe tunicas cum sale, offer farratam ollam pueris, quam illi maximo cum plausu, tanquam opiparum prandium accipiunt: ipse autem fœcem pannosam morientis vini sorbet.

At vero contra. Si sole cures cutem, & unctus jaceas supinus, non deerit ignotus aliquis philosophaster, qui te cubito tangat, & acriter mores detestetur,

testetur, inquiens: Anne hoc ferendum est, ut quis runcans, & depilans penem, & podicem, pandat populo marcidum podicem, quem vulvam populi aptius dixerim? Huic detractori potius hæc quadrarent: Tu quum pectas barbam crispam & prolixam, & unguentis optimis unguas, quur expilas & detondes inguinis gurgulionem, & nates? nam ita horridis pilis vestiuntur, ut a quinque palæstritis aduncis forficibus armatis vix evelli possint, & si revellantur, renascentur sæpius ut filices, quæ nullo possunt aratro extirpari. Sic vivitur hoc ævi: cædimus hostes, & cædentibus terga damus, sic novimus vindicari.

Sed tibi dico, adolescens, tu absconditum sub ilia vulnus habes, sed baltheus lato auro protegit vulnus ne appareat: sed tu progredere, & homines decipe, imo tuos nervos & vires, si potes, ignora. An, ò Persi, non credam toti meæ viciniæ, quæ me aptum & egregium tanto muneri obeundo prædicat? At ego quod aures bibulas popello porrexeris, insanum, & etiam ægrotum ostendam. Tu viso numo palles, tu facis quicquid venit in penem sine mente: tu puteal Libonis, & negotia forensia frequentas: Respue quod non es: qui cerdo est, cerdonicam exerceat. Tecum habita: tunc vere intelligas quam curta supellectile glorieris.

SCHOLIA.

QUibus verbis deterret Socrates Alcibiadem, ne rempublicam capessat adolescens & gubernandi imperitus: iisdem Persius pungit Neronem, sed ne videatur in Neronem dicere, verbis Socraticis oblique utitur. Sed tamen ad ordinem Romanum verba facit dum utitur hac voce, *Quirites.*

p. 282. *Rerum prudentia velox.)* Adag. *Ante barbam doces senes.*

p. 283.

p. 283. *Nigrum præfigere Theta.*) Adagium, *Theta præfigere.*

Anticiras melior.) Adag. *Bibe helleborum.*

Curata cuticula Sole.) Adag. *Curare cuticulam.*

Ut nemo in sese.) Adag. *In se descendere, & non videmus manticæ quod in tergo est.*

Quantum non Milvus oberret.) Adagium est.

Hoc bene sit.) Adag. *Bene sit, & bonæ fortunæ.*

Cum sale mordens cepe.) Adag. *Bulbos quærit.*

Est prope te ignotus.) Adag. *Ignarium dare.*

Elixasque nates.) Adag. *Calidis balneis teneri.*

284. *Cædimus inque vicem præbemus crura sagittis.*) Adag. est, vide etiam adag. *Sphæram inter sese reddere.*

Da verba, & decipe nervos.) Adag. *Dare verba.*

Quicquid venit in penem.) Adag. *Mens in pudendis.* Apud Platonem χρωταφοις ἐν ἰδίοις.

Tecum habita.) Adagium est.

IN SATYRAM V.

Ecphrasis.

QUum aliquando præceptor meus Cornutus me offendisset Musas invocantem, & aliquid supra satyrarum stylum muginantem, sic me increpitabat. Tritus & pervulgatus mos hic est poëtis, ut poscant sibi centum ora, & optent centum linguas ad componenda carmina, sive tragœdia scribatur aperto ore proferenda ab histrione tristem vultum præferenti, sive heroica materia de præliis Parthorum vulneratorum, & ferream cuspidem ab inguine adducentium. Quorsum hæc, aut quantos tumores robusti carminis ingeris, ut æquum sit centum vocibus ad cantandum contendere. Descripturi res grandes colligant nebulas ex Helicone, & inanem Musarum opem invocent, si qui tragœdiam

diam compofituri funt de Progne, quæ marito filii cocti carnes edendas appofuit, aut de Thyeste, cui Atreus frater filium devorandum dedit, recitandam fæpe ab infulfo Glycone. Tu neque premis anhelanti folle ventos, dum ferrum igni coquitur in fornace, nec raucus claufo murmure more cornicum garris inepte tecum grave nefcio quid. Nec intendis rumpere buccas tumidas fcloppo. Sequeris verba paci, & foro convenientia, & acutus concinna verfuum compofitione ferreris ore modico, doctus carpere vitia pallidos homines facientia, & notare liberali joco culpam. Deprome hinc quæ dicas, & relinque Mycenis menfam cum capite, & pedibus, ac cognofce plebeia convivia.

Non equidem, præceptor venerande (dixi) hoc ftudeo, ut bullatis nugis mea pagina turgeat, & fumo dare pondus idonea infletur. Secreti, offerimus nunc tibi animum noftrum examinandum, idque Mufa incitante: & ò Cornute amice, juvat me oftendere tibi, quanta pars animæ meæ fit tua: pulfa, & inquire, ut qui cautus es, & peritus difcernere, quæ verba proficifcantur ex integra mente, & quæ ex adulatricis linguæ prætextu. Ego aufim hic optare centum voces, ut depromam pura & fideli voce, quantum infixi mihi in pectore meo amoris gratiæque capaci, & verba detegant hoc totum, quod non enarrabile reconditum eft in intimis cordis mei penetralibus. Cum primum prætexta a me pavido & fub cuftodis imperio conftituto depofita eft, & bulla donata Laribus, qui caninis induti pellibus fuccinguntur, pependit: cum blandi comites, & pura virilifque toga induta jam permiferunt me vagari licenter per totam Suburram: & cum iter incertum eft, & error nefcius veræ vitæ diducit animos ambiguos in locum, ubi diverfis viis coëuntibus, variæ capiuntur deliberationes: o Cornute, fuppofui me tibi. Tu fufcipis

pis adolescentiam meam philosophico sinu: Tunc moderatio & doctrina tua discipulos ad honesta studia dolis allicere callida, mihi adpli ata, corrigit & emendat pravos mores: & appetitus ratione cohibetur: ac non sine labore a turpibus arcetur: artificiosamque imaginem ex tua informatione accipit. Etenim memini me tecum transegisse longos dies, & decerpsisse tecum epulis primas noctium partes. Ambo simul, & eidem operi intendimus, & requiescimus, severioribusque interdum studiis ad mensam depositis, jocos & sales modeste inspergimus. Non equidem dubites hoc, dies amborum convenire certa conditione, & duci ab uno sidere, sive Parca tenax veri suspendit tempora nostra æquali libra: sive hora nota fidis amicis, efficiendis, digerit in Geminos vitam nostram concordem ex fatis pendentem, & Saturni molestiam Jovis nobis propitii prosperitate simul temperamus, certe sidus aliquod est, quod me concordem tibi facit: quod autem sit nescio. Mille sunt hominum formæ, & dissimilis rerum usus. Sua cuique voluntas est, nec uno voto vivitur. Hic in oriente merces Italicas dat pro rugoso pipere, & granis cumini pallidos facientis. Alius satur vult pinguescere somno, quo velut rivo irrigatur. Alius vacat lusibus campestribus, alium reddunt alia sollicitum: Alius ita rei venereæ dat operam, ut ejus vires resolvantur: verum postquam nodosa chiragra fregerit articulos, manus, & brachia corporis senio confecti, tunc dolentes quæruntur in rerum ignoratione tanquam in tenebris, & in omni luxuriæ genere, veluti in paludibus, ac cœno se vixisse, atque vitam miserabilem morborumque plenam, sibi relictam ingemiscunt. An delectat te ad pallorem usque invigilare libris, quos & noctibus evolvis. Tu enim eruditorum juvenum reples aures eorum vitiis expurgatorum bene attentas philosophia Stoica. O juve-
nes

nes & senes petite ex hac certum finem animo, & viatica ad senectutem miseram alioqui futuram. Hic mihi sic loquitur procrastinator. Hodie voluptatibus indulgebo: cras autem philosophiæ studiis incumbere incipiam. Cui ego: idem cras fiet. Ille rursus: Quid ais? quasi magnum aliquid, nempe diem donas? Cui dicebam ego: Sed quum lux altera venit, jam consumsimus cras hesternum: ecce aliud cras evacuat hos annos vitæ nostræ, & erit ultra, distabitque semper aliquantulum a nobis, ita ut nunquam contingere possimus. Nam sectaberis frustra canthum vertentem sese, quamvis prope te, quamvis sub uno temone concurrendo sis rota posterior, & in axe secundo. Opus est libertate: non hac per quam quisque post quam servire destitit, accepto Publii prænomine, possidet Velina tesserula scabiosum far, sed animi libertate. Heu ignari veritatis, quibus una vertigo facit civem Romanum! Hic Dama est agaso non trium assium, nugator, & lippus, & mendax in re minima. Si Dominus circumegerit hunc, evadit momento vertiginis Marcus Dama. Papæ, tu recusas credere aliis nummos, Marco se sponsorem interponente? palles, & times sub Marco judice causa tua pendente? Et si Marcus dixit: ita est: tu non habens verbis ejus fidem respondes: Marce assigna Tabellas, & doce istud ita esse. Hæc est mera libertas: pilea donant nobis hanc. An quisquam alius liber est, nisi is, cui licet vivere ut vult? Licet autem mihi vivere ut volo, non igitur sum liberior Bruto? Stoicus habens aurem lotam mordaci aceto, beneque purgatam, ac eruditam, inquit tunc, falsse argumentaris. Admitto hæc reliqua, non admitto istud quod inquis licet ut volo vivere, instat ille. Postquam me liberum vindicta prætor fecit, cur mihi non liceat facere quodcunque voluero, his exceptis, quæ leges monent non esse facienda. Disce quæ sit vera liber-

libertas: ſed ira decidat naſo tuo, & rugoſa ſanna, Dum extraho tibi de pulmone anilia deliramenta, quæ diu tenuiſti. Non prætoris eſt dare ſtultis ſubtilia officia rerum, & acuta ſapientiæ præcepta, atque permittere, ut celeris vitæ ſuo utatur arbitrio. Citius fieri poterit, ut prælongus calo ſambucam apte intendat, quam ut prætor ſtultum hominem officiis inſtituat, & vere liberum faciat. Ratio ſtat contra te, & clamat in aurem ſecretam. Ne liceat facere id quod quis dum agit, vitioſe agit. Publica hominum lege & naturali hoc fas conſtitutum eſt: ut etiam inſcii ac rudes, a quibus debeant abſtinere, cognoſcant. Vis temperare elleborum neſciens juſtum pondus adhibere, ars Medicinæ non permittit hoc. Si ruſticus perone calceatus luciferum non cognoſcens, velit gubernare navim, Melicerta exclamet, nihil reliquum eſſe pudori. Si virtus dedit tibi vivere recta ratione, & ſcis diſcernere a vero verum, nequa ſpecies veri auri tinnitu te fallat, cum ſit ſubæratum, & ſi ſignaſti prius creta, quæ eſſent amplectenda, & mox carbone quæ forent e diverſo evitanda. Si es appetitu moderato, humili domo contentus, jucundus amicis, ita ut aliquando liberalitate utaris, & poſſis tranſcendere, contemnereque nummum a pueris in luto fixum, nec cum magna mentis anxietate lucro inhiare quemadmodum guloſus ſapidas epulas appetenter abſumit. Cum dixeris vere hæc officia mea ſunt, & obſervo ea, tum ſis & liber & ſapiens, humano divinoque jure concedentibus. At ſi tu retines veterem pelliculam, cum fueris paulo ante noſtræ farinæ, & præ te ferens boni viri ſpeciem, intrinſecus es fraudulentus, repeto ea quæ dederam tibi ſupra, ſapientiam & libertatem, & vinculis ſervitutis iterum te aſtringo. Ratio nihil tibi conceſſit: exere digitum, & jam peccas. Numquid tam parvum eſt, quàm recte digitum exercere?

Tamen ſi minimum ſit iſtud, tamen nullo ſacrificio a Dis impetrabis, ut brevis ſemuncia rectæ rationis ſit in ſtultis. Miſcere enim ſapientiam cum ſtultitia nefas eſt. Nec poteris ſaltare ad treis tantum numeros Bathylli ſaltatoris, cum ſis foſſor per cætera. Ego ſum liber, inquis: cum tot vitiis ſubjectus ſis, unde tibi libertatem audes aſſumere? An non exiſtimas alium dominum tibi eſſe præter eum, a quo te prætor liberavit?

Si Dominus increpando dixit, ſerve vade, & defer ſtrigiles ad balnea Criſpini. Tu nugaris, & tardaris: nam dura ſervitus nihil perturbat animum tuum, nec aliquid intrat extrinſecus, quod cruciet mentem, ſed ſi Domini naſcuntur intus, & in jecore vitiis corrupto, quomodo tu evadis impunitior, quam hic, quem flagellum, & metus domini impulit ad ſtrigiles in balnea deferendas? Tu piger dormis mane: avaritia inquit, ſurge eia ſurge, ſi recuſas ſurgere, inſtat, & inquit, ſurge. Reſpondes tu piger, nequeo ſurgere. Avaritia ſurge. Piger: En quid agam? Avaritia: Quærisne quid agendum ſit tibi? En advehe ex Ponto ſaperdam, caſtoreum, ſtupas, hebenum, thus, Coa vina ventrem laxantia. Tolle primus è ſitibundo camelo recens piper. Muta aliquid, jura. Piger: Sed ſi pejeravero, Jupiter audiet. Avaritia: Heu, heu, ſtulte, minuſque recte ſentiens, ſi vis vivere ex deorum præceptis, perages vitam in magna rerum egeſtate, contentus terebrare digito ſalinum iterum iterumque guſtatum. Audi rurſus. Jam ſuccinctus aptas ſervis tuis manticam, & vaſculum vinarium ut curras ocyus ad navem: nihil obſtat, quin raptum naviges Ægeum mare, niſi cauta luxuria moneat prius te ſecreto. Inſane, quò ruis? quò? quid tibi vis? Tuum certe pectus atra bile intumuit, quam non integra urna hellebori ſedare poterit. Tune celeriter naviges trans mare? ubi cœnandum ſit

sit tibi fulto fune nautico in transtro? & lata obba exhalet tibi vilissimum vinum vapida pice corruptum? Cur petis, ut nummi, quos nutrieras hic modesto lucro, perficiant tibi magno labore grandes summas, quibus partis fias avarior? Vaca voluptati, fruamur dulcibus & jucundis. nobis debes, quod vivis, fies cinis, umbra, & fabula. Vive memor mortis, hora celeriter præterit: hoc temporis, quod loquendo consumo, est de ea. Vides dominos. En quid agis? scinderis duobus hamis in diversum. Sequerisne hunc Dominum, an hunc? Oportet ut incerto servitio, modo illi vicissimque dominis tuis apparens obedias. Et quamvis tu obstiteris semel, ac recusaveris obsequi instanti imperio; ne tamen dixeris, rupi jam vincula, & liber evasi. Quemadmodum nec canis, si catenæ nodum luctando abruperit, quamvis fugiat, libera est: quia magnam partem catenæ a collo trahit, qua iterum paulo post capiatur, sic tu si semel atque iterum vitiis obstiteris, non propterea te ab eis liberum esse putes, cum ab illis non multo post iterum illigeris.

Chrerestratus abrodens crudum unguem, & meditabundus ait hæc ad Davum servum suum: Dave, mihi hoc quod jam dicam credas: Meditor finire dolores, quos antehac passus sum. An obstem dedecus cognatis meis sobriis? An diminuam patrimonium meum non sine infamia in meretricia domo, dum ebrius canto ante fores Chrysidis unguento madidus cum face extincta? O puer (inquit Davus) Euge, sapis macta agnam Castori & Polluci diis stultitiam amoventibus. Cherestratus: Sed, Dave, num existimas Chrysidem ploraturam, cum fuerit a me relicta? Davus. Nugaris, tu tanquam puer castigaberis a Chryside rubra solea, ut non ausis postea moveri, & rodere arctos casses. Nunc es ferus, & violentus, sed si Chrysis te revo-

cet, mox dicas. Quid igitur faciam ne nunc quidem, cum accersor ultro, & ipsa mihi supplicat. Si ergo evaseris toto, & integro ex animo ex amore illius meretricis, nunc nunc, hic hic vera libertas, quam quærimus est: non autem in vindicta prætoria, qua ineptus lictor consulis gloriatur, quia manumissus est.

Nunquid liber est ille adulator, quem candidatum, & honoribus inhiantem trahit ambitio. Vigila, inquit illa, & ingere copiose legumina populo rixanti, ut senes apricantes possint meminisse nostra Floralia. Quid possit esse honestius? Poëta. Sed cum Judæorum feriæ venerunt & lucernæ violis ornatæ, dispositæ in fenestra oleo peruncta, exhalarunt pingues vapores, & cauda thynni amplexa rubrum catinum natat: & alba fidelia vini plena est, tacitus oras, & ob jejunium Judaicis sabbatis servatum palles. Tunc nigri lemures, & pericula, quæ timentur, si putamen ovi cineribus impositi ruptum fuerit, tunc maxime venerandi Cybeles sacerdotes, & lusca sacerdos Isidis cum sistro metum deorum, corpora variis morbis inflantium incusserunt, si non gustaveris ter mane caput allii prædictum tibi a sacerdotibus. Si dixerit hæc, quæ ad veram libertatem pertinent, inter laboriosos milites, statim magnus Vuphenius ridet vehementer, & centum philosophos vix centum assibus æstimat.

SCHOLIA.

p.284. VAtib. hic mos.) Cornutus inducitur objurgans Persium quod a Satyra scribenda se velit abstinere, dum alia majora cupiat conscribere, vide adag. *Ferreus. Æneus.*

Bullatis nugis.) Adag. *Bullatæ nugæ.*

285. *Pulsa dignoscere.*) Adag. *Qualis vir, talis oratio.*

Sinuoso in pectore.) Adag. *Aperto pectore.*

Ducit

Ducit sub pollice vultum.) Adag. *A manu fingere*, & *Cera tractabilior.*

Seu nata fidelibus hora.) Leg. *nota fidelibus*, id est, satis nota his, qui sunt inter se fidi.

Mille hominum species.) Adag. *Quot homines, tot sententiæ.*

p. 286. *Hanc nobis pilea donant.*) Adag. *Ad pileum vocare.*

Licet ut volo vivere.) Cic. *lib.* 1. *offic. Libertate uterentur, cujus proprium est sic vivere ut velis.*

Disce, sed ira cadat naso.) Adag. *Naso suspendere.*

288. *Vive memor lethi.* Horatius *in sermonib.*

Carpe viam: mihi crede: comes: terrestria quando
Mortales animas vivunt sortita: neque ulla est
Aut magno, ut parvo lethi fuga, quo, bone, circa
Dum licet: in rebus jucundis vive beatus:
Vive memor: quam sis ævi brevis. Martial.
Frange toros: pete vina: rosas cape: tingere nardo:
Ipse jubet mortis non meminisse Deus. Idem.
Vive velut rapto, fugitivaque gaudia carpe.

IN SATYRAM VI.

Ecphrasis.

NUm te Basse brumale frigus admovit foco Sabino? mire artifex intendere numeris antiquas, & quæ priscis Italiæ gentibus in uso fuerunt, voces, ac virilem, minimeque enervatum Latine Lyræ cantum: & ad agitandos mox juveniles jocos, atque ad canenda perito pollice egregia senum facinora. Num Lyra, & fides resonant jam tibi tetrico pectine? Mihi nunc Liguriæ extremitas aërem temperatum præbet. Ligusticum mare, prope quod natus sum, hybernandi locum concedit:

in ea parte, qua excelſi montes dant magnum latus, & littus multis vallibus recurvatur. Libenter hic illud mihi venit in mentem, *Lunai portum eſt operæ cognoſcere cives*, ut Ennii cor jubet, poſtea quam excitatus eſt e ſomno, quo ſibi viſus eſt eſſe Homerus, Quintus ex pavone Pythagoreo. Ego ſecurus vulgi hic, & quid noxius auſter præparet pecori: & ſecurus, quod ille angulus vicini ſit fertilior meo: tametſi omnes pejori genere nati multum diteſcant: tamen nolim incurvatus confici ſemper triſtitia ob id, aut cœnare ſine deliciis & tangere naſo ſignum in vapida lagæna. Alius diſſentiat ab iis moribus, & ſtudiis noſtris. Nam & gemini ſub eodem Horoſcopo nati diſſimili ſunt ingenio: eſt aliquis, qui vafer tingat ſolis natalibus holus ſiccum vili liquaminis genere emto in calice, quæ muria dicitur, ipſe tanquam ſacrum, & non attingendum piper, ad ſimilitudinem roris inſpergens patinæ demittat. Alius audax puer dentibus conſumit grandia bona. Ego vero rebus meis utar: utar inquam, nec ideo lautus ero ad apponendos libertis meis rhombos piſces apprime precioſos, nec ſollers ad cognoſcendum tenuem turdorum ſaporem: vive pro qualitate, & conditione, proventus tui: & emole frumentum in granariis repoſitum: fas eſt id facere: quid timeas? Diminuerem & egenis diſtribue: en altera ſeges eſt in herba. Amicus inops implorat officium tuum, navi enim fracta apprehendit ſaxa Brutii littoris, & condidit in Ionio mari omnia bona, & vota ſuperis non exaudita. Ipſe jacet in littore, & ſimul cum eo magna Deorum ſimulacra de puppe erepta: jamque pars fractæ navis occurrit mergis & aliis avibus aquaticis. Diminue nunc aliquid non ſolum de reditibus, ſed etiam de virenti agro, quem poſſides: largire inopi amico, ne ferens naufragium in tabula depictum, oberret, ad ſtipem undique corrogandam.

dam. Sed hæres iratus, quod diminueris rem, negliget epulum funebre, & committet urnæ ossa tua unguento non perfusa, paratus nescire, sive cinnama spirent odorem, qui vix sentiatur, sive casiæ ceraso sint adulteratæ. An deceat te incolumem diminuere bona? Sed Bestius accusat Philosophos: ita fit (inquit) postquam hæc sapientia nostra citra navigationem, & maris periculum invecta est urbem cum pipere, & palmis: ex illo tempore etiam messores crasso unguine unxerunt pultes. O avare, qui studes hæredi plurimum relinquere, cur, quæ ultra mortem sunt metuas? Atque quicunque eris meus hæres, secrete paulum a turba seductus audi, o bone num ignoras? Laurus missa est a Cæsare ob insignem cladem Germanorum, & frigidus cinis excutitur ex aris: Et Cessonia uxor Caligulæ disponit in postibus templi arma & chlamydes regum, & captivum gausapa crocei coloris, & esseda, ingentesque Rhenos. Diis igitur, & Genio tanti ducis centum paria gladiatorum ob res bene gestas, inducam. Quis vetat fieri? Quis prohibet? aude vetare mihi. Veh tibi, nisi permittis, largiri volo plebi oleum, & artocreas, an prohibes? Dic clara voce: non audeo, inquis, prohibere, quo minus facias, ne saxis cædar, quorum plenus ager propinquus est. Age, si nulla ex amitis jam reliqua est mihi, nulla patruelis, nulla proneptis ex patruis manet. Si matertera vixit sterilis, & nihil de avia superest, accedo ad Bovillas, & clivum Virbii: Mannius terræ filius præsto est hæres mihi. Quære ex me quis abavus mihi sit, haud prompte quidem, tamen dicam tibi. Quod si atavum, tritavumque addideris, ad eum tandem venies, cujus parens ignoretur, atque ob id terræ filius habeatur, & ita hic Mannius, quem dixi, terræ filium, evadit mihi prope major avunculus, ritu generis. Cur tu me natu grandior meam captas hæreditatem, cum

tuam expectare potius debeam? Sum Mercurius tibi, ego venio Deus huc, Sicut ille pingitur. An renuis accipere quæ tibi affero? Visne tu gaudere bonis, quæ reliquero? Supputa tecum hanc rationem. Si deest aliquid pecuniarum summæ, mihi deest, non tibi: nam tibi totum est, & solidum quod ex hæreditate acquiritur. Ne quæras ubi illud quod mihi olim legavit Stadius. Nec me more patrum objurges, qui sic instant: ubi est fœnoris merces? etiam si inde sumptus excerpas? Quid restat ex tantis opibus? Quid reliquum est, rogas? ob hoc solum verbum nihil, si possum, tibi relinquo. Accede huc, puer: opipare in posterum volo tractari: ungue caules majore sumtu. An ego parcens sumptibus in diebus festis urticautar, & rancida syncipitis aure vescar: ut tuus iste nepos albi anseris extis expletus, quum Venerea libidine incitetur, rem habeat cum fœmina patricio genere nata? An ego macilentus vivam, ut illi consumtori tremat omento venter, ut poppis? Vende animam lucro, ut locupletes hæredem: mercare, atque omne latus orbis sollicita cura exerce. Cura ut ne sit alter potior alendis Cappadocibus servis in pingui catasta. Rem duplica: id si feci, si res jam est duplex, si quadruplex, si decies multiplicata est: nullus tamen præstitutus est multiplicandi terminus: depinge mihi o Chrysippe (tu qui Soritis implicitis terminum statuere invenisti) quo loco in divitiis accumulandis sistere debeamus.

SCHOLIA.

p. 290. MOx *juvenes agitare jocos.*) Admonui sæpe non esse apud grammaticos nomina communia duobus generibus. *Adolescens*, *Juvenis*, *vigil*, *pugil*, adjectiva sunt: ut, *vigiles oculos*, *juvenes annos*, *infantes pueros*, &c.

Lunai

Lunai portum.) Versiculus integer ex operibus Ennii desumptus: quod ignorarunt interpretes.

Securus & Angulus ille.) Adag. *Fertilior seges aliena in agro.*

p.291. *Nec tenuem solers.*) Adag. *Salivam imbibere.*

Messe tenus propria vive.) Adagium est.

De cespite vivo frange aliquid.) Idem est ac si dicat: de ara ipsa & de ipso sacrificio, tolle ut largiaris inopi.

Fœnisecæ crasso.) Id est, postquam advenerunt, philosophi in hanc urbem, etiam messores fœni unxerunt caules, & pultes oleo large.

292. *Præsto est Mannius hæres.*) Adag. *Multi manii Ariciæ.*

Progenies Terræ.) Adag. *Terræ filius.*

Qui prior es, cur lampada.) Adag. *Cursu lampada tradere.*

Venio Deus huc ego.) Adagium, *homo homini Deus.*

Fumosum Synciput.) Hæc vox *Synciput* vel *Sunciput*, male torquet grammaticos, dum disquirunt, quæ pars sit capitis; est autem Synciput, suis caput. Plautus per catachresin, de adolescente dixit, in *Mænech. Adolescens tibi sanum non est synciput.*

Hæc sex carmina ultima sextæ Satyræ, nunquam satis percepta sunt ab interpretibus. Invehitur Persius in immoderatam habendi cupiditatem, & cum avaros reprehendat, in se dirigit jacula: Quemadmodum in principio carpens poëtas de se loqui videtur.

Tritum est & pervulgatum divitiarum non statui terminum: nam ut inquit ille: *Cum possideant plurima, plura petunt.* Et Solon (ut citat Arist. *lib.*1. *polit. cap.*5.) *Divitiarum Homini finis non cernitur ullus.* Hunc versiculum subsannat Arist. dicitque non esse philosophicum, sed vulgare, Nam pecuniæ sunt instrumenta rerum: & instrumentum cujus-

libet artis infinitum esse non debet. Itaque si pecuniæ expetuntur ut finis & per se, nullus erit terminus constitutus. Qui Scopus agitat semper avaros: At vero sapiens, qui pecunias ad res necessarias conquirit, modum omnino illis, & terminum debet statuere. Propterea Persius Chrysippum inclamat, ut statuat finem quærendi divitiarum, quandoquidem ipse suos Soritas solus novit explicare.



ANGELI POLITIANI SILVÆ.

NUTRICIA. RUSTICUS.
MANTO. AMBRA.

CUM SHOLIIS

FRANCISCI SANCTII BROCENSIS,

in Inclyta Salmanticensi Academia Latinæ, Græcæque Linguæ Primarii Doctoris.

Juxta Exemplar Salmanticæ ann. 1596.

GENEVÆ MDCCLXV.

LICEN-

LICENCIA.

EL Maestro Doctor Francisco Sanchez, Canonigo de la sancta Iglesia Cathedral de la ciudad de Salamanca, Cathedratico en la Universidad della, Provisor y Vicario general en la ciudad de Salamanca y su Obispado, por el Dean y Cabildo de la dicha sancta Iglesia, sede episc. vacante, &c. por la presente damos licencia a qualquier impressor de libros, para que pueda imprimir un libro llamado *Angeli Politiani Silvæ*, con Annotaciones del Maestro Francisco Sanchez Cathedratico jubilado de Rhetorica en la dicha Universidad, guardando las leyes y Pragmaticas del Reyno, attento que es libro que se lee en las Universidades, y ha sido ya impresso en esta ciudad &c. Dada en Salamanca a 15. de Junio de 1596.

El Maestro Doctor FRANCISCO SANCHEZ.

LUYS PEREZ.

D. ANTO-

D. ANTONIO DE GUEVARA

Priori Sancti Michaëlis de Scalada,

FRANCISCUS SANCTIUS BROCENSIS S. P. D.

QUI Lucubrationes, & vigilias suas principibus viris dicant, eo præcipuè nomine, ut ab invidorum morsibus, & sugillationibus muniantur: næ illi mihi videntur invidiæ naturam, & ingenium penitus ignorare: qui, ut inquit Martialis, contra retiarium ferula se defendere perseverent. Tanta enim est invidiæ procacitas, & impudentia, ut etiam in altissima, & perfectissima quæque virus evomat, & jaculetur: tantum abest, ut metu, & autoritate magnorum virorum perterrita se contineat, aut expavescat. I nunc & ab illis, qui cum hac teterrima fera ita colluctantur, ut pro triumpho ducant, si latere tecto ab illa discedant, auxilium, aut defensionis opem implora. Longe mihi alia mens est, qui neque invidiam curo, neque contra illius inanem conatum defensionem: imò verò tunc mihi placeo, gaudeo, & exulto: quum rodor, vellicor, invideor. Invident enim mihi certò scio, quia se vident relictos, & in eo, quo sese aliquid esse credebat, oppressos. Verum enim illud Horatianum:

Urit enim fulgore suo qui prægravat artes
Infra se positas, extinctus amabitur idem.

Neque mirum cuiquam videri debet, si tam invidiam spreverim, & calcaverim, qui jam diu Fortunæ, quam purpurei metuunt tyranni, mandarim laqueum, & ut inquit ille, medium ostenderim unguem. Qui

quum


quum doctoratus insignia suscepi, publicè hoc distichon proposui defendendum:

Fortuna & Casus vulgo venerabile Numen.
Este procul, tantum nomen inane mihi.

Aliæ igitur mihi dicandi causæ: primum quia tu exigis: deinde, ut tuis innumeris in me beneficiis grata saltem memoria respondere credar, & tu is es, qui tum demum me retulisse gratiam putes, quum memoria tenebo. Vive, vale: & in invidia aut toleranda, aut vilipendenda si mea opera uti velis, aut consolando, aut consilio aut re juvero.



ANGE-



ANGELUS
POLITIANUS
ANTONIOTTO GENTILI,

TT. Sanctæ Anaſtaſiæ presbytero Cardinali Aurienſi. S.

PARVUM quidem tuo nomini libellum dedico, ſed (ut ſpero) nec inanem rerum, nec inopem. Multa & remota lectio, multa illum formavit opera. Titulum *Nutricia* diximus. Qua figura & Statius *Soteria*. Plenior hic enim mihi viſus, & argumento cohærentior, quam qui olim placuerat, *Nutrix*. Tu vero electus potiſſimum, in cujus appareat nomine, non quò rem tantillam tantæ virtutis fortunæque convenire arbitrer, aut hoc eſſe denique putem, quod tuis erga me meritis debeatur: verùm cùm prodire nollet hic in publicum liber ſine patrocinio, tuum præcipuè ſibi nomen inſcripſit, ex quo tutior foret atque honeſtior. Quare ſuſcipe quæſo quicquid hoc eſt mei fœtus, qua me quoque ipſum ſoles humanitate. Deinceps autem plura, melioraque forſitan accipies, modò hunc primum quaſi guſtum non aſperneris. Nec enim vel ignoro, vel diſſimulo, quantum tua mihi apud Innocentium Pont. Max. ſuffragata ſit

auto-

autoritas, cui quidem & ipsi quotidiè à me, si non par gratia, certè aliqua tamen pro virili parte, scribendo saltem, beneque & sentiendo, & eloquendo refertur. Vale.



ANGE-

ANGELI POLITIANI

SILVA,

Cui Titulus,

NUTRICIA.

Argumentum, de Poëtica, & Poëtis.

STAT vetus, & nullo lex interitura sub ævo
Divorum, atque hominum concors, incîdit in auro
Scilicet hanc natura parens, dictasse feruntur
Fatorum consulta Themis, solersque futuri
Nondum Caucasea pendens de rupe Prometheus.
Quæ gratos blandæ officio nutricis alumnos
Esse jubet, longumque pia mercede laborem
Pensat, & emeritis cumulat compendia curis.
Hinc Italos Phrygio signavit nomine portus
Caietæ memor Æneas: hinc urbe Quirini
Annua cinctutos nudabant festa Lupercos.
Hinc pater astrigero Dodonidas intulit axi
Bacchùs Agenoreo facturus cornua tauro.
Hinc jubar Olenium ratibus pelagoque pavendum
Exoritur, siquidem Cretæa fertur in Ida
Capra Jovem puerum fidis aluisse papillis.
Ast ego, cui sacrum pleno dedit ubere nectar,
Non olidi conjunx hirci, non rava sub antris
Bellua, non petulans nymphe, non barbara mater,

Sed

Sed dea Pieridum consors, & conscia magnæ
Pallados, humanas angusta Poëtica mentes
Siderei rapiens secum in penetralia cœli:
Quas rogo, quas referam grates, quæ præmia tantæ
Altrici solvisse queam, nec fulminis autor,
Nec thyrsi, sceptrique potens? quònam improba ducis
Mens avidum? quò me pietas temeraria cogis
Attonitum? quinam hic animo trepidante tumultus?
Fallor? an ipsa aptum dominæ præcordia munus
Parturiunt ultro, vocemque, & verba canoro
Concipiunt sensim numero, inlibataque fundunt
Carmina, nunquam ullis Parcarum obnoxia pensis?
Sic eat. En agedum quà se furor incitat ardens.
Quà mens, quà pietas, quà ducunt vota sequamur.
Intulerat terris nuper, mundoque recenti
Cura Dei sanctum hoc animal, quod in æthera ferret
Sublimes oculos, quod mentis acumine totum
Naturæ lustraret opus, causasque latenteis
Eliceret rerum, & summum deprenderet ævi
Artificem, nutu terras, maria, astra regentem,
Quod fretum ratione animi substerneret uni
Cuncta sibi, ac vindex pecudum, domitorque ferarum
Posset ab ignavo senium defendere mundo.
Neu lento squallere situ sua regna, neque ægram
Segnitia pateretur iners languescere vitam.
Sed longum tamen obscuris immersa tenebris
Gens rudis, atque inculta virum, sine more, sine ulla
Lege propagabant ævum, passimque ferino
Degebant homines ritu, visque insita cordi
Mole obsessa gravi, nondum ullos promserat usus:
Nil animo, duris agitabant cuncta lacertis.
Nondum relligio miseris (si credere fas est)
Non pietas, non officium, nec fœdera discors
Norat amicitiæ vulgus, discernere nulli
Promptum erat ambiguo susceptam semine prolem.
Non thorus insterni genio, non crimina plecti
Judicio, nulla in medium consulta referri:

Non

Non quæri commune bonum, sua commoda quisque
Metiri, sibi quisque valere, & vivere sueti:
Et nunc ceu prorsus morientem vespere sero
Ignari flevere diem, nunc luce renata
Gaudebant ceu sole alio, variosque recursus
Astrorum, variam Phœbem, sublustris in umbra
Noctis, & alternas in se redeuntibus annis
Attoniti stupuere vices, insignia longum
Spectabant cœli, pulchroque à lumine mundi
Pendebant causarum inopes, rationis egentes:
Donec ab ætherio genitor pertæsus Olympo
Socordes animos, longo marcentia somno
Pectora, te nostræ divina Poëtica menti
Aurigam, dominamque dedit, tu flectere habenis
Colla reluctantum, tu lentis addere calcar,
Tu formare rudes, tu prima extundere duro
Abstrusam cordi scintillam, prima fovere
Ausa Prometheæ cœlestia semina flammæ.
Nam simul ac pulchro moderatrix unica rerum
Suffulta eloquio dulcem sapientia cantum
Protulit, & refugas tantùm sonus attigit aures.
Concurrere ferum vulgus, numerosque modosque
Vocis, & arcanas mirati in carmine leges
Densi humeris, arrecti animis immota tenebant
Ora catervatim, donec didicere, quid usus
Discrepet à recto, qui fons, aut limes honesti
Quive fide cultus, quid jus æquabile, quid mos,
Quid poscat decor, & ratio, quæ commoda vitæ
Concilient inter se homines, quæ fœdera rebus,
Quantum inconsultas ultra solertia vires
Emineat, quæ dein pietas præstanda parenti,
Aut patriæ, quantum juncti sibi sanguinis ordo
Vindicet, alternum quæ copula servet amorem.
Quod gerat imperium, fractura Cupidinis arcus,
Atque iras domitura truces, vis provida veri,
Vis animæ, celsa quæ sic speculatur ab arce,
Ut vel in astrigeri semet præcordia mundi

Insinuet, magnique irrumpat claustra Tonantis.
Agnorant se quisque feri, pudibundaque longum
Ora, oculos, taciti inter se, immotique tenebant.
Mox cunctos pariter morum, vitæque prioris
Pertæsum, ritusque ausi damnare ferarum,
Protinus exeruere hominem, tum barbara primum
Lingua novos subiit cultus, arcanaque sensa
Mandavere notis, multaque tuenda virûm vi
Mœnia succinctus populis descripsit arator.
Tum licitum, vetitumque inter discrimina ferre,
Et precium laudi, & noxæ meditantia pœnam
Vindicibus cœptum tabulis incidere jura.
Mox & dictus Hymen, & desultoria certis
Legibus est adstricta Venus, sic pignora quisque.
Affectusque habuere suos, bellique, togæque
Innumeras commenti artes, etiam æthera curis
Substravere avidis, etiam famulantibus altum
Inseruere apicem stellis, animoque rotatos
Percurrêre globos mundi, & sacra templa per orbem
Plurima lustrato posuerunt denique cœlo.
Sic species terris, vitæ sua forma, suusque
Diis honor, ipsa sibi tandem sic reddita mens est.
An verò ille ferox, ille implacatus, & audax
Viribus, ille gravi prosternens cuncta lacerto,
Trux vitæ, præceps animæ, submitteret æquo
Colla jugo, aut duris parêret sponte lupatis,
Ni prius indocilem sensum facundia victrix
Vimque reluctantem irarum, flatusque rebelles
Carmine mollisset blando, pronisque sequentem
Auribus, ad pulchri speciem duxisset honesti?
Quippe etiam stantes dulci leo carmine captus
Submittit cervice jubas, roseamque dracones
Erecti tendunt cristam, & sua sibila ponunt.
Ille quoque umbrarum custos, ille horror Averni
Cerberus, audita Getici testudine vatis,
Latratum posuit triplicem, tria sustulit hiscens
Ora novo stupidus cantu, qui flexerat atram

Tisiphonen, saevo lacrimas conciverat Orco.
Ipsum fama Jovem, cum jam Cyclopea magna
Tela manu quatit insurgens, tonitrumque coruscat
Horrisono, & caecis miscet cava nubila flammis:
Ut tamen increpuit nervis, & pectine pulcher
Delius; alternumque piae cecinere sorores,
Placari, totumque sua diffundere mundum
Laetitia, & subito caelum instaurare sereno.
Nunc age, qui tanto sacer hic furor incitet oestro
Corda virûm, quam multiplices ferat Enthea partus
Mens alto cognata polo, qui praemia doctae
Frontis Apollineas ausi sibi nectere lauros:
Inclyta perpetuis mandarunt nomina seclis,
Expediam, faveat pulcro nunc musa labori:
Musa quies hominum, divûmque aeterna voluptas.
Juppiter (ut perhibent) liquidi per & ignea mundi
Templa, per & stellis radiantibus aethera fixum,
Aurarumque animas, sola terrae, & caerula ponti
Dissitus, errantes citharae vice temperat orbes,
Ac rapidum imparibus cursum rotat intervallis.
Quem rata pars tamen, & certum confine diremit.
Hinc nostro major captu sonus exit, acutas
Compensans gravibus septem in discrimina voces,
Stellantesque globos, sua quaeque innoxia Siren
Possidet, ambrosio mulcens pia numina cantu.
Nec tamen in nullis hominum simulacra refulgent
Mentibus, arcanam caeli testantia musam,
Permixtumque Jovem, nam ceu tralucet imago
Sideris in speculum, ceu puro condita vitro
Solis inardescit radio vis limpida frontis:
Sic nitidos vatum defaecatosque sonori
Informant, flammatque animos modulamina caeli.
Is rapit evantem fervor, fluctuque furoris
Mens prior it pessum, tum clausus inaestuat alto
Corde Deus, toto lymphatos pectore sensus
Exstimulans, sociumque hominem indignatus, ad imas
Cunctantem absterret latebras, vacua ipse potitus

Sede, per obsessos semet tandem egerit artus;
Inque suos humana ciet praecondia cantus.
Non illos cycnaea Mele, non Daedala chordis
Apta fides, non quae duplici geniale resultant
Naula citata manu, non vincat dulcior ille
Flatus inaequales digitis pulsantibus implens
Compresso de folle tubas, pius aemula contra
Jubila cui referunt chorus, alternisque lacessunt.
Agnoscas properè numen, suspirat anhelo
Grandior ore sonus, quantusque impleverit antrum
Phoebados, aut rupem Euboicam, nec Martius illum
Terrificum clangens rauci canor aeris obumbret,
Nec tonitrus Jovis, aut petulantibus incita flabris
Ossaeo pineta jugo, Nilive ruentis
Exsurdans vicina fragor: mirantur & ipsi
Saepe (quis hoc credat?) quae nupercumque recepto
Numine, legitimi cecinêre oracula vates:
Calligatque animus visis, nec vindice lingua
Defendunt sua dicta sibi, postquàm ille quievit
Spiritus, & pressi tacuit sacer impetus oris.
Ipsaque Niliacis longûm mandata papyris
Carmina Phoebeos videas afflare furores,
Et coeli spirare fidem, quin sancta legentem
Concutiunt parili turbam contagia motu,
Deque aliis alios, idem proseminat ardor
Pectoris instinctu vates: ceu ferreus olim
Annulus arcana quèm vi Magnesia cautes
Sustulerit, longam nexu pendente catenam
Implicat, & caecis inter se conserit hamis.
Inde sacros musarum amnes Heliconia Tempe
Multisoni celebrant numeroso gutture cygni,
Prima tamen dubias fuderunt carmina sortes.
Quippe etiam antè Jovem sagis instincta resolvit
Ora sonis Nereus, Nereus quem prisca marinum
Dictat fama senem, tuque ò consulte Prometheu,
Qui tenuem liquidis ignem furatus ab astris
Mirantem frustrà Satyrum, captumque decoro

Lumine, ne flammæ daret oſcula blanda, monebas.
Mox quoque Phocaico verum mugivit ab antro
Alma Themis, qua rupe pares utrinque volatus
Armigeræ poſuêre Jovis, tum Juppiter ipſe
Fatidico movit cantu Dodonida quercum,
Præſciaque in Libycis concuſſit cornua lucis.
Moxque Lycaonias Pan carmine terruit umbras.
Carmen Apollinei tripodes, lauruſque locutæ,
Quæque coronatum ſonuere Phileſia Branchum;
Paſtorem Branchum, tribuit cui gratus amorum
Sortilegas voces admiſſus ad oſcula Pæan.
Et ſua per carmen ducibus reſponſa Latinis
Notivagus cecinit calcato vellere Faunus.
Vos quoque per carmen triplices oracula Parcæ
Veſtra datis, quin & veteres prompſere Sibyllæ
Carmen, Amalthea, & fati Marpeſia dives,
Herophileque, Idæa genus, prædoctaque Sabbe,
Demoque, Phygoque, & veri gnara Phaënnis.
Et Carmenta parens, & Manto, & Pythia longos
Phemonoë commenta pedes, & filia Glauci
Deiphobe, nimium vivax, & Martia fratrum
Nomina, lymphatuſque Bacis, ſubterque triones
Natus Hyperboreos Olen, inque Atthide terra
Clarus honore Lichas, Dodoniadeſque columbæ.
Nam quid ego innumeras variantem Protea formas,
Sed dubio riſus vultu, lacrimaſque peroſum?
Quidve loquar te, Glauce, ſenex? plenumque parente
Idmona, fulminei proſtratum dentibus apri?
Ampycidemque pium, Libycis quem fudit arenis
Vipera fatifero fauces accenſa veneno?
Quid te, cui volucrum linguæ patuere, Melampu?
Quid, cui poſt viſos nudatæ Pallados artus
Cernere nil licitum? quid quem impia prodidit uxor,
Hoſticaq; hauſit humus? quiq; alto in melle necatum
Reſtituit luci, quo nuper vixerat anguis,
Gramine Minoum Dictæo carcere Glaucum?
Aut qui mille rates peritura ad Pergama duxit

Thestoriden? aut qui magica fera murmura lingua
Ingeminans, liquido deduxit ab æthere fulmen
In caput ipse suum, propugnarique bidental
Jussit, Achæmenium servantia busta tiaram?
An memorem Solymos prælustria nomina vates:
Psallentemque Deo Regem, qui turbine fundæ.
Icta Philistæo secuit puer ora giganti?
Teque Palestini laqueantem culmina templi
Mentis, opumq; potens Salomon, nec odora tacentem
Oscula sollicito languentis amore puellæ?
Pars hymnos fudere deo, sic maximus ille
Nondum clara sacris radiatus tempora Moses
Ignibus, ut rubras sicco pede transiit undas,
Demerso insignem cecinit Pharaone triumphum.
Tuque puer modo dicte mihi Jessæe vicissim
Dulcia terribili mutans Psalteria bello,
Voce deum placas, ut quos Babylone rebelli
Lambit in horrisonis non noxia flamma caminis.
Quosque alios veteris gens servantissima ritus,
Retrorsum Judæa legit: sed enim æthera magnum,
Custodesque alii genios (ita jusserat error
Publicus) innumerosque lares, functosque sepulchris
Mille deos, variisque animatum partibus orbem,
Heu frustra coluere pii, veniamque rogantes:
Qualiacunque suo placabant numina cantu.
Mox chaos & teneri prima incunabula mundi,
Et divûm genus, atque hominum, & Titania secla
Non humili dixere tuba, quoque edita partu
Gramina, frondiferumq; nemus, gentesque ferarum,
Quidve parens natura agitet, quosve aurea ducant
Astra choros, ut se fraternis Delia flammis
Induat, & radiis eadem mox depleat haustis.
Quæ cœlo portenta volent, quemve ille tumultum
Misceat, aut quantis varietur ab ignibus aër,
Quo saliat quassante solum, qui torqueat error
Oceani refluas undas, molemque natantem.
Inde sacrosanctas modulati carmine leges,

Multisonum fecêre Nomon, nec vulnera tantum,
Sæva, sed & cæcos vincebant carmine morbos
Sacrifici quondam nec diis ignara poëtæ
Nomina. Quin magicas arcano murmure linguas
In varios duxere modos: nec fabula mendax
Parrhasio lapides movisse Amphiona plectro,
Orpheos atque lyram curva de valle secutas
In caput isse retrô liquido pede fluminis undas,
Cumque suis spelæa feris, cum rupibus ipsis
Dulcia Pierias properasse ad carmina fagos,
Quæque avis applauso libraret in aëre pinnas,
Penè intercepto vix se tenuisse volatu.
Illius argutis etiam patuere querelis
Tartara, terrificis illum villosa colubris
Tergemini stupuere canis latrantia monstra.
Tum primùm & lacrymas invita per ora cadentes
Eumenidum, Stygii conjunx mirata tyranni
Indulsit vati Euridicem, sed muneris usum
Perdidit, heu duræ nimia inclementia legis.
At juvenem postquàm Thressarum injuria matrum
Frustrà suave melos, frustrà pia verba moventem,
Dispersit totis lacerum furialiter agris,
Cùm lyra divulsum caput à cervice cruenta
Heu medium veheret resonans lugubre per Hebrum,
Relliquias animæ jam deficientis amatam
Movit in Euridicen, tamen illam frigidus unam
Spiritus, illam unam moriens quoque lingua vocabat.
Lesboum stupuit vulgus, cùm flere natantes
Sponte fides, atque os domini vectare cruentum
Vidit, & heu lassis velut aspirare querelis.
Improbus hanc stultè chelin affectare Neanthus
Ausus, Apollinea pendentem substulit æde.
Quem tamen in docto ferientem pollice chordas
Vindice discerpsit rictu nocturna canum vis.
Illa recepta polo, ceu quondam saxa nemusque,
Sic nunc stelliferis agit aurea cornibus astra.
Quin & Pellæi quondam præsaga triumphi

Delicuit sudore sacro Libethris imago.
Tantus honor Getico fuit, & post funera, vati.
At tu, qui merito dulcem cratera magistro
Obtuleras, volucri penetrans in secula fama,
Cantando trahis Elysios, Musæe, minores.
Contrà autem indocilem nimis execratur alumnum,
Immemoremque Linus vocat, ingratumque laborum
Amphitryoniaden, qui quondam triste perosus
Doctoris magni imperium, veneranda rebelli
Contudit ora lyra, & clamantem plurima frustrà,
Tendentemque manus, obtestantemque peremit.
Heu non ista piæ meritum sibi præmia linguæ.
Jam Methymnæum vatem delphine revectum,
Jam Thamyram cantu doctas anteire sorores
Fretum, mox citharæ damnatum, & luminis orbum
Quis nescit? princeps idem (ni vana vetustas)
Ad faciles venerem inlicitam convertit ephebos,
Insignemque sacro tulerat certamine palmam
Tertius: hoc etenim Cirrhæus honore Philammon.
Claruit ante pater: sed Cres prævenerat ambos
Chrysothemis: nam Demodoci vivacior ævo
Fama Meletæis gaudet juvenescere chartis,
Et tua, Neritias invito pectine mensas
Qui celebras, etenim ut stellas fugere undique cælo.
Aurea cùm radios Hyperionis exeruit fax,
Cernimus, & tenuem velut evanescere lunam
Sic veterum illustres flagranti obscurat honores
Lampade Mæonides: unum quem dia canentem
Facta virum, & sævas æquantem pectine pugnas,
Obstupuit, prorsusque parem confessus Apollo est.
Proximus huic autem, vel (ni veneranda senectus
Obstiterit) fortasse prior, canit arma virumque
Virgilius, cui rure sacro, cui gramine pastor
Ascræus, Siculusque simul cessere volentes:
Quem non tabifico mordax attingere livor
Dente queat, livor tandem & Sandalion ausus
Carpere, cùm dominam asseruit sua forma Dionen.

Exci-

Excipiunt gemini procul hos, longèque ſequuntur
Qui ſeptem Cadmæa vocent ad mœnia reges.
Hunc Phœbea Claros, Cumæa Neapolis illum
Protulit, hic elegis etiam tua funera, Lyde,
Flet pius, herois ille audax verſibus effert
Magnanimum quoque Pelidem, hic denique magni
Inſtar habet populi pendentem ad verba Platonem.
Ille etiam ſilvis partum ſibi prædicat aurum.
Ecce alii primo tentatum remige pontum.
Palladiamque ratem, tabulaſque dedêre loquaces.
Quorum Threicio perſonam primus ab Orpheo
Accepit genitus Myſcelli gente ſalubri:
Alter Alexandri Nilotidas abnegat arces
Exoſus natale ſolum, tumidamque Coloſſo
Solis, & irriguam pluvio Rhodon expetit auro.
Hujus in Auſonio veſtigia pulvere Varro
Ponè legit linguæ haud opulens, ut barbara Narbo
Ut quem parvus Atax Latiæ tranſcripſerat urbi.
Atque idem imparibus proprios exponit amores,
Leucadiamque ſuam numeris, ſuccedere magno
Aruncæ quondam fruſtra conatus alumno.
Nam te, Flacce, ſinu ſulcantem cærula pleno
Heu juvenem curſu excuſſit mors ſæva, priuſquam
Æſonides Pagaſas, patriamque revectus Iolcon.
At tibi Dædaleos monitus, Heliconie vates,
Qui ſequeris, neque ventoſis in nubibus alas
Expandis, neque ſerpis humi, ſed præpete lapſu
Ceu medium confine teris, quo carmine dignas
Addiderim tandem, quove ore, aut pectore laudes?
Scilicet huic patris pecudes in vallibus olim
Servanti, cunctæ ſeſe indulſere videndas
Aonides, laurumque viro vocemque dedere,
Qua ſuperûm caneret ſtirpem, præceptaque morum,
Deſcriptoſque dies operum, clypeumque tremendi
Herculis & veteres divûm genus Heroinas.
Ergo & Chalcidico vatum certamine quondam
Rettulit auritum tripoda, & ſi vera minores.

Au-

Audimus) cantu magnum quoque vicit Homerum.
Moxque dolo extinctum, mersumque ad littora tristis
Delphinûm vexêre chorus, nec defuit index
Turba canum, medioque darent qui corpora sontum
Mersa mari, & meritam placarent moribus umbram.
Ossaque fatali tellus Minyæa sepulchro
Nunc habet, annosæ conspectu inventa volucris.
Nec quæ magnanimum nodosæ robore clavæ
Instruit Alciden, nullum nomenque, decusque
Conciliat sterili Pisandria musa Camiro.
Nec qui bissenos iterum memorare labores
Audet, & à primo vatum figmenta priorum
Usque chao repetit, non saltem laudibus æquet
Ascræum, Clariumque senes, nec Chalcis alumnum
Euphoriona tacet, vario qui personat ore
Mosopiam, neque Tyrtæi Lacedæmona cantu
Victricem se ferre pudet, licet impare gressu
Tenderet, adde novis mutantem corpora formis
Parthenium, pictique notantem lumina mundi
(Namque hoc præcipuè se carmine jactat) Aratum,
Cui cor ab intonsi fax ore accensa Philini
Urebat miserum, quem terra Cilisa recepit,
Et portentoso celebrem dedit esse sepulchro.
Nec te quem Colophon tulerit, Nicandre, tacebo
Pæoniis celebrem studiis, qui nigra venena
Prodis, & emissas serpentum fauce salivas,
Tum medicam subjungis opem, prædicere finem
Morborum, & tacitas gnarus deprehendere causas:
Atque idem pia rura sonas, dulcissima miscens
Austero figmenta operi. sed lustra ferarum
Scrutatur, captat volucres, prolemque natantum,
Mox dat habere Pio gratissimus Antonino
Oppianus, docti prædives honore laboris.
Pingit & exiguis totum Dionysius orbem
Terrarum in tabulis, sed non & prælia Bacchi
Nonnus in exigua potuit contexere tela.
Battiades Hecalen sonat, & Marathonia gesta
Cel-

Celsior assueto, causasque ætate latentes
Prodit, & undeno molles pede cantat amores,
Et nunc ingratum tenebrosus devovet Ibin,
Nunc superos celebrat, nunc tristibus ardet iambis,
Nunc humili premitur socco, nunc illi cothurno
Altior assurgit, centumque poëmata pangens
Dissipat in varios Heliconia flumina rivos.
Sed Tiberim dominum rerum, mundique potentem
Ambigitur, riguine tener Sulmonis alumnus
Nobilitet magis, an verò tibi, Roma, pudori
Sit potius, Getica sic semisepultus arena,
Proh dolor, exul, inops, nimium quia forsan amico
Lumine Cæsareæ spectaverit ora puellæ.
Ille novas primo facies transformat ab ævo:
Ille cupidineas versu canit impare flammas:
Involvitque novum dubiis ambagibus Ibin:
Vel dat amatricum dictatas ore tabellas:
Vel miser exilium cycnæo gutture deflet:
Temporaque, & causas Romani digerit anni:
Vel memorat pisces, & adhuc ignara Latinis
Nomina, vel cœlo labentia computat astra:
Et replet astrictas diverso epigrammate chartas,
Consutum quoque Syrma trahit, suspendit & unca
Nare malos (quorum nunc omnia plena) poëtas,
Indulgens tamen usque sibi: nam præditus acri
Nimirum ingenio, faciem putat esse decoram
Carminis, inspersus maculet quam denique nævus.
Jam senior triplici vates qui corde superbit
Mæonides Italis (ni fallunt visa) secundus
Bella horrenda tonat, Romanorumque triumphos,
Inque vicem nexos per carmina digerit annos,
Arte rudis, sed mente potens, parcissimus oris,
Pauper opum, fidens animi, morumque probatus,
Contentusque suo, nec bello ignarus, & armis.
Quem Rudiis ortum rigidi quæstura Catonis
Ad septem geminas juvenem deduxerat arces.
Mox comes armorum Fulvi, qui sanguine partas

Scilicet haud dubitat Latiis sacrare camœnis
Exuvias, dedit Ætolis hostilia campis
Corpora multa neci, longè gratissimus idem,
Scipio magne, tibi, & Calabris vicinus in hortis
Virtute emeritis, cujus gentile sepulchrum
Mox tenuit, nullo patiens sua funera fletu
Produci, lætusque virûm volitare per ora.
Prætereà tragico boat ampullosus hiatu.
Comica lascivo proscenia laxat iambo.
Exponit Satyros, Latioque Euhemeron infert.
Et modo reprensi deflorans carmina Nævi:
Carmina, quæ quondam Fauni, vatesque canebant.
Mox gemet ipse suo natas in littore conchas
Præcultum purgare fimo, & sibi ferre Maronem.
Sed quanquam imprimis docto Verona Catullo
Gaudet, vulnificos elegis qui miscet iambos,
Et sub adoptivum redigit te Clodia nomen:
Parturit & fortem forti quoque carmine Achillem,
Atque urbis proceres multo sale defricat audax:
Cæsareæque notas, & inurit stigmata fronti:
Nonnihil Æmilium tamen hæc quoq; jactat alumnum
Texentem tenui Macrum subtegmina filo:
Dum volucres numeris, dum gramina pingit & angues.
Nec qui philtra bibit, nimioque insanus amore,
Mox ferro incubuit, sic mentem amiserat omnem.
Ut non sublimi caneret Lucretius ore,
Arcanas mundi causas elementaque rerum
Doctus, & Arpino tamen exploratus ab ungui.
Scilicet & veteres naturam pandere Graii.
Carmine tentarunt celebri, ceu maximus ille,
Ærisonas pedibus qui quondam indutus Amyclas
Insiluit Siculi rapidum cratera camini.
Et cui de vocum tenebris cognomina flenti
Addita, quosque alios studio sapientia dulci
Implicuit, cecinitque diu memoranda vetustas.
Emicat Hesperio trifidum ceu fulmen ab orbe,

Qui

Qui vix puber adhuc, rudibusque tenerrimus annis
Hæmonios iterat currus, auroque repensum
Hectora, tartareasque domos, dirumque Neronem,
Orpheaque, & meritæ peragit præconia Pollæ.
Lascivitque jocis, ac torrens voce soluta
Dulichias æquare nives, & fulmina tendit,
Quanta Pericleo lepor intorquebat ab ore:
Mox tonat ardenti Pharsalica prælia cantu,
Ægyptique nefas, primo vix flore genarum
Conspicuus, torvo quem protinus ore secundum
Respexit, captæ vis ausus fidere palmæ
Virgilius, sed iniqua bonis Ramnusia tantis
Heu decus hoc orbi invidit, ne vindice ferro
Assereret miseras incesto à principe terras:
Tum felix tamen, ô juvenis (nam conscia pœnam
Corda levant) felix inquam, licèt ille cruentum
Rugiat, & truncas desiccet sanguine venas
Fronte minax, diræque instinctus verbere matris.
Macte animo, non te ô vates Parnasside lauru
Ne quicquam deus, & cithara dignatus honora est.
Post hunc Sidoniæ damnat perjuria gentis
Emeritosque foro: musis tandem adserit annos
Sillius, Ausonio qui quodam fulgidus ostro
Expulit horribilem, vitâque, aulâque tyrannum.
Ipse obiit plenusque ævi, natoque superstes
Aspera congenito fixus vestigia clavo.
An taceam Bassum gravido tua dona ferentem
Vespasiane sinu? & fantem Sicula arma Severum?
Aut te Sidonias repetentem Pontice Thebas?
Aut Pelusiaci missum de plebe Canopi
Pulcra suum quem nunc Florentia jactat alumnum,
Gaudentem Stygio dominam junxisse marito:
Magnanimique vagos ducis ostentare labores?
Aut te Niliaca relegentem sidera cura
Bis vates Manli, & Babylonia signa sequentem?
Quosque sibi æquævos puro vocalior ore,
Neque laboranti incumbant oblivia famæ,

Naso refert, queruli tangens confinia Ponti?
Et qui Smyrnæis poterat contendere plectris
Valgius, ut tersi memorat pia musa Tibulli?
Musa sibi primos quæ jure adsciscat honores
Imparibus numeris, ni blanda Propertius ora
Salvat, & ambiguam faciat certamine palmam.
Plania materiam teneri dat, & Hostia cantus
Nomine supposito, ceu Galli mima Citheris
Personam falsæ lasciva Lycoridos adfert
In scænam, & docto clausam se jactat amanti,
Dum miser ipse sua fodiat præcordia ferro.
At non exigui tenuis quoque pagina Calvi
Dissimulat pulchram, sed acerbo funere raptam,
Quintiliam. nec Cous ad hæc non sacra Philetes,
Quanquam est æger, adest. quanquàm vestigia lento
Fulta gravat plumbo. nec qui sine amore, jocisque,
Jucundum nihil esse putat. Quid rustica dicam
Jubila pastorum silvis meditata sub altis?
Ut patrias Moscus non inficietur avenas:
Externasque Bion, ut opaca Tityron umbra
Provocet Ausonio Calpurni fistula cantu?
Aërios procul in tractus, & nubila supra
Pindarus it Dircæus olor, cui nectare blandæ
Os tenerum libastis apes, dum fessa levaret
Membra quiete puer mollem spirantia somnum.
Sed Tanagræa suo mox jure poëtria risit,
Irrita qui toto sereret figmenta canistro.
Tum certare auso palmam intercepit opimam
Æoliis prælata modis, atque illice forma.
Ille Agatoclea subnisus voce coronas
Dixit Olympiacas, & qua victoribus Isthmos
Fronde comam, Delphiq; tegant, Nemæaq; Tesqua
Lunigenam mentita feram, tum numina divûm,
Virtutesque, virosque undanti pectore torrens
Provexit, sparsitque pios ad funera questus.
Frugibus hunc, libisque virum Cirrehæus ab ara
Phœbus, & accubitu mensæ dignatus honoro est:

Pa-

Panaque pastores solis videre sub antris.
Pindarico tacitas mulcerem carmine silvas.
Inde senem pueri gremio cervice reposta
Infusum, & dulci laxantem corda sopore,
Protinus ad maneis, & odoro germine pictum
Elysium tacita rapuit Proserpina dextra.
Quin etiam hostiles longo post tempore flammæ,
Quæ septem geminas populabant undique Thebas,
Expavere domum tanti tamen urere vatis,
Et sua posteritas medios quoque tuta per enses
Sensit inexhausta cinerem juvenescere fama.
Non ego te longo, præsignis Anacreon, ævo
Transierim bicolore caput redimite racemo:
Cui citharæ cordi, cui nigri pocula Bacchi
Semper, & ancipiti stimulans Amatusia cura.
Nam modò Threicii crinem miraris ephebi,
Nunc Samium celebras (jubet Adrastea) Bathyllum.
Nunc teneram Eurypylem, tenerumque Megisthea laudas.
Tandem acino passæ cadis interceptus ab uva.
Ipse Lyci nigros oculos, nigrumque capillum,
Quamque vides digito nativam inolescere gemmam,
Exactosque canis pugnax, Alcæe, tyrannos,
Æolium docto pertentans barbyton auro:
Arma sed Attææ tua fles suspensa Minervæ.
Sustinet heroi valida testudine pondus
Carminis, & damnans Helenem, laudansque vicissim
Amittit, recipitque oculos tuus, Himera, civis
Stesichorus, quem trux Phalaris veneratus & hostem est.
Cujus & in labris sedit puerilibus olim
Daulias, & vestrum musæ cantavit alumnum.
Sed vocat ad lachrymas Cætipia Nænia vatis,
Unum Mnemosyne quondam, præque omnibus unum
Quem coluit, sævæ quem subtraxere ruinæ
Ledæi juvenes, vacuam cui tristis ad arcam
Gratia flet laniata comas, nudata lacertos:

Qui-

Quique sui vindex fuit, & post fata sepulchri.
Ipsi etiam patria pressi brevitate Lacones
Ascitum largo tamen ore Alcmana recensent.
Quem tulit auriferos ostentans Lydia fontes:
Nunc gemit heu tineis artus, & tabe peresum.
At te cui numeros dictat dea Suada canoros,
Ibyce, quique marem tantum meditaris amorem
Nec superi, nec avis pygmaea reliquit inultum,
Et nunc Rheginis tua sedibus ossa quiescunt.
Nec vulgare canit dulcis ab Iulide Siren
Bacchylides, sed enim lyricis jam nova poëtis
Æolis accedit Sapho, quae flumina propter
Pierias legit ungue rosas, unde implicet audax
Serta Cupido sibi, niveam quae pectine blando
Cyrinnem, Megaramque simul, cumque Atthide pulchram
Cantat Anactorien, & crinigeram Telesippen.
Et te conspicuum recidivo flore juventae
Miratur revocatque Phaon, seu munera vectae
Puppe tua Veneris, seu sic facit herba potentem:
Sed tandem Ambracias temeraria saltat in undas.
Quae toties Gorgo, toties incesserat atrox
Famosam Andromeden, patriâque libidine turpem
Non illi Praxilla suos praedoctaque Nossis
Contulerint, Myrtisque modos, non dulcis Agacle,
Non Anyte: non quae versus Erinna trecentos
Castalio ceu melle rigat, non candida Myro,
Nec Thelesilla ferox, non quae canit Ægida saevae
Pallados effusum crinem vittata Corinna.
Illam etiam decimo cunctae accepere sedili
Pierides, sertumque novem de floribus auro
Contextum nitidis laetae imposuere capillis.
Hinc Venusina favos dulci jucunda susurro
Carpsit apis, sed acu ferit irritata cruento
Haec eadem, rigidis Auruncae in vepribus errans
Quas Persi manus, & bilem succensus Aquinas
Mox legêre sibi, neque enim his metuendus iambo

Certet Echidnæo, licet acrem effusus in iram
Ore Lycambiadas rabioso occiderit ambas
Archilochus, medio licet illum in Marte peremptum
Vindicet, & nigro sit Pythia dura Calondæ.
Nec ferus Hipponax, atro qui felle cruentus
Bupalon & stratum morsu laniavit Athenin.
Nec Batius, spinisque Bibaculus asper acutis.
Multi Bacche tuo proculcavere cothurno
Fortunas regum ambiguas, & sceptra tyrannis
Extorsere feris, totumque tremore, metuque
Horribiles, totum luctu opplevere theatrum.
Pluraque Palladiæ quondam impendistis Athenæ,
Dum scæna Oedipoden, pavidumq; agitatis Orestem,
Atreaque, & medica percussum Telephon hasta,
Oenidæque facem, furiisque Alcmæona pulsum,
Quosque alios olidum cantor produxit ob hyrcum;
Quam cum barbarico Marathonia sanguine tellus
Incaluit, multoque obstructæ funere Xerxen
Termopylæ tarda refugum videre carina.
Autorem perhibent Thespin, quem justa Solonis
Cura cothurnatis jussit descendere plaustris.
Tres porrò insignem sibi defendêre coronam,
Æschylus aëriæ casu testudinis ictus,
Quemque senem meritæ rapuerunt gaudia palmæ,
Quemque tegit rabidis lacerum pia Pella molossis.
Invasere locum Plias septena secundum.
Quippe alios, quos nec centum sit dicere linguis,
Fortunæ nunc quemque suæ, famæque relinquam:
Ni latium Varius tamen objectare Thiesten
Ambiat, atque suum jactet mihi Corduba vatem.
Cujus ad Herculeum tremefactá Orchestra furorem est.
Ecce & grandiloquo semet quoque suggerit ore
Accius, & magna conturbat voce canentem
Pacuvius, nitidumque ostentat musa Secundum.
Adde & mordaci quatientes pulpita risu
Eupolin, in medium quem mendax fabula pontum

Cliniadæ manibus puppi deturbat ab alta.
Quique leves nebulas Attææ effuderat urbi
Salsus Aristophanes, compotoremque Cratinum.
Adde novos etiam soccos, exemplaque morum,
Et variæ specimen vitæ, jam gratâ Menandro
Posteritas, ipsoque volente Philemone palmam
Restituit, longè sequitur quem plurima turba
Haud nostro referenda sono, sed pagina docti
Reddit Athenæi tamen insinuatque futuris
Claudicat hîc latium, vixque ipsam attingimus umbram
Cecropiæ laudis, gravitas Romana repugnat
Scilicet, & quamvis veterum sit multus in ore
Cæcilius, quamvis jucundi scripta Terenti
Scipio dissimulet, quamvis Plautina camœnis
Lingua opicis placeat, scenam tamen ipsa suorum
Æneadum fugit alma Venus, tantumque togatis
Interdum Afrani grato se indulget honore.
Hos tamen, atque alios Volcatius ordine sistit
Sedigitus. Mimos sed enim scripsere protervos.
Implicitusque Sophron, risuque Philistio tandem
Perditus, hinc Laberi lascivia, multaque Publi
Claruit Ausonio sententia dicta theatro.
Pars quoque Sotadicos ceu prostituêre cinædos:
Pars tenues sparsere sales epigrammate multo,
Sed Latio celebres, quem misit Iberia Marcum.
Romuleumque suis exornans fascibus annum
Ausonius, mitto Hortensi, doctique Catonis
Qui solus legit quondam, fecitque poëtas.
Mitto & Cornifici lusus, Ticidæque Perillam,
Et Cinnam obscurum, teque ore protervior Anser,
Pammetron hic cecinit, Sillos dedit ille licentes.
Ille Menippeæ loca miscellanea peræ
Intersit, Satyros alius nudavit agrestes:
Et patuere novæ per mille poëmata curæ:
Quas ego si Piliæ duplicentur tempora vitæ
Jam mihi, si cunctas nostra in præcordia voces

Fama ferat, rigidôque sonent hæc pectora ferro,
Non amplecti ausim numero, non ore profari.
Evaleam, tantæve situm indagare senectæ,
Nec tamen Aligerum fraudarim hoc munere Dantem
Per Styga, per stellas, mediique per ardua montis
Pulchra Beatricis sub virginis ora volantem.
Quique Cupidineum repetit Petrarcha triumphum,
Et qui bis quinis centum argumenta diebus
Pingit, & obscuri qui semina monstrat amoris:
Unde tibi immensæ veniunt præconia laudis
Ingeniis, opibusque potens Florentia mater.
Tu vero æternam per avi vestigia Cosmi.
Perque patris (quis enim pietate insignior illo?)
Ad famam eluctans, cujus securus ad umbram
Fulmina bellorum, ridens procul aspicit Arnus,
Mæoniæ caput, ò Laurens, quem plena Senatu
Curia, quemque gravi populus stupet ore loquentem,
Si fas est, tua nunc humili patere otia cantu
Secessusque sacros avidas me ferre sub auras.
Namque importunas mulcentem pectine curas
Umbrosæ recolo te quondam vallis in antrum
Monticolam traxisse deam, vidi ipse corollas
Nexantem, numerosque tuos prona aure bibentem:
Viderunt socii pariter, seu grata Dianæ
Nympha fuit, quanquàm nullæ sonuêre pharetræ
Seu soror Aonidum, & nostræ tunc hospita sylvæ,
Illa tibi, lauruque tua, semperque recenti
Flore comam cingens, pulchrum inspiravit amorem.
Mox & Apollineis audentem opponere nervis
Pana leves calamos nemoris sub rupe Pherei,
Carmine dum celebras, eadem tibi virgo vocanti
Astitit, & sanctos nec opina afflavit honores.
Ergo & nocticanum per te Galatea Corintum
Jam non dura videt, nam quis flagrantia nescit
Vota, Cupidineoque ardentes igne querelas?
Seu tibi Phœbeis audax concurrere flammis
Claro stella die, seu lutea flore sequaci

Infelix Clytie, seu mentem semper oberrans
Forma subit dominæ, seu pulchræ gaudia mortis,
Atque pium tacto jurantem pectore amorem.
Atque oculos canis, atque manus, niveisque capillos
Infusos humeris, & verba, & lene sonantis
Murmuraque, violæque comas, blandumque soporem.
Lætaque quàm dulcis suspiria fundat amaror.
Quantùm addat formæ pietas, quàm sæpe decenter
Palleat, utque tuum foveat cor pectore nymphæ.
Non vacat argutosque sales, Satyraque bibaces
Descriptos memorare senes, nòn carmina festis
Excipienda choris, querulasve animantia chordas
Idem etiam tacitæ referens pastoria vitæ
Otia, & urbanos thyrso extimulante labores,
Mox fugis in cœlum, non ceu per lubrica nisus
Extremamque boni gaudes contingere metam.
Quodque alii studiumque vocant, durumq; laborem,
Hic tibi ludus erit, fessus civilibus actis
Huc is emeritas acuens ad carmina vires.
Felix ingenio, felix cui pectore tantas
Instaurare vices, cui fas tam magna capaci
Alternare animo, & varias ita nectere curas.
Quòd ni blanda meum lactant præsagia sensum,
Ni pietas, ni longus amor, ni vana magistros
Aura suo nimios jubet indulgere favores,
Quemque operi, ni me tacita experientia fallit,
Ibit in exemplum natus, mea maxima cura,
Ibit in acta patris, sese tanta indole dignum
Præstabit: lustris nondum tribus ecce peractis
Jam tamen in Latium Graiæ monimenta senectæ
Evocat, & dulci detornat carmina plectro:
Mèque per Aoniæ sequitur compendia sylvæ,
Ereptans avidè montem, jamque instat anhelo.
It jam penè prior, sic o: sic pergat, & ipsum
Me superet majore gradu, longèque relinquat
Protinus, & dulci potius plaudatur alumno,
Bisque mei victore illo celebrentur honores.

ANGELUS POLITIANUS

JACOBO SALVIATO SUO S. D.

EN *Rusticum* tibi. Id illi scilicet ab argumento inditum nomen: tuo coactu prodit in vulgum: tibi est uni quicquid acciderit imputaturus. Jamne sentis, quam tibi tuendus sit, vel tuo ipsius nomine, vel meo? Tua enim fides in eo, meus honos agitur: cujus quidem, & si semper cura apud te jam inde à pueritia excubuit, tamen eum tueri nunc, vel ob id ipsum impensius debes, quòd es nuper Laurentio Medici principi viro, cujus ergo cliens, alumnusque sum, unus ex omni Florentina juventute gener ascitus. Profer igitur in tali patrocinio autoritatem omnem, atque gratiam, quam videlicet tibi & viri excellentis affinitas, & tua egregia indoles, morumque suavitas conciliant. Vale, meque, ut facis, ama.

ANGELI POLITIANI SILVA,

Cui Titulus,

RUSTICUS.

In poëtæ Hesiodi, Virgiliique Geòrgicon enarratione pronuntiata.

RURIS opes saturi, gnavoque agitanda colono
Munera, & omniferæ sacrum telluris honorem
Ludere septena gestit mea fistula canna.
Fistula Mantoæ quam nuper margine ripæ
Ipse renidenti dum dat mihi Tityrus ore,
Hac puer Ascræum repete, inquit, arundine carmen,
Panades, & curvi mecum sub fornice saxi
Versibus indulge, medio dum Phœbus in axe est:
Dum gemit erepta viduatus compare turtur,
Dum sua torquati recinunt dictata palumbes.
Hîc resonat blando tibi pinus amata susurro:
Hîc vaga corniferis insibilat aura cupressis:
Hîc scatebris salit, & bullantibus incita venis
Pura coloratos interstrepit unda lapillos:
Hîc tua vicinis ludit lasciva sub umbris
Jamdudum nostri captatrix carminis Echo.
Felix ille animi, divisque simillimus ipsis,
Quem non mendaci resplendens gloria fuco
Sollicitat, non fastosi mala gaudia luxus
Sed tacitos sinit ire dies, & paupere cultu
Exigit innocuæ tranquilla silentia vitæ,
Urbe procul, voti exiguus, sortemque benignus
Ipse suam fovet, ac modico contentus acervo,
Non spes corde avidas, non curam pascit inanem,

Secu-

Securus quo sceptra cadant, cui dira minentur
Astra, & sanguinei jubar exitiale cometæ.
Non illum fragilis favor, indocilisque potenti
Plebs servare fidem, evectum popularibus auris
Casuro imponit solio, nec ducit hiantem
Huc illuc vanos ostentans purpura fasces.
Non mentem pavet ipse suam, nec conscius omneis
Exhorret strepitus, nec edaci pectora culpa
Carpitur occultè, non opportunus iniqui
Judicio vulgi, aut celsa conspectus in arce
Degeneri patet invidiæ non ipse vicissim
Obliquo livore macet, fœtusque veneno
Æstuat, atque aliena oculis bona limat acutis.
Rure agit in vacuo, spatiisque indulget aperti
Ætheris, aut operi insudans, aut ille supinos
Evadens cursu in monteis, hinc scilicet omnes
Gratæ epulæ, nudis Acheloum in pocula palmis
Advocat, excussæque cibos dant brachia sylvæ,
Et fessa in duro renovantur membra cubili.
Major quippe venit comitata labore voluptas,
Nec satias dominam, aut fastidia lenta sequuntur.
Ergo neque imbrifero pallens Autumnus hiatu,
Nec malus hunc afflat rabioso Sirius astro,
Sævave Rhiphææ labefactant frigora brumæ.
Quippe hyemem excipere, & ventos: cœlique ruinam
Suetum, atque octipedem nec opaco vertice cancrum
Et Jove sub gelido nocturnos carpere somnos,
Et pede concretas nudo calcare pruinas,
Et perferre sitim, & jejunia solvere glande,
Et lassare feras cursu, & superare natatu
Torrentem, & volucri fossam transmittere saltu:
Et quercum annosam ferro obturbare bipenni.
Tum prædam extorquere lupo, fascique maligno
Subjecisse humeros, & iniqui pondera rastri
Prædura tractare manu, & domitore lacerto
Subjuga cornigeri colla obluctantia tauri
Ducere, & iratis concurrere comminus ursis.

Hinc agilis subit ora vigor, robustaque magno
Pectore vis habitat, fortesque animosa tuentur
Membra tori, & crudo tendunt se robore nervi.
Hinc facies procera, hinc fronti Martius horror.
Quòd si bella vocent, quis ad aspera promptior arma,
Aut quis equum sternacem arctis fregisse lupatis
Acrior? aut fortem mucrone haurire cruorem?
Aut torquere sudem? aut nervo exturbare sagittam?
Aut præpilatis aciem perrumpere contis?
Quis certet duro agricolæ? seu ducere vallum,
Seu sit opus celso præcingier aggere castra,
Seu fronte adversa tormentum figere ahenum,
Quod tonitru horrifico magnas sternentia turres
Ardua fulmineo jaculetur saxa rotatu:
Seu vigil insomnem peragat custodia noctem:
Seu tacitum raptatur iter, seu parcere parto
Conveniat, si fors lenta obsidione premantur.
Scilicet his Babylon dextris, Nabatheaque regna
Creverunt: hic Mopsopio delectus ab arvo
Miles, Achæmenium Marathonis in æquore Persem
Contudit, his adjuta viris se Romula tellus
Imposuit mundo, & rerum tractavit habenas.
Nunc age, quæ studia agricolis industria solers
Extudit, atque operum quanta experientia, dicam.
Protinus extremo cùm jam Boreas autumno
Incubuit terris, primo cum frigore tactæ
Labuntur frondes, maternaque bracia linquunt,
Nec cariem cæsæ formidant robora sylvæ:
Ecce sagax tacitam venientis rusticus anni
Curam corde coquit, qua bubus ab arbore plaustrum
Dedolet, unde juga, & curvum fabricetur aratrum,
Nec mora, quin veteris truncata cacumina phagi,
Chaoniæque cadant quercus, nudataque ramos
Ulmus, & audaci laurus sonet icta securi.
Quarumquæque novam fumo explorata calenti
Vertitur in faciem, diversaque munia tractant.
Continuo auditus gruis inter nubila clangor

Agricolam citat, & crista spectabilis alta
Auroram gallus vocat applaudentibus alis.
Excitat ille operum socios, simul horrida cautus
Terga rudi centone fovet, capitique galerum
Induitur, crudusque operit vestigia pero.
Hinc saturos jungens loris ad aratra juvencos
Increpitat stimulo, & cantu minuente laborem
Prælongis ferrata terit dentalia sulcis,
Ac latè elicibus collectos exprimit imbres:
Jejunamque fimo tellurem, & rudere pascit.
Tum plenum farris læva servante canistrum
Semina dispensat parca cerealia dextra:
Quæ ne jacta avidæ populentur grana volucres,
Et prædam sublime ferant, it pone minutus
Sarcula parva tenens puer, & frugem obruit arvo,
At cùm se Eois jam vespertinus ab undis
Extulit Arcturus, cùm versicoloribus ardet
Terra comis, rutilosque interviret herba colores,
Daulias, & Getici tandem secura mariti
Ales adest, plausuque larem, cantuque salutat,
Rursum invadit opus, stivæque innixus, adunco
Ponè nigrescentes proscindit dente novales:
Quas rapidi soles urant, gelidæque pruinæ.
Mox ubi jam sapiens cœpit frondescere morus
Antè quidem sapiens, nunc ambitiosa, nec ullum
Quæ pariat pomum, sed serica pensa ministret.
Ille aliam atque aliam culturam dulcis agelli
Pertentans, truncos plantariaque infodit arvo
Nec pictas lugubre fabas, nec pabula parcit
Vervacto mandare putri, glebasque bicorni
Persequitur ferro, & secat insuperabile gramen.
Et montem cædit scrobibus, fortique bidente
Terga soli frangit, Baccheaque semina rectum
Explicat in quincuncem, & differit ordine longo
Atque iterum, atque iterum, terra capita ima frequentat,
Et ramos tondet falce: atque impune fluentem

Compescit vitem fingens, & robore fulcit.
Deciduam, charæque hærentem in pectore matris
Acclinat sobolem sulco, juxtaque propagat,
Aut ipso durus genitricis ab ubere flentis
Abscissam rapit, atque aliò traducit alendam.
Quid dicam? externis cùm se vernacula succis
Robora nobilitant, peregrinaque segmine duri
Accipiunt trunci, aut discreto germina libro.
Namque oculis oculos, non blandi tempora veris
Jungere, sed mediis gaudet fervoribus æstas,
Æstas congestos Cereris tritura maniplos,
Æstas absconsum siliqua excussura legumen,
Æstas, qua grandes expectant horrea messes,
Dum coacervatas eventilet area fruges.
Tum sola pulverei pinguescunt arida campi,
Solvunturque putres glebæ, ac peritura lupini
Germina parturiunt, tum clivo rauca sonantes
Eliciuntur aquæ, præcepsque recumbit agro fons.
Post ubi jam medio vestigia librat in axe
Ensifer Orion, croceoque insignis amictu
Aspicit Arcturum, pulsa Pallantias umbra
Sentibus horrenteis aperit jam vinea sepes,
Aureolamque metit lentis de vitibus uvam
Vinitor, & fœtos rubicundo nectare fructus.
Quos conjux, quos virgo comes, par vertice matri
Aut cista exportant, aut rasilibus calathiscis.
Nec sentitur onus studio, levat ipsa laborem
Sedulitas, quin frugiferos curvantia ramos
Poma sinu, baccasque ferunt, ficumque nucemque.
Nec nihil addit hyems, nigros tum laurea fœtus
Exuitur, tum myrta legunt, glandemque caducam,
Glaucaque Palladiæ distringunt brachia sylvæ.
Nocte autem ad lychnos, aut junco texit acuto
Fiscellam, aut crates virgis, aut vimine qualos
Rusticus, infunditque faces, & robora valli.
Dolia quassa novat, ferramentisque repellit
Scabritiem, tritaque docet splendescere cote.

Nam quid delicias memorem? quamque alta labori
Otia succedant? jam primum obsessa pruinis
Cum juga floriferi regelaverit aura Favoni,
Suave serenato rident vaga sidera cœlo.
Suave ciet tardos per sudum luna juvencos,
Ipsa quoque ætherii melius nitet orbita fratris,
Terque quaterque manu madidantes nectare crines
Exprimit, & glebas fœcundis roribus implet
Vecta Medusæo Titonia præpete conjux.
Alma novum tellus vultu nitidissima germen
Fundit, & omnigenis ornat sua tempora gemmis.
Idalio pudibunda sinus rosa sanguine tingit,
Nigraque non uno viola est contenta colore,
Albet enim, rubet, & pallorem ducit amantum,
Ut sunt orta, cadunt, nive candidiora ligustra.
Nec longùm durant calathos imitata patenteis
Lilia, sed longum stant purpurei Amaranthi.
Hic Salaminiaci scribunt sua nomina flores,
Hic gratum Cereri, plenumque sopore papaver
Oscitat, hic inhiat sibimet Narcissus, at illic
Corycios alit aura crocos, notumque theatris
Aëra per tenerum flatu dispersit odorem.
Nec jam flammeolæ connivent lumina caltæ.
Nec melilotos abest Tyrium seges illa ruborem
Induit, hic vivo cespes se jactat in auro,
Hæ niveos, hæ Cyaneos superare lapillos
Contendunt herbæ, vernantque micantia latè
Gramina, per tumulos, perque umbriferas convalles,
Perque amnis taciti ripas, atque omnia rident.
Omnia luxuriant, & amica luce coruscant.
Parturiunt stipulæ frugem, & genitalibus auris
Pervia, turgescunt lactentibus hordea culmis.
Palmes agit rupto lacrymanteis cortice gemmas.
Seque rudes primis monstrant in vitibus uvæ.
Dulce virent teneræ modò nata cacumina sylvæ;
Succrescuntque piæ pullorum examina matri.
Ipsa sibi ignotas miratur adultera frondes

Ar-

Arbor, & ascitis nativas inserit umbras,
Auricomæ jubare exorto de nubibus adsunt
Horæ, quæ cœli portas, atque atria servant.
Quas Jove plena Themis, nitido pulcherrima partu
Edidit, Ireneque, Diceque & mixta parenti
Eunomie, carpuntque recenteis pollice fœtus.
Quas inter Stygio remeans Proserpina regno,
Comptior ad matrem properat, comes alma sorori
It Venus, & Venerem parvi comitantur amores,
Floraque lascivo parat oscula grata marito.
In mediis resoluta comas nudata papillas
Ludit, & alterno terram pede Gratia pulsat.
Uda choros agitat Nais, decurrit Oreas
Monte suo linquunt faciles juga celsa Napææ.
Nec latitat sub fronde Dryas, non jubila Fauni
Fundere, non junctis Satyri dare sibila cannis,
Nec querulæ cessant tenerum tinnire volucres.
Fluctibus Alcyone, densa philomela sub umbra,
Canus olor ripis, tecto vaga plorat hirundo.
Lene susurrat apis, plenoque saporibus alveo
Candida multiforæ solidat fundamina ceræ.
Colludunt per prata greges, atque omne beato
Flagrat amore nemus, juvenem lasciva maritum
Fert equa, fert tergo salientem bucula taurum,
Setigeræque subant matres, decertat amator
Fronte aries, avidos olidum pecus accipit hircos.
Spectant innisi baculis, gaudentque magistri.
Inde ubi prægnantes partu Lucina recenti
Solvit ut exæquet numero fœtura parentes,
Ipse rudem, nec adhuc vestigia certa prementem,
Fert sobolem gremio, sed ovem, gracilemve capellam
Enisas humero subit, atque in stramine molli
Componit sensim pastor, stabuloque recondit.
Mox ut convaluere, rubos hæc rupibus altis,
Illa recens campo gramen decerpit aprico,
Aut dulceis gelido delibant amne liquores,
Ut sua conclusis ne desint pocula natis,

Utque fluat plenis dives mulsura papillis,
Subrumi expectant hœdique, agnique petulci:
Cornigerasque vocant tremulo clamore parenteis.
Bruta gregem plenum densis alit uberibus sus
Exporrecta solo, & grunnitu allectat amico
Fellantes, turpique luto se immunda volutat:
Radices eadem calloso avidissima rostro
Eruit, & bulbum, aut madida se pulte saginat.
Flet vitulum mœsta absentem mugitibus altis
Mater, & immensam raucis miseranda querelis
Silvam implet, boat omne nemus, vallesque, lacusque.
Illa nigros latè lucos, saltusque peragrat
Crebra gemens, crebra ad montem, stabulumque revisit
Tabescens desiderio, non ulla dolorem
Pabula, nec salicum frondes, nec gramina rore
Sparsa levant, non quæ viridi vaga flumina ripa
Perspicuam tenui deducunt murmure lympham.
Prata tener persultat equus, libatque volucri
Æquora summa fuga, aut alti subit aspera montis
In juga saxosumque amnem pede plaudit inermi,
Cui pulchro micat acre caput, luduntque decoræ
Fronte comæ, vibrant aures, atque orbe nigranti
Prægrandes extant oculi, tum spiritus amplis
Naribus it fervens, stat cervix ardua, qualem
Præfert Marmaricis metuenda leonibus ales,
Ales, quæ vigili lucem vocat ore morantem.
Crescunt spissa toris lateque animosa patescunt
Pectora, consurguntque humeri & jam sessile tergum est.
Spinaque depressos gemino subit ordine lumbos.
Et castigatum cohibent crassa ilia ventrem.
Fundunt se lætæ clunes, subcrispaque densis
Cauda riget setis, & luxuriantia crebræ
Velant colla jubæ, ac dextra cervice vagantur:
Tum tereti substricta genu, mollissima flectit
Crura ferox, celsum ingrediens, fremituque superbit.

Grande sonat tornata cavo brevis ungula cornu,
Ingenti referens Corybantia cymbala pulsu.
O dulces pastoris opes, ò quanta beatum
Quàm tenet hunc tranquilla quies? ut pectore toto,
Lætitiam, totaque fovet bona gaudia mente?
Nempe odii, fraudumque expers exemptus inani
Ambitione, vacansque metu, spe liber, & insons
Nativo cultu, & Gaza prædives agresti,
Ipse sibì vivit nullo sub teste, suoque
Pendet ab arbitrio, suus ipse est censor, & alto
Calcat opes animo, ac regum deridet honores.
Si non Tenareis illi stant fulta columnis
Robora, cælatumque altè laquearia subter
Ridet ebur, postemve silex Asaroticus ornat,
Nec Maurusiacos pulchræ testudinis orbeis
Delphica sustentat, nec docto trita Myroni
Pocula, multiplici florent radiantia gemma.
Aut bis in Herculea Milesia vellera concha
Versantur, tenuique satur lanugine bombyx
Luteolos folleis, pretiosaque fila relinquit.
Textile nec tenero subtegmine fulgurat aurum,
Spiranteis referens vultus, quæ Pergamos olim
Artifici descripsit acu, quæ stamina Memphis,
Quæ Tyros, & Babylon radio pinxere sonanti:
At jacet in molli projectus cespite membra,
Quà cavus exesum pumex testudinat antrum:
Quave susurranti crinem dat aquatica vento
Arbpr, & aut calamos, aut fixa hastilia jungit
Cortice, statque levi casa frondea nisa tigillo,
Quam metuant intrare pavor, curæque sequaces,
Sub qua jucundos tranquillo pectore sensus
Nutrix in abruptoque fovet sua corpora somno,
Silvarum, & pecoris dominus, stant sedula circum
Turba canes, audaxque lacon, acerque molossus.
Dant ignem extritum silices, dant flumina nectar
Hausta manu, dat ager Cererem: non caseus, aut lac,
Lucorumve dapes absunt, stat rupibus ilex

Mella

Mella ferens trunco, plenoque cacumine glandem.
Illi sunt animo rupes, frondosaque tesqua
Et specus, & gelidi fontes, & rosida Tempe,
Vallesque, Zephyrique, & carmina densa volucrum,
Et Nymphæ, & Fauni, & capripedes Satyrisci,
Panque rubens, & fronte cupressifera Sylvanus,
Silenique senes, subdivallesque Ithyphalli.
Et montana Pales, & quo pastore Pheræi
Gaudebant campi, & crinem resoluta Mimallon.
Et qui cornigera bicolores fronte corymbos,
Pampineamque manu tenera quatit Evius hastam
Semper amor, semper cantus, & fistula cordi est,
Semper odorati, Venerisque stipendia flores,
Vitarumque altrix urbi malè nota voluptas.
Talibus in studiis pastor mollet exigit ævum.
Pòst ubi raucisonæ pinna vibrante cicadæ
Increpuere, ardensque metentibus ingruit æstus,
Paulisper tum cessat opus saxique sub umbra
Prostrati indulgent Genio, non mollia pleno
Desunt vina cado, non lacti mixta polenta,
Aut pinguis tergum vitulæ, placidusque sonoræ
Lapsus aquæ, crinemque auræ, frontemque lacessunt
Inde opus integrant, donec sub nocte coruscent
Flammigero parvæ stellantes clune volucres.
Ecce autem dulces labris pater ingerit uvas
Autumnus, crebræque elisus verbere plantæ,
It per præla latex, puerique examine denso
Exultant lasciva cohors, circumque, supraque
Ille manu panda pronus bibit alter ab ipso
Sugit musta lacu crepitantibus hausta labellis.
Hic sua suspensum resupinus in ora racemum
Exprimit, hic socii patulos irrorat hiatus,
Irriguumque mero sordet mentumque sinusque:
Ebriaque incertis titubant vestigia plantis.
Postquam acris successit hyems, & pendula tectis
Diriguit glacies, larga strue tollitur altè,
Collucetque focus, coëunt vicinia simplex

Unà

Unà omnes, juvenesque probi, materque severa
Conjuge cum duro, & pueris, & virgine grandi,
Convigilantque hilares, & primæ tempora noctis
Decerpunt, molli curas abigente Lyæo.
Mutuaque inter se ludunt, tum tibia folle
Lascivum sonat inflato, tum carmina cantant.
Carmina certatim cantant, tum tenta recusso
Tympana supplodunt baculo, & cava cymbala pulsant,
Et læti saltant, & tundunt æribus æra,
Et grave conspirat cornu tuba flexilis unco,
Conclamatque altum unanimes, tolluntq; cachinnos.
Porrò autem, quanta est differtæ copia villæ,
Quamque penu dives? neque enim vel frugibus hornis
Horrea sufficiunt, vel odoro dolia musto.
Testaque Paladiis jam non vacat ulla tapetis.
Terga suis pendent fumoso sordida tigno,
Pertica pensilibus oneratur longa racemis,
Non uvæ arentes, non pruna, & carica desunt,
Sorbaque cum cerasis, duroque putamine clausa
Persica nux, regumque altas imitata coronas
Mespila, cumque pyris miserorum munus amantum
Jam laxum in rugas malum, decoctaque ahenis
Defruta, & omphacinus liquor, & lacrymosa sinapis,
Et meditata novos Sicyonia bacca sapores,
Tum sapa, melque recens, edulcatique lupini,
Et prunæ increpitans Balanus, contextaque cannis
Piscina lacte madens, & durati sale fungi.
Annonam facilem vicinus suggerit hortus,
Murmur apricantes nivea dant turre columbi,
Expandunt alas, & amicam blanda rogantes
Oscula circumeunt insertantque oribus ora,
Jam vicibus nido incubitant genitrixque paterque,
Jamque ova excudunt, natisque implumibus escam
Commansam alternant, rostellaque hiantia complent.
Adde gregem cortis, cristatarumque volucrum
Induperatores, laterum qui sidera pulsa
Explaudunt, vigilique citant Titana canore:

Et regnum sibi Marte parant, quippe obvia rostris
Rostra ferunt, crebrisque acuunt assultibus iras.
Ignescunt animis, & calcem calce repulsant
Infesto, adversumque affligunt pectore pectus,
Victor ovans cantu palmam testatur, & hosti
Insultans victo, pavidum pede calcat iniquo.
Ille silet, latebrasque petit, dominumque superbum
Ferre gemit, comes it meritò plebs cætera regi:
Formoso regi, cui vertice purpurat alto
Fastigatus apex, dulcique errore coruscæ
Splendescunt cervice jubæ perque aurea colla,
Perque humeros it pulcher honos palea ampla decenter
Albicat ex rutilo, atque torosa in pectore pendet
Barbarum in morem, stat adunca cuspide rostrum,
Exiguum spatii rostrum, flagrantque tremendum
Ravi oculi, niveasque caput latè explicat aureis,
Crura pilis hirsuta rigent, juncturaque nodo
Vix distante sedet durus vestigia mucro.
Armat, in immensum pinnæque hirtique lacerti
Protenti excurrunt, duplicique horrentia vallo
Falcatæ ad cœlum tolluntur acumina caudæ.
Ipse salax totam fæcundo semine gentem
Implet, & oblongo nunc terram scalpurit ungui,
Rimaturque cibos, nunc edita nubila visu
Explorat cauto, non illum squamea tutò
Aggreditur serpens, non raptor ab æthere milvus
Vocibus interea crebrum singultat acutis
Parturiens conjux, quæ scilicet ova, subinde
Tollit anus, signatque dies, vigilemque lucernam
Consulit, & Lunæ crescentis tempora servans,
Ut primum gallina glocit numero impare subdit.
Versatisque diu, solers auscultat, an intus
Pipiat involucer pullus, tenerumque putamen
Pertuderit molli rostro, atque erumpere tentet.
Parte alia bifero plumosam corpore messem
Nutrit, & in crassa satur urinare lacuna

Anser avet, stagnumque super pede remigat udo
Depictæ cervicis anas, prolemque natatum
Invitans, nunc extat aquis nunc mergitur altè.
Erigit explicitæ gemmata volumina caudæ
Ambitiosus amans, at ficu, & polline gliscit
Pellaci cantu deceptus ab aucupe turdus.
Insidit mutilo turtur, seseque saginans
Rauca gemit, dulcesque miser suspirat amores,
Flet viduus perdix, queritur peregrina cothurnix
Inclusi caveis, hic cæca cuniculus antra
Excavat, hic septo prægnans lepus errat in amplo,
Capreolique, hinnulique, & aduncis dentibus apri
Hàc stertunt glires, hàc fœmina fœtat echinus.
Dædala somniferos peragunt examina bombos,
Plenaque captivos servant vivaria pisces.
Scilicet his opibus placidè sua corpora curant,
Dulciaque inter se læti tellure magistra
Officia exercent, ut quæ neque ferre recuset
Imperium, neque non grandi mercede rependat,
Si qua laborifero debentur farra colono.
Ille autem, & volucri petit ardua sidera mente,
Scrutaturque sagax, quæ sit sententia divûm
Quid quæque emergens, latitansve, oriensve, cadensve
Stella paret, quid quadruplici celer afferat annus
Cardine, quæ sulcis, quæ sint stata tempora messi,
Quidque pecus vehat Olenium, qua grandine collis
Trux Nepa dilapidat, quo turbine surgat Orion,
Quos glomerent imbreis, aut pressus Arione Delphin
Aut Pleas, Arcturusque senex, Hyadesque puellæ,
Unde bibant herbæ divini pocula lactis:
Cur rubigo satis, uredoque vitibus obsit:
Quid nebulas abigat, tempestatesque repellat:
Quod vento ingenium, quæ nubes causa serenet:
Quidque silens moveat, quidque inter menstrua Phœbe
Vel cum plena meat, vel cum decrescere rursum.
Incipit. ille etiam numeros, legesque dierum

Pro-

Nunc præsepe oculis, nunc Bacchi spectat asellos,
Quique Noton cernit, quique est obversus ad Arctos,
Fulgores, tonitrus, inspersaque vellera cælo,
Brumalemque diem, & totum semel aspicit annum.
Necnon & nautis ruiturum in carbasa nimbum
Augurat, undisonum si fors mare surrigit Ægon,
Canaque conspergit sale saxa & littora frangit,
Tunc & tristifico roboant montana fragore
Et repetunt siccum mergi, atque ex æquore clamant
Ipsa volans sublimè auras, æthramque lacessit
Ardea, colludunt fulicæ, plauduntque gregatæ.
At lasciva lacus alis præstringit hirundo,
Et summas propè radit aquas, ranæque coaxant.
Fusca gradu cornix lento metitur arenas,
Aut fluvium capite, & madida cervice receptat
Crocituque gravi pluviam increpat usque morantem.
Clangunt Naupliadæ volucres, & pervia pinnis
Nubila conscribunt, incertus in æquore Delphin
Difflat aquas, latrant corvi, vocemque resorbent.
Progerit ova cavis patiens formica laborum.
Blanda canis terram pedibus scabit, ore lapillos
Tardigradus prendit cancer seseque saburrat,
Atque hæret ripæ, densum occinit improbulus mus,
Straminaque exculcat, quin centipedes Scolopendræ
Parietibus reptant, aures pigra motat asella.
Dependent bullæ lychno, sitiensque cruoris
Musca redit, summosque proboscide mordicat artus.
Nec longè à tectis apis ingeniosa recedit.
Prunaque, concretusque ima cinis hæret in olla:
Carboque pellucet: neque non prænunciat Euros
Pluma natans, foliumve errans, pappique volantes.
Flammaque cùm flectit, cum se se elidit, & ipsis
Vix sedet in stuppis, scintillamque excutit udam.
Vos quoque pastores ventos horretis, & imbres
Cum temere excursans pecus ampla in pascua fertur,
Cùmque alacres ludunt agni, calcisque protervos
Subsultim incutiunt inter se, & cornibus hærent:

Aut

Aut cum se è pastu vi, vix, ægreque revellunt:
Cumque boves liquidi suspectant lumina cœli,
Olfactantque auras, & succos naribus udos
Crebra trahunt, dextrumque latus consternere gaudent
Aut lingunt adversa pilos, aut vespere sero
Mugitu ingenti redeunt, caulasque fatigant.
Cum sibi non factos sus dissipat ore maniplos,
Cumque antro lupus exululat, cumque improbus idem
Nec metuens hominum propius consistit, & offert
Se mendicanti similem, ac loca culta pererrat.
Ergo in consilium maria advocat, æthera terras,
Naturamque omnem, vivitque autoribus astris
Cura deûm agricola, atque animo præscita recenset,
Et rerum eventus sensu præsagit acuto.
Hanc ò cœlicolæ magni concedite vitam.
Sic mihi delicias, sic blandimenta laborum,
Sic faciles date semper opes, hac improba sunto
Vota tenus, nunquam certè, nunquam illa precabor,
Splendeat ut rutilo frons invidiosa galero,
Tergeminaque gravis surgat mihi mitra corona.
Talia Fesuleo lentus meditabar in antro
Rure suburbano Medicum, quà mons sacer urbem
Mæoniam, longique volumina despicit Arni.
Quæ bonus hospitium felix, placidamque quietem
Indulget Laurens, Laurens, haud ultima Phœbi
Gloria jactatis Laurens fida ancora Musis,
Qui si certa magis permiserit otia nobis,
Afflabor majore deo, nec jam ardua tantum
Silva meas voces, montanaque saxa loquentur.
Sed tu (si qua fides) tu nostrum forsitan olim
O mea blanda altrix non aspernabere carmen.
Quamvis magnorum genitrix Florentia vatum,
Doctaque me triplici recinet facundia lingua.

ANGELUS POLITIANUS

LAURENTIO MEDICI,

Petri Francisci F.

S. D.

COgis tu quidem me, Laurenti, carmen edere inconditum, inemendatum, & quod in publico semel pronuntiatum, nimis fuisse impudens, visum sit. Satis profecto fuerat, vixisse unum diem, quod tam foret imperfectum animal, ac posse etiam inter insecta illa quæ vocentur Ephemera, connumerari. Namque ego id ad præsentem duntaxat celebritatem, quasi Adonidos hortum, concinnaveram. Prorogare tu nostræ *Mantus*, (ita enim inscribimus) non tam vitam cupis, quam dedecus: ferreus sim, si tibi quid denegem, tam nobili adolescenti, tam próbo, tam mei amanti, tanto denique eam rem studio efflagitanti. Quare habe tibi quidquid hoc libelli, ac tu quoque desiderio nostro aliquando subveni, & quæ tibi musæ amatoria carmina vernacule suggerunt, ne patere, quæso, à nobis expectari diutius. Vale. Florentiæ, IV. Nonas Novembris, M. CCCC. LXXXII.

ANGE-

ANGELI POLITIANI
IN SILVAM,
Cui Titulus, *Manto*,
PRÆFATIO.

STABAT adhuc rudibus Pagaseo in littore remis
Quæ ratis undosum prima cucurrit iter?
Dum tamen extremis hærent succincta ceruchis
Lintea, dum nautas flamina nulla vocant,
Conveniunt Minyæ, gemini Chironis ad antrum,
Qua fugit obliquo garrula lympha pede.
Quaque ingens platanus genialibus excubat umbris,
Explicat hic faciles rustica mensa dapes.
Crescit fronde torus, vernant in flore capilli,
Sed viret Herculeis populus alba comis.
Dat puer Æacides nivea Carchesia dextra,
Sed suus Alcidæ pocula miscet Hylas.
Finis erat dapibus, citharam pius excitat Orpheus,
Et movet ad doctas verba canora manus.
Conticuere viri, tenuere silentia venti,
Vosque retrò cursum mox tenuistis aquæ.
Jam volucres fessis pendere sub æthera pinnis,
Jamque truces videas ora tenere feras.
Decurrunt scopulis auritæ ad carmina quercus.
Nudaque Peliacus culmina motat apex.
Et jam materno permulserat omnia cantu,
Cùm tacuit, querulam deposuitque fidem.
Occupat hanc audax, digitosque affigit Achilles,
Indoctumque rudi personat ore puer.
Materiam quæris? laudabat carmina blandi
Hospitis, & tantæ murmura magna lyræ.
Riserunt Minyæ: sed enim tibi dicitur, Orpheu,
Hæc pueri pietas grata fuisse nimis.
Me quoque nunc magni nomen celebrare Maronis
(Siqua fides vero est) gaudet, & ipse Maro.

ANGELI POLITIANI SILVA,

Cui Titulus,

MANTO.

In Bucolicon Virgilii enarratione pronuntiata.

EST Dea, quæ vacuo sublimis in aëre pendens
It nimbo succincta latus, sed candida pallam,
Sed radiata comam, ac stridentibus insonat alis.
Hæc spes immodicas premit, hæc infesta superbis
Imminet, huic celsas hominum contundere mentes,
Successusque datum, & nimios turbare paratus.
Quem veteres Nemesin genitam de Nocte silenti
Oceano dixere patri, stant sidera fronti,
Fræna manu, pateramque gerit, semperque verendum
Ridet, & insanis obstat contraria cæptis:
Improba vota domans, ac summis ima revolvens
Miscet, & alterna nostros vice temperat actus,
Atque huc atque illuc ventorum turbine fertur.
Viderat hæc domitis tumidam te, Græcia, Persis,
Signa quoque Eoum victricia ferre sub orbem.
Viderat & cantu Aonio, eloquiisque superbam
Ire altum, magnumque loqui, cœloque supinum
Insertare caput, nec diis te ferre minorem.
Mox fastus exosa graveis, cervice coëgit
Ferre jugum, & Latiis superatam subdidit armis,
Nec fandi permansit honos: tu namque potenti
Protinus ore tonans, ardentis fulmine linguæ
Cuncta quatis, Cicero: Pyliæ non mella senectæ,
Nec jam Dulichias audet conferre procellas

Sponte

Sponte tibi virides transcribens Græcia palmas.
Se tamen Aoniæ solatur fronde coronæ.
Deerat adhuc Latio vatum decus horrida quanquam
Bella, tubasque rudi cantaverat Ennius arte.
Editus ecce Maro, quo non felicior alter,
Seu sylvas, seu rura canit, sive arma, virumque.
Namque Syracosiis cùm vix assurgat avenis,
Hesiodum premit, & magno contendit Homero.
Ergo age quis centum mihi nunc in carmina linguas,
Immensumque loqui, vocemque effundere ahenam,
Quis mihi det Siculas Latio clangore sorores
Post Geticam superare chelyn? dum te, optime vatum,
Imbellis pietas audaci promere cantu
Audet, Atlanteasque humeris fulcire columnas.
Unde ego tantarum repetam primordia laudum?
Aut qua fine sequar? facit ingens copia rerum
Incertum: sic frondifera lignator in Ida
Stat dubius, vastæ quæ primum robora sylvæ
Vulneret, hîc patulam procero stipite phagum,
Hîc videt annosam sua pandere brachia quercum.
Illic succinctas caput exertare cupressos,
Metiturque oculis Phrygiæ nemora alta parentis.
Te nascente, Maro, Parnassi è culmine summo
Affuit Aonias inter festina sorores
Calliope, blandisque exceptum sustulit ulnis,
Permulsitque manu quatiens, terque oscula junxit.
Omnia ter cecinit, ter lauro tempora cinxit.
Mox aliæ dant quæque tuis munuscula cunis:
Certatim dant plectra, lyram, pellemque, pedumque
Dant & multiforam modulanda ad carmina loton,
Et decrescenti compactas ordine avenas.
Dant Pandionias volucres, ter murmure placant
Liventeis oculos, ter frontem baccare tangunt.
Venit & Elysio ventari præscia Manto,
Manto, quæ juvenem fluvio conceperat Ocnum,
Ocnum, qui matris dederat tibi Mantua nomen,

Ve-

Venit & horrentes quatiens vittamque comasque,
Sanguineamque rotans aciem, sic ora resolvit
Plena Deo, & veras excussit pectore voces.
Dicebam memini, memini tibi, Mantua, quondam
Surge bonis avibus fundata, & fulmine lævo:
Surge, paremque astris contende educere molem,
Pyramidum supra sumptus, pro quanta manet te
Gloria, quàm longum senibus celebrabere seclis.
Nascetur, video, supera tibi missus ab arce
Sydereus vates, alti cui numinis haustum
Mens cœlo cognata ferat, quem grande sonantem
Non Linus Inachides tantum, atque Oeagrius Orpheus,
Aut mea qui Tyrio construxit mœnia plectro,
Sed vos, ô Musæ, sed tu mireris, Apollo.
Et nunc ecce puer tranquillæ ad lumina lucis
Ille diu promissus adest, vitamque salutans
Has teneris jam nunc mulcet vagitibus auras.
Euge, beate puer, sanguis meus, horreat ortus
Græcia tota tuos, laurumque habitura secundam
Ascra, Arethusa suis metuant, & Smyrna coronis.
Incipe adhuc gracili connectere carmina filo.
Incipe, magne puer, nec vota intexere diris
Impia, nec Culici gemitum præstare merenti,
Nec te Lampsacium pudeat lusisse Ithyphallum,
Blandaque lascivis epigrammata pingere chartis.
Æmonidas refer, & Brontem, Volcaniaque antra:
Ignivomosque apices montis raucoque trementem
Murmure Trinacriam, quoties per nubila flammas
Eructat, tentatque latus versare Typhœus.
Dic Scyllam subitis miseram quæ se induit alis,
Scyllam quæ nimio flagrans Minois amore,
Ah potuit rigido genitorem invadere ferro
Crudelis, potuit cano spoliare capillo
Crudelis, sed duro quis contendat amori?
Crudelis, sed culpa tua est, tua culpa Cupido.
Atque hæc prima novi fuerint elementa poëtæ:

Hæc fuerint timidæ præludia prima juventæ.
Jam vatem, jam, Roma, vocas, jam sæva recessit
Paupertas, præstatque piis grata otia Musis
Tuscus eques, nosco hunc, atavis qui regibus ortus
Discinctum juvenem, cerno & te, maxime princeps,
Purpureos inter proceres, sanctumque Senatum
Pendentem stare ad numeros atque ora tenentem.
Tu tamen ô miseræ nimium vicina Cremonæ
Quid fles amissum, quid fles, mea Mantua, campum?
Pascentem niveos herboso flumine cycnos?
Nonne vides ingrata tuis quæ præmia damnis
Accumulent superi, & solatia quanta rependant?
Ipsa en Roma tuo sese quoque jactat alumno.
Jamque Phalantei resonant pineta Galesi,
Tityrè, te vacuo meditantem murmur in antro,
Jamque tuam dociles recinunt Amaryllida sylvæ:
Nigraque dum raucum tremulis evibrat ab alis
Carmen, & epoto canit ebria rore cicada,
Montibus ab solis formosum jactat Alexin
Vocalis Corydon, & Alexin reddit imago.
Ecce autem imparibus dum sibila flectit avenis
Impubis pastor, faciles dum ludit amores,
Aureolo petit hunc malo, lascivaque currit
Ad salices Nymphe furtivo prodita risu.
Sed majora vocant, nunc, ô nunc omnis abesto
Impius, & casti linguisque animisque favento.
Stelligero Deus ille, Deus se fundit ab axe
Æterni mens certa patris, quique omnia nutu
Torquet, Idumææ se virginis inserit alvo,
Aurea sparsurus redivivo sæcula mundo,
Tu tamen ante alios felix mea vera propago,
Cui licitum in sylvis, inter coryleta jacenti
Rimari quid fata parent, quid pulchra minentur
Sydera, quique mihi divini pectoris hæres,
Enthea Cumæis incingas tempora vittis.
Verùm age jam gelidosque tegant umbracula fonteis,

Et

Et foliis cumuletur humus, densique maniplis
Inspirent flores, vacuoque incisa sepulchro
Candida formosum testetur littera Daphnin,
Daphnin ad astra vocet tenero cava fistula cantu
Ebrius intereà nostri nutritor Iacchi
Silenus molli dormit resupinus in antro,
Ebrius, & nimio venas tumefactus alumno.
Securum pueri audaces, atque improba Nais
Invadunt furtim, deque ipsis vincla coronis,
Quæ senis è mutilo modò vertice defluxerunt,
Injiciunt alacres, promissaque carmina poscunt:
Carmina cum sylvis totos mulcentia monteis.
Jamque tuis Minci glauca sub arudine ripis
Vincitur alterno Corydonis carmine Thyrsis.
Jam repetit querulam Damonis tibi Musam:
Damonis Musam scopuli, pinusque loquuntur.
Sed quid io tam dulce tibi est, Galatea, sub undis,
Quam formosa vocet ne quicquam ad littora Cyclops?
Infelix Cyclops, sed enim infelicior illo
Gallus amat, queriturque suam procul esse Lycorin,
Gallus, quem rigidæ flevere in montibus orni,
Cujus amorem omnes nequeunt mutare labores:
Gallus, quem frustra verbis solatus Apollo est.
Hæc sat erit si mas inter cecinisse capellas
Pastorem, tu victricem fer Mantua palmam.
Ecce lacertosi quærunt nova turba coloni
Quo segetes veniant campo, quo sydere tellus
Vertatur, quod sit falcis, quod tempus aratri.
Egredere ô sylvis, juvenis, curruque levatus
Triptolemi Latios fæcunda messibus agros.
Nec cœlebs jam palmes agat, sed reptet ad ulmum
Ebrius, ac dulci rubeat nova nupta marito,
Et pater autumnus medio consurgat ab arvo
Pomiferum viridi caput altè umbratus amictu,
Atque, Acheloe, tuum teneat grave dextera cornu
Stetque catenatas suadens nudare palæstras.
Palladis ampla arbos bicoloribus horrida baccis,

Fron-

Frondibus & verſis longum diſcriminet annum,
Jam lætos inter ſaltus, frondoſaque teſqua.
Hinc vitulus primo cui frons protuberet ævo,
Mugitu tenero matrem vocet, inde per herbas
Candida laſcivo diſcurrat bucula ſaltu.
At quibus aſſurgunt pleno jam cornua gyro,
Inter ſe adverſo decertent pectore amantes,
Dum rudis exultim florentis in æquore campi
Ludit equus, volucreſque fuga prævertere ventos
Aut tranare amneis, aut curſu evincere montem
Geſtit, Olympiacæ rapturus dona coronæ.
Lanigerumque pecus primo propellat Eoo
De ſtabulis paſtor, dum pratis roſcida lucent
Gramina, dum teretes per flexa cacumina guttæ
Colludunt, ipſæ hærentes vix rupibus altis
Aſpera Cyniphiæ carpant dumeta capellæ.
Tum glomerata cavo fundant ſe examina ſaxo,
Halantemque roſam, & tenerorum germina florum
Taurigenæ populentur apes, plenoque recurrant
Poplite, jam lentum teneat fundamina gluten:
Jam portas, arcemque & propugnacula condant,
Ceraque nectareas ducat ſexangula cellas:
Aut natos, aut mella legant, fucoſque repellant
Turpe pecus, jamque accinctæ civilibus armis
Expediantque manus roſtris, & ſpicula vibrent,
Nocturnoque ſonent muſſantia caſtra ſuſurro.
At tu quæ tellus æſtuque geluque laboras,
Cui ſacer hybernos Helicon intercipit ortus,
Ne ceſſa acceptam noſtræ ſubmittere laurum,
Nec jam ſupremi certent de ſanguine vatis
Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamis, Chios, Argos, Athenæ.
Quippe Bianoream manet hæc victoria gentem.
Namque meus timido qui rura, & paſcua verſu
Hactenus excoluit, ſtimulis tandem acribus actus
Dediſcetque metum, validaſque in pectore vires
Contrahet, attonitoque canet fera pectine bella.

Qua-

Qualis adhuc brevibus quæ vix bene fidere pinnis
Cœpit avis, matrem primò, nidosque loquaces
Circumit, & crebrum patula super arbore sidit.
Colligit inde animos sensim, & vicina volatu
Stagna legit, terrasque capit, captasque relinquit,
Lascivitque fuga, tandem & sublimia tranat
Nubila, & iratis audens se credere ventis,
In spatia excurrit, justisque eremigat alis.
Ac primùm Siculis magnum producet ab oris
Laomedontiadem, undisque & turbine sævo
Auferet in Libyen, quem Dido ignara futuri
(Sic placitum superis) animoque domoque receptet
Reginæque hospes diri commenta Sinonis,
Mendaces Graios, vanæ perjuria gentis,
Et populata malis Neptunia Pergama flammis,
Se quoque jactatum referet terraque marique.
Illa avidis bibet ignem oculis, noctemque diemque
Nutriet infelix væsanum pectore amorem.
Venatu tandem in medio Saturnia nimbum
Pronuba diffundet, soloque Hymenæus in antro
Affuerit, nullasque faces mœstum afferet omen.
Fulgoresque dabit Nymphis ululantibus æther.
Ipse Jovis monitu Æneas rursum ire per undas
Cogetur vento, rursum Itala quærere regna,
Surgentem Ausoniæ solio impositurus Iulum.
At Phœnissa rogum sævo furiata dolore
Incendet moritura, trucesque in vota vocabit
Eumenidas, mox & Phrygium, proh tristia dona,
Ah niveum per pectus aget miserabilis ensem.
Discolor interea taurino combibet ore
Iris aquas, iterumque antris effundet apertis
Hippotades hyemem, & rapidis ruet æquora ventis.
Zanclæas iterum fessi ejicientur ad oras
Troes, & hospitio fidi accipientur Acestæ.
Hîc patris ad tumulum solenneis ordine pompas
Dux feret, ac meritos celebrabit littore ludos.
Tum pelagus relegens amisso præside puppis

Vix tandem Euboica lacrymans potietur arena.
Atque ubi fata deum vivacis ore Sibyllæ
Hauserit, infernas etiam descendet ad umbras,
O pietas, manesque petet per Averna paternos,
Romanosque suos Lethæi ad fluminis undam
Conferet, & magnos gaudens cognoscet Iulos,
Paciferumque ducem, fulvo cui pulchra metallo
Secla fluent, cui pressa gravi pede bella jacebunt.
His lætus porta ad socios evadet eburna
Dux Anchisiades, Tuscumque enabit ad amnem.
N[illegible]um parta quies, restant bella aspera, restant,
Et crassus multo stagnabit funere Tybris.
At tibi Castaliis renoventur pectora lymphis,
Chare nepos, nunc nunc ingenti est ore sonandum
Grande opus à tergo, quis enim alto evincere cantu,
Clamoresque virûm, atque hinnitus speret equorum.
Tu tamen evinces licitum tibi, maxime vatum,
Arma, acies, furias, Martem ipsum æquare canendo.
Jamque volans superas Alecto impunè per auras
Tartareum canit, & resides stridentibus hydris
Instimulat, dux ipsa manu Saturnia sæva
Claustra quatit belli, postesque irata refringit.
Jam Latiæ coiere manus, domat aspera duris
Ora lupis sonipes, facilesque in pulvere gyros
Flectit eques, ipsæ Alpino de vertice sylvæ
Præcipitant, avidæ Phrygios haurire cruores.
Jam rastri pondus rigidum diffingit in ensem
Cædis amor, versique abeunt in pila ligones,
Attritusque cava mutatur casside vomis.
Jamque aurem horrisono rumpunt fera classica bombo,
Armorumque minax perstringit lumina fulgor.
Dumque alacres secum in Martem Cythereïus heros
Arcadas, & missum auspicio Pallanta sinistro
Audacem puerum, melioraque fata sequutos
Tyrrenos rapit, & tantis accingitur ausis.
Ecce furens Rutulus, sævoque instinctus amore

Ne-

Nequicquam in Phrygiam jaculatus lampada classem
Miratur subitas pelago consurgere Nymphas,
Nec minus irrumpit castris, altamque cruentus
Dat stragem, fluvioque evadit lætus amico.
Ultor adest, sociosque exponens littore tuto
Auspicium belli, maternis fulgurat armis
Dardanides, totasque in pugnam exsuscitat iras.
O qui sudor equis, qui se alto in pulvere reges
Turpabunt, quanto exsurget rubra sanguine tellus,
Nec tuus hasta Deus, nec te tua dextera forti
Mezenti, leto eripiet, visque effera mens.
Sed consors nato accedes tumulique, necisque.
At tu, quò nimio spoliorum, & laudis amore
Inconsulta ruis? quin sævas, bellica virgo,
Insidias prius, & venientem respicis hastam.
Tuque miser pone ò rapti mala gaudia baltei,
Et cæsi exuvias pueri, invidiamque deorum,
Turne, cave, dabis heu pœnas, dabis improbe, & istam
Evandro debes animam, atque ultricibus umbris,
Sic tandem Iliacas properans pensare ruinas
Ad Teucros fessis revolat victoria pinnis.
Grande tamen vobis leti solamen honesti
Magnanimi heroes nati felicibus astris
Afferet Aonius juvenis, cui dia canenti
Facta virûm totis pariter præconia linguis
Solvet fama loquax, cui dulci semper ab ore
Roscida mella fluent, cujusque Acheloia Siren
Gestiet innocuo divina poëmata cantu
Flectere, cui blandis insidet Suada labellis,
Cui decus omne suum cedet stupefacta vetustas.
Ipsa illi quem vix ducibus largiris honorem
Sponte feres, totoque assurges, Roma, theatro.
Hæc ubi veridico fudit de pectore Manto
Composuit vultum, teneroque arrisit alumno,
Osculaque ore legens sacrum inspiravit amorem,
Afflavitque animum, tenuesque recessit in auras.

Plauserunt

Plauserunt hilares ad tanta oracula Musæ.
Plauserunt Nymphæ, quique alto à vertice montis
Affuerat, capripes concussit cornua Faunus.
Et triplices carmen scripsere adamante sorores.
Vos age nunc alacres certatim Ethrusca juventus
Aoniis operata sacris accurrite mecum
Dædala perpetui visum monumenta poëtæ,
Qualia nec castæ peplis intexta Minervæ
Sollenni veteres lustro explicuistis Athenæ
Picta rubro quoties animantur prælia cocco.
Nec vetus immensum fuerint quæ sparsa per orbem
Gloria, septena celebrat spectacula fama.
Nam neque belligeris Babylon pulsata quadrigis
Mœnia, nec liquido pomaria pendula cœlo
Conferat, aut dextris constructa altaria Delos
Cornibus, aut vasti molem Rhodos aurea Phœbi.
Non, Cares Mausole, tui cælamina busti,
Phidiacum non Elis ebur, non ipsa superbas
Pyramidas jactet lascivi lingua Canobi.
Namque hæc aut valido Neptuni quassa tridenti:
Aut telo, Sumane, tuo traxere ruinam:
Aut trucibus nimbis, aut iræ obnoxia Cauri,
Aut tacitis lenti perierunt dentibus ævi.
At manet æternum, & seros excurrit in annos
Vatis opus, dumque in tacito vaga sydera mundo
Fulgebunt, dum sol nigris orietur ab Indis
Prævia luciferis aderit dum curribus Eos,
Dum ver tristis hyems, autumnum proferet æstas,
Dumque fluet spirans, refluetque reciproca Thetis,
Dum mixta alternas capient elementa figuras,
Semper erit magni decus immortale Maronis
Semper inexhaustis ibunt hæc flumina venis,
Semper ab his docti ducentur fontibus haustus;
Semper odoratos fundent hæc gramina, flores,
Unde piæ libetis apes, unde inclyta nectat
Serta comis triplici Juvenalis gratia dextra.
Ecquis io, juvenes, tanti miracula lustrans

Eloquii, non se immensos terræque, marisque
Prospectare putet tractus? hîc ubere largo
Luxuriant segetes, hîc mollia gramina tondet
Armentum, hîc lentis amicitur vitibus ulmus,
Illinc muscoso tollunt se robora trunco,
Hinc maria ampla patent, bibulis hoc squallet arenis
Littus, ab his gelidi decurrunt montibus amnes,
Huc vastæ incumbunt rupes, hinc scrupea pandunt
Antra sinus, illinc valles cubuêre reductæ.
Et discors pulchrum facies ita temperat orbem,
Sic varios sese in vultus facundia dives
Induit, & vasto nunc torrens impete fertur
Fluminis in morem, sicco nunc aret in alveo,
Nunc sese laxat, nunc exspatiata coërcet,
Nunc inculta decet, nunc blandis plena renidet
Floribus, interdum pulchrè simul omnia miscet.
O vatum preciosa quies, ò gaudia solis
Nota piis, dulcis furor, incorrupta voluptas,
Ambrosiæque deûm mensæ, quis talia cernens
Regibus invideat? mollem sibi prorsus habeto
Vestem, aurum, gemmas, tantum hinc procul esto malignum
Vulgus, ad hæc nulli perrumpant sacra profani.

ANGELUS POLITIANUS

Laurentio Tornabono suo S. D.

DEbetur hæc ſilva tibi, vel argumento, vel titulo: nam & Homeri ſtudioſus es, quaſique noſter, conſectaneus, & propinquus Laurenti Medicis, ſummi, præcellentiſque viri: qui ſcilicet *Ambram* ipſam Caianam, prædium (ut ita dixerim) omniferum, quaſi pro laxamento ſibi delegit civilium laborum. Tibi ergo poëmation hoc, qualecumque eſt, nuncupamus, ut ſit amoris noſtri monimentum, ſit incitamentum tibi ad ſtudia literarum, præſertimque Græcarum, in quibus tamen ita tantum proceſſiſti, ut videare ad ſummum brevi, ſi modo perrexeris, evaſurus. Vale Florentiæ, pridie nonas Novembres. M. CCCCLXXXV.

ANGELI POLITIANI

SILVA,

Cui Titulus,

AMBRA.

In Poëtæ Homeri enarratione pronuntiata.

SPICEA si Cereris templo suspensa corona
Donum erat agricolæ quondam, si vinitor uvam
Seposuit Bromio, quoties prædivite cornu
Copia se fudit, placidam si lacte recenti
Pastores sparsere Palem, spumantia postquam
Complerant olidam supra caput ubera mulctram,
Primitias & quisque sui fert muneris autor;
Cur ego non vocem hanc, aut si quid spiritus olim
Concipit egregium, si quid mens ardua conscit
Rarum insigne sibi, si quo se murmure jactat
Lingua potens; cur non totum in præconia solvam
Mæonidæ magni, cujus de gurgite vivo
Combibit arcanos vatum omnis turba furores.
Utque laboriferi ferrum lapis Herculis altè
Erigit, & longos chalybum procul implicat orbes,
Vimque suam aspirat cunctis, ita prorsus ab uno
Impetus ille sacer vatum dependet Homero.
Ille Jovis mensæ accumbens, dat pocula nobis
Iliaca porrecta manu, quæ triste repellant
Annorum senium, vitamque in secla propagent.
Ille deûm vultus, ille ardua semina laudum
Ostentat populis, ac mentis præpete nisu
Pervolitat chaos immensum, cœlum, æquora, terras,
Vimque omnem exsinuat rerum, vocesque refundit,

Quas

Quas fera, quas volucris, quas venti, atque ætheris ignes,
Quas maria, atque amnes, quas diique, hominesque loquantur.
Quin nudam virtutem ipsam complexus honores
Fastidit vanos, & ineptæ præmia famæ
Despicit exemtus vulgo, ac jam monte potitus,
Ridet anhelantem dura ad fastidia turbam,
Vos age nunc tanti precor incunabula vatis,
Divinosque ortus Clio dictate canenti,
Muneris hoc vestri, longis siquidem obsita seclis
Fama tacet, certumque deæ premit ora vetustas.
Iverat Æthiopum solitas invisere mensas
Oceanumque senem, & fœcundæ Thetyos antra
Juppiter, Ætnæoque manum exarmaverat igni,
Contentus sceptris, frontem tranquilla serenat
Majestas, sanctoque nitet pax aurea vultu,
Nimbi, hyemes, tonitrusque procul, regem omne deorum
Concilium facie, cultuque insigne sequuntur.
Bistoniis Mars instat equis, tu jungis olores,
Phœbe, Terapnæos, Getica Mars fulgurat hasta.
Contendis tu, Phœbe, fides, arcusque retendis:
Lyncas agit Bromius, pavos Saturnia pictos,
Tardos luna boves, annosas Delia cervas:
Grypas Hyperboreos Nemesis, Cytherea columbas:
Fert pedibus pinnas puer Arcas, crine galerum,
Et chelyn incurvam, atque incurvam sustinet harpen,
Paciferaque duos virga discriminat angues,
Goriton puer Idalius calamosque, facemque,
Alcides clavam, & Nemæi vellera monstri,
Tartaream Pallas galeam, & Phorcinida gestat;
Concordes gemino radiantur Castoris astro:
Claviger in semet redeuntem computat annum
Jam dextra deus, ad Saturnum lanea compes
Mulcibero jubet ire patrem, nec dextra, Prometheu,

Non tua Caucaseæ meminit ferrata catenæ.
Arma deos sua quemque decent, nec segnius alti
Numina conveniunt pelagi, rex ipse biformes
Arduus urget equos, sævoque tridente minatur
Euroque, Boreæque, & vultu temperat Austros,
Solus equo Zephyrus tremulis persultat in undis,
Ipse sinu facilem molli fovet Amphitriten,
Ludunt Nereidum simplex chorus, illa sororem
Provocat, & Blando certat superare natatu,
Hæc junctum Delphina regit, premit illa leonem,
Trux vehit hanc aries, olido sedet illa juvenco,
Insultant aliæ monstris: quæ plurima vastus
Subluit Oceanus: scopulis horrentia Cete
Ballænam: Pistrimque, & Physetera marinos,
Si qua fides vero est, efflantem ad sidera fluctus.
Quasdam & semiferi dorso Tritones amico
Excipiunt, bifidæque ligant curvamine caudæ,
Et nunc tortilibus permulcent æquora conchis,
Dulcia nunc flexis cervicibus oscula captant.
It Phorcus pater, it Glaucus, longamque per undas
Canitiem trahit, & Nymphis luctantibus instat,
Inousque puer, Glauca cum matre, repulsas
Nunc subter lascivit aquas, nunc improbus extat
Pube tenus, conchasque, & rubra corallia vellit.
Tu quoque non dubio frontem laxare severam
Tandem ausus risu, Proteu: verum una peremptum
Plorat adhuc natum Thetis, & crudelia divûm
Numina, crudeles Parcas miseranda lacessit,
Ac precibus mixtas obliquans sæva querelas,
Exitiique reum citat, & convitia fundit,
Tum vix passa thoro primos accumbere divûm
Procurrit turbata comas, & pectore nudo,
Sic dolor ille monet, lævaque amplexa verendi
Genva Jovis, dextraque attentans supplice barbam
Talibus affata est: O qui stellantia nutu
Regna quatis, viden', ut magna de gente dearum
Sola ego perpetuò (quid enim mea vulnera celem?)

Ta-

Tabescam luctu, vestrasque infesta profanem
Has epulas? quodnam ob meritum pater optime? certè
Non ego vincla tibi, scis ô, scis ipse parabam
Magne sator, non Corycio tua tela sub antro
Servabat Thetis anguipedi jurata Typhœo.
Nec nunc mortaleis thalamos, humilemque maritum
Conquerimur: fuerint Parcarum vellera justis
Invida connubiis, liceat timuisse tonanti.
Quanquàm ô (sed taceo) cur autem summe deorum,
Cur meus Æacides Latoïa tela cruentat
Te minor? anne etiam sobolem damnavimus ipsæ?
Aut faciem, Titani, tuam? sed vertite, quæso,
Me quoque jamdudum in silicem, nec marmora solùm
Tristibus æternùm lacrymis Sipyleïa manent.
Hos certè ingrato cineri, mutisque sepulchris,
Quando aliud quid sit, genitrix persolvat honores:
Si neque perpetuæ, saltem illum munere laudis
Dignaris pater, & Lethen parva accolet umbra.
Talia verba refert, genibusque affixa tonantis
Hæret inexhaustum lacrymans, sparsisque capillis.
Jamque deos omnes dictis, & imagine mœsta
Flexerat, invidiam sensit, vultusque retorsit
Ad Venerem Phœbus, tum divam pauca moratus
Sublevat omnipotens, verbisque ita mulcet amicis:
Ne crede æterno incisas adamante revelli
Posse deûm leges, stant omne immota per ævum
Quæ triplices nevere colus, nec funera nati
Flet Thetis una sui, communes desine casus
Adnumerare tibi, ac totam hanc circumspice turbam:
Scilicet invenies consortes undique luctus,
Me quoque in his: siquidem transegit Opuntia cuspis
Ductorem Lyciæ, & moribundum in pulvere mersit.
Nec tu digna tamen, fateor (ni fata repugnent)
Quæ tam sæva gemas, quæ mortales Hymenæos
Nerei pertuleris, nec solus Apollinis arcus

Pignora divarum Phrygiis tamen obruit arvis:
Est etiam cui Memnoniam Pallantias urnam
Imputet, atque adeò tristes ut pectore curas
Excutias, animumque leves, reddetur Achilli
Ingens tantorum pretium (mihi crede) laborum:
Nam neque Cerbereos rictus, nec Erynnidas atris
Anguibus implicitas, inamœnaque Tartara passus
Elisium tenet hic magna venerabilis umbra
Mutatis pulchram auspiciis sibi Colchida junget
Solis & Oceani volventi progener ævo.
Utque Rhodos Solem, Venerem Paphos, atque Cythera,
Junonemque Samos, Cereremque Typhoias Ætne,
Me mea Creta colit, sic nato candida Leuce,
Leuce, quæ Scythicis procul insula personat undis,
Templa tuo ponet, nautis hic ille sub alto
Fata canet luco venturæ nuntia sortis.
Adde, quòd & pulchro tradetur pulchra marito
Tyndaris Æacidæ stellis fulgentibus ardens:
Meque dabit socerum, thalamis en sternuit istis
Pulcher Hymen, gratasque vices sortita voluptas
Jam nunc dividuos juveni despondet amores.
Utque tuos artus nunc dulci Gratia nodo,
Nunc Paphie roseis nectit, Vulcane, lacertis:
Sic illum formosa Helenæ, formosa Cythæis
Auferet alternum, & lentus festa otia ducet.
Famaque (ne dubita) centeno gutture vestros
Indefessa canet: cœloque æquabit honores.
Audiet hos: & quem torrenti flammeus astro
Carcinus æstiferis latè dispescit arenis:
Et quos Herculeæ summorunt orbe columnæ,
Atque hominum primi Blemyæ, quosque altior axis
Cogit Hyperboreos subter durare Triones.
Nulla virûm gens, nulla dies, nusquam ulla tacebit
Posteritas, nulla teget invida nube vetustas,
Quippe deûm sancta nascetur origine vates,
Qui lucem æternam factis immanibus addat,

Qui

Qui regum fera bella tonet, grandique tremendas
Obruat ore tubas, cujus vocalia Siren
Pectora, & Aonidum miretur prima sororum.
Ille tuum Theti Peliden venientibus annis
Dedet honoratum, serisque nepotibus unum
Thessalus exemplum virtutis habebitur heros,
Quondam etiam nostro juvenis de sanguine cretus
Dux bello invictus, Gangen domiturus, & Indos,
Atque Semiramias fracturus cuspide turres,
Felicem tanto præcone vocavit Achillem:
Et dubitabis adhuc obductæ nubila frontis,
Atque importunas Euris mandare querelas?
Quin audes laxare animum, vultusque priores
Induis, & lætis hilarem te cœtibus infers?
Dixerat, illa oculis jamdudum absterserat imbrem
Læta omnem, ætherio grates agit inde tonanti,
Instauratque comas, cultusque habitusque decoros
Accipit, hic divinam Glaucarum tota sororum
Circunfusa cohors studio excolit, ipsa sibi obstat
Sedulitas, pars multifidi discrimine dentis
Cæsariem comit, molli pars colligit auro
Effusam, pars fingit acu, crinemque lapillis
Spargit Hydaspæis, hæ baccas auribus addunt,
Restituuntque sinus, illa aurea cingula donat.
Donat Erythæis hæc plena monilia conchis.
Lætantur Nereusque pater, grandævaque Doris.
Continuo redit ille decor, suffusaque pulchris
Fax radiat tranquilla genis, procul exulat omnis
Tristitia, insuetam tentant nova gaudia mentem.
Haud aliter verno cùm pulsa rosaria nimbo
Frondentis rutilum virgæ spoliantur honorem,
Defluit expirans dominæ cruor, ictaque lapsis
Commoritur foliis halantum gratia florum.
Ast ubi mox clarum jubar aureus exeruit sol,
Augescunt recidiva novis tum germina truncis,
Lætaque nativas ostentat purpura gemmas.
Jamque implere fidem divini cœperat oris

Æaci-

Æacides thalamo, & templis, & honoribus auctus:
Cùm partum ingentem memor extulit Ilithyia.
Hermæo prætenta sinu fuit inclyta quondam
Urbs toti prælata Asiæ, Bœbeius illam
Conjugis extinctæ monimentum nobile Theseus
Esse dedit Smyrnes, arcemque in monte locavit
Prospectantem undas semel, & sua tecta tuentem,
Quo flet mœsta silex Niobe, Niobesque sepulchrum.
Hic placido fluit amne Meles, auditque sub altis
Ipse tacens antris meditantes carmina cycnos.
Hæc vatem eximium tellus, ita sancta vetustas
Credidit, hæc illum dias in luminis oras
Prima tulit, pater Aonii deus incola luci
Ductare assuetus Thiasos, sacrisque sororum
Responsare choris, & par contendere Phœbo,
Furtivo pulchram implerat Critheida fœtu:
Inde capax nato ingenium, largusque verendæ
Scilicet haustus aquæ, primo (si credimus) ille
Vagitu horrisoni sternebat murmura ponti,
Pacabat ventos, mollibat corda ferarum.
Ipsa etiam lacrymas Sipyleia fundere cautes
Destitit audito, reptabat maximus infans
Fluminis in ripa, reptantem mollibus ulnis
Nais arenivagum rapiebat sæpe sub amnem
Ostensura patri, & rursum exponebat in ulva
Flore breves cinctum, aut apio rorante capillos,
Vosque Etheocleæ (ni mendax fama) sorores
Misistis letas Horarum à fronte corollas,
Flavaque virgineam puero immulsisse papillam
Dicitur Actæo ceu quondam Pallas Erechtheo.
Ipse ut jam certo vestigia ponere nisu,
Utque datum varia voces effingere lingua,
Gaudebat calamos Hybleis jungere ceris,
Dilectes Bromio calamos, gaudebat & uncam
Ore instare pio, ac digitis percurrere loton.
Grande tamen calami reboant, grande unca remugit

Tibia

Tibia sæpe illum vicina Faunus in umbra
Demirans, aureis tacitus tendebat acutas,
Et subito puerum Satyri cinxere theatro.
Cum Satyrisque feræ, sed quæ nil triste minentur,
Cumque feris sylvæ, sed quæ alta cacumina motent,
Multifidæque sacris admittent legibus auræ.
Ipsi quin etiam riguo Pactolus, & Hermus
Certatim affluxere auro, jussosque tacere
Ripa ab utraque suos Mæander misit olores:
Mæander sibimet refluis sæpe obvius undis.
Mæander sub humum pudibundo flumine labens:
Quod puerum ignarus Carpon, dum ludit in unda,
Delicias nati, mox natum merserat alveo
Infelix genitor: sed venti id crimen amantis.
Verum ubi primævæ dubio se flore juventæ
Induit, ac plenis adolevit fortior amnis,
Carmen amat, carmen, pro maxima numina vatum,
Carmen Apollineo tantùm modulabile plectro
Carmen Caucaseas silices, cautemque Sicanam
Quod trahat, & rigidi leges infringat Averni,
Exarmetque Jovis minitantem fulmine dextram,
Jamque insana sacrum vis, insertusque medullis
Extimulat vatem Æacides, jam parturit altum
Mens opus, & magnis animosa accingitur ausis.
Ille tamen quænam ora sui, qui vultus Achilli,
Quive oculi, quantus maternis fulgeret armis,
Scire avet, ah nimius voti, violentaque fundens
Murmura, terribilem tumulo ciet improbus umbram.
Continuò Sigæus apex concussus in æquor
Procumbit, raucumque gemit Rheteia contra
Littora, & effusis tremit ardua fontibus Ide,
Semiustumque cavo Xanthus crinem abdidit antro.
Ecce tuens torvum, nec vati impunè videndus
Phthius honoratis heros adstabat in armis:
Qualis Peliaca Theucros obtriverat hasta
Priamiden versa à Danais dum quæreret ira
Ultor, & heu fluviis miseros campisque fugaret:

Flam-

Flammeus ignescit thorax, auroque minatur
Terrifico radiatus apex, in nubila surgit
Fraxinus, & longa rursum Hectora vulnerat umbra.
Ipse ardens clypeo ostentat terramque, fretumque
Atque indefessum Solem, Solisque sororem
Jam plenam, & tanto violentia sidera mundo.
Ergo his defixus vates, dum singula visu
Explorat miser incauto, dum lumina figit,
Lumina nox pepulit, tum verò exterritus hæsit,
Voxque repressa metu, & gelidos tremor impulit artus.
At juvenem sacer Aonium miseratus Achilles,
Quandoquidem, Saturne, tuas inflectere leges,
Haud licitum cuiquam, clypeo excipit, oraque jungens
Inspuit augurium, baculum dat deinde potentem
Tiresiæ magni, qui quondam Pallada nudam
Vidit, & hoc raptam pensavit munere lucem,
Suetus in offensos baculo duce tendere gressus.
Nec deest ipse sibi, quin sacro instincta furore
Ora movet tantique parat solatia damni.
Æaciden tamen, Æaciden cœlo æquat, & astris,
Æaciden famæ levat arduus alite curru,
Unum Dardanidis, unum componit Achivis
Æaciden, unum ante omneis miratur, amatque.
Ac primùm irarum causas, trepidique tumultus
Expedit, utque luem neglecta induxerit ægris
Relligio populis, ut regem irritet amantem
Testorides, ut acerba fremens, vix temperet ipso
Ense puer Thetidis, vix magni sanguine Atridæ
Abstineat, divæ admonitu, quæ jurgia contrà
Dux ferat incensus dictis, quo vulnera Nestor
Melle riget, quantum amisso dux frendeat alter
Munere, quos nato genitrix exoret honores,
Quid doleat Juno, cœlo quid portet ab alto
Insidiosa quies, quæ rex obliquet inertis
Tentamenta fugæ faciat Laërtius heros.

Quan-

Quantum operæ pretium, cùm dulcibus aspera miscet,
Cùm vaga clamosæ reprimit convicia linguæ,
Cùm suadet durent castris, præsagaque monstrat
Fata deûm, memorat platanum, infantesque volucres
Cum matre absumptas, versumque in saxa draconem.
Quo Pylius fremat ore senex, ut pacta, fidemque
Deploret, dextrasque datas, ut fulmina narret
Missa polo, ac pretium ostentet victoribus urbem.
Quæ facies Danaûm, cùm sese in munia Martis
Accingunt, quantum dux ore, & pectore, & armis
Emineat: tum Pieridas sua numina rursum
Consulit, Hectoreasque Agamemnoniasque phalanges
Enumerans, ipsos icto mox fœdere amantis
Committit, victumque rapit Phryga nubibus atris,
Victorem Atriden nec opino vulnerat arcu.
Tum pugnam instaurans toto dat funera campo,
Haud dubitans alta Tydiden strage cruentum
Dardanio, Lycioque duci, totidemque repentè
Objectare deis, Glauci post munere pulchro
Insignem auratis ostentaturus in armis.
Quid nunc Sidoneo tentatam Pallada peplo,
Quid memorem lacrymas Thebææ conjugis, & te,
Parve puer, cristas, & cassidis æra timentem?
Teque, heros, longè gradientem & torva tuentem,
Quassantemque procul metuendam cuspidis umbram,
Atque ausum corde impavido solum Hectora contra
Stare diu? quid te populorum fata deorum
Lancibus æquantem imparibus, rex magne deorum,
Aut misero tonitru Danaos, & lampade sæva
Terrentem? quid te vallo castrisque minantem,
Priamida armipotens, his rursum adjungitur ardens.
Heu precibus nihil, & donis inflexus Achilles,
Exceptusque Dolon, & somno proditus heros
Othrysius, tacitaque aversi nocte jugales,
Qui superent candore nives, qui cursibus æquent
Flamina, mox ipsi ferro, telisque repulsi

Ducto-

Ductores Danaûm, clypeoque interritus Ajax
Tutari sociam classem, Iliacumque paratus
Ductorem, & ferrum, & flammam exceptare, Jovemque
Quem cæsto tamen Idalio, conjuxque, sororque
Implicat, & somni facies mentita volucrem
Dum pater æquoreus fessis aspirat Achivis.
Nec mora, Peliacis cùm longè horrendus in armis
Emicat, & nubem belli defensat Achivis
Actorides, ac sanguineo Sarpedona campo
Obruit, heu magni prolem Jovis inde secundis
Elatus rerum, Balium, Xantumque jugales,
Quos Zephyro peperit geminos Harpyia Podarge:
Et te captivo funalem, Pedase, collo
Igneus extimulat, Scææque in limine portæ
Concidit, ah tanti nimium securus amici.
Nam quid Panthoiden fœdantem sanguine crineis
Illos, proh dolor, argentoque auroque micanteis:
Quid primos querar heroum pro corpore functo
Certatim obnisos inter se haud cedere certos,
Atque animam exanimum funus super exhalantes?
Ecce suum tandem cantor Smyrnæus Achillem
Suscitat, ardentem clypeo atque Hyperionis orbem
Orbe lacessentem pulchro, & cœlestibus armis,
Ingentique manu Centaurica tela tenentem,
Atque immortaleis adigentem in prælia bigas.
Hic verò obversis victoria remigat alis
Dum rapit in ferias, dum curribus ille, virisque,
Atque armis, & equis minitantem infestior implet
Xanthon, & arsuras angustat cædibus undas.
Vix ego nunc si mille sonent mea pectora linguis,
Voxque adamante rigens, atque indefessus anhelet
Spiritus, infusum totos pæana per artus,
Bella deûm narrem, terram ipsam immane gementem,
Clangentemque polum, Martemque in jugera septem,
Porrectum multoque comas in pulvere mersum,

Ægi-

Ægidaque horrificam, protectamque Ægide pectus
Pallada, nil magni metuentem fulmina patris,
Imbellemque deum Venerem, & te, Phœbe, tridenti
Summittentem arcus, & te, Latonia virgo,
Jam pavidam, ac vacua linquentem castra pharetra.
Nec si Castalios ipsis à fontibus amnes,
Hauriat os avidum, nec si Pyrenida lympham,
Pimplæosque bibat latices, æquare canendo
Hectora sanguineum, violentumque ausit Achillem:
Hectora pro patria charisque penatibus unum
Stantem animis contra, qualis draco pastus amaros
Per brumam succos, venientem expectat iniquus
Pastorem, & tumido furiatus felle cruentum
Spectat, hians immane, cavoque advolvitur ingens.
Æaciden autem cædem, & crudele ferentem
Exitium, qualis vasti Canis Orionis
Per noctem exercet radios, sævumque minatur.
Jamque illum ante oculos amborum, ante ora parentum
Raptatum Hæmonio circum sua mænia curru,
Jam funus, Patrocle, tuum, Priamumque superbos
Porrectum antè pedes, atque auro supplice victum,
Dixerat invictum juvenem, lamentaque sæva
Iliadum, mœstosque rogos, cineremque sepultum:
Cum subitò in somnis Ithaci experientis imago
Visa viro, sic ampla humeros, sic pectora fundens,
Sed letale gerens vulnus, namque inscia nati
Dextera quæsitum per cærula vasta parentum
Protinus æquoreæ viroso Trigonos ictu
Perculerat sive ira Deûm, seu fata jubebant.
Atque ait: O magnæ qui princeps debita laudi
Præmia persolvis, qui lenta oblivia seclis
Excutis, & seros famam producis in annos
Anne tot exhaustos nobis terraque marique
Lethæo mersos fluvio patiere labores?
Nec sua reddetur virtuti gloria merces?
Namque licet virtus semet contenta quiescat,

Sola tamen justos virtus adsciscit honore,
Solaque se meritò laudum fulgore coronat,
Quin etiam ignaris præferre nepotibus optat
Prima facem, ac monstrare viam, quæ tendat in altum
Culmen, & è celso scandenti porgere dextram,
Quem neque posteritas, neque tangit fama superstes:
Nempe aliis exempla sibi vitam invidet amens.
Ergo sub Iliacis tractantem prælia muris
Graius Achilleis populus donaverit armis:
Tu verò emenso quæ gessi plurima ponto,
Quæque tuli, nullo vates dignabere cantu,
Quem solum vocat iste labor, cui pectore pleno
Defluit illa mea felix opulentia linguæ.
Incipe, namque adero, & præsens tua cœpta juvabo.
Hæc ait, & pariter somnusque, Ithacusque recessit.
Ille novo rursus musarum percitus œstro
Concinit abiegna Danaos compagibus alvi
Occultos, & equi molem, fraudemque Sinonis,
Indiciique metu præclusum pollice fauces,
Anticlon Ortygiden, populataque Pergama flammis,
Dissectasque rates, patriumque à Pallade missum
Fulmen, Oilidenque ignes, & sulphura fixo
Pectore prostantem, téque importunè Capharen,
Nec faciles Ciconas, fortunatosque ciborum
Lotophagos, vinóque gravem Cyclopa per antrum
Exporrectum ingens, humanaque frusta vomentem
Mixta mero, inque bovis constrictos tergore ventos,
Et Lamium Antiphaten, & virgam, & pocula Circes,
Cimmerionque domos, Everridenque locutum
Vera senem, fusoque allectos sanguine maneis,
Et maris illecebras, vocemque impunè canoræ
Virginis auditam, Scyllamque, avidamque Charybdin,
Lampetienque patri violata armenta querentem,
Immersosque undis socios, ipsumque natantem

Littus

Littus ad Ogygies, & Atlantidos antra Calypsus,
Neptunumque iterum ventosque undasque cientem,
Leucotheamque piam, Cercyræosque recessus
Hospitio faciles, subitumque in gurgite montem,
Assertumque larem tandem, ultricesque sagittas.
Ergo tegunt geminæ victricia tempora laurus
Vatis Apollinei, geminis ergo arduus alis
Fugit humo, celsumque altis caput intulit astris,
Par superis, ipsique Jovi, quo nulla rebellis
Spicula livor agat, quò nulla aspiret iniquæ
Tempestas fœda invidia, sic eminet extrà
Liber, & innocuus, toto sic ille sereno
Perfruitur gaudens, magni ceu purus Olympi
Suprà imbres vertex, & rauca tonitrua surgit,
Despectatque procul ventorum prælia tutus.
Quo nunc divitias animo si carminis ore
Exequar? haud illi plena se conferat urna
Hermus, & aurata radians Pactolus arena.
Et Tagus, & Durius latebras quodque eruit audax
Dalmata, quodque procul Bessus rimatur: & Astur,
Fusile Calaica quodque in fornace liquescit,
Decolor in toto quodque invenit Indus Hydaspe,
Quemque Rhodos fulvis hausit de nubibus imbrem,
Quodque manu dea cæca tenet præ divite cornu:
Utque parens rerum fontes, & flumina magnæ
Suggerit Oceanus terræ, sic omnis ab istis
Docta per ora virûm decurrit gratia chartis.
Hinc fusa innumeris felix opulentia seclis
Ditavit mentes, tacitoque infloruit ævo:
Omnia ab his, & in his sunt omnia, sive beati
Te decor eloquii, seu rerum pondera tangunt.
Nam quæ tam varium Memphitis stamen arundo
Separat, aut quæ sic Babylonos texta potentis
Sollicita pinguntur acu, qua tanta colorum
Gloria, cum pinnis Zephyri rorantibus adsunt,
Quantus honos vocum, quàm multis dives abundat
Floribus, & claris augescit lingua figuris?

Sive libet tenui versum deducere filo,
Seu medium confine tenet, seu robore toto,
Fortior assurgit: seu vena paupere fertur
Aridius, celeri seu se brevis incitat alveo,
Gurgite seu pleno, densisque opulentior undat
Vorticibus, sive humentes læto ubere ripas
Dædala germinibus variat, majore nec unquam
Sermo potens meminit se majestate loquentem.
Quod si facta virûm victuris condere chartis,
Flectere si mavis orando, & fingere mentes,
Hunc optato ducem: non causas doctius alter,
Personamque, locumque, modosque, & tempus, & arma,
Remque ipsam expediet, dum nunc jactantior exit,
Nunc contorta ruit, nunc se facundia profert
Simplicior, varia nunc floret imagine rerum.
Dulcius eloquium nulli, nec apertior unquàm
Vis fandi fuit, aut quæ mentibus acrior instet.
Indole quenque sua pingit, sua cuique decenter
Attribuit verba, & mores, unumque tenorem
Semper amat, meminitque sui, scit & unde moveri,
Et quo sit prodire tenus, fusumque gubernat
Arte opus, & mediis prima, ac postrema revincit:
Nunc teneras vocat ad lacrymas, nunc igneus iram
Suscitat interdum retrahit, probat, arguit, urget,
Nunc nova suspendunt avidas miracula mentes,
Fœta bonis, ipsum utiliter celantia verum.
Quicquid honorato sapiens canit ore vetustas.
Doctaque multijugæ post hunc divortia sectæ,
Hinc haustum, sive infanti cunabula secli,
Seu conspirantes pugnaci fœdere causas,
Discordemque fidem, & genitalia semina rerum
Seu potius mundi fines, divumque rotatas
Contemplere domos, atque obluctantia cælo
Sydera, quæ magnum vis tanta Hyperionis orbem
Torqueat, exhaustam reparet quo fonte sororem
Ausam fraternis mediam se opponere flammis,

Et

Et subitis violare diem, lucemque tenebris.
Conscia fatorum num mens animaverit astra,
Unde tremat tellus, trifidane impulsa laboret
Cuspide Neptuni, cæcis an terga cavernis
Subdat atrox Boreas, nostrum erupturus in orbem.
Ventorum nunc ille vices, nunc fulminis ortus
Monstrat, & elisis crepitantes nubibus auras:
Curque ruunt imbres, subitus cur lumina fulgor
Sic ferit, ut medium credas discindere cœlum.
Esse Deum, mentem immensam, rerumque potentem,
Cunctaque complexum, stabili qui lege gubernet
Naturam, mundique vices, qui fata solutis
Subjuget arbitriis, qui temperet omnia solus.
Esse animos leti exortes, sed corpore claudi
Ceu tumulo, quos in varias tamen ire figuras,
Hoc dictante docet tacitæ dux ille cohortis,
Ante ortus memor usque sui, sibique ipse superstes.
Quin & præcelsa rationem sistit in arce
Ceu dominam, tristes in pectore concitat iras,
Viscera de generi damnata cupidine passus.
Nec tacet, unde æger cruciat dolor, unde rebellem
It furor in rabiem, cur pallent ora timentum,
Genua tremunt, stant corda gelu, stant vertice crines
Quæ summi sit meta boni, quæve orbita rectum
Signet iter, quò se confundat devius error,
Quot virtus fluat in rivos, quo cardine honestum
Vertatur, rebus quantum Fortuna caducis
Præsit, ut humanos toleret mens cruda tumultus,
Quæ cives mensura premat, quo robore leges
Firmentur, plus consilio res crescat, an armis
Publica, quas belli tentet dux callidus artes:
Quàm vocum sit amica fides, quàm magna gregandis
Relligio numeris, quantis præsagia signis
Consultes: quantum succos rimata salubres
Ardua Pæoniæ valeat solertia dextræ.
Hinc & magniloquis voces crevêre cothurnis:

Hinc lasciva datos riserunt compita soccos.
Hinc hausisse jocos teneri creduntur amores,
Quique astricta brevi claudunt epigrammata nodo.
Quin & Apellæos digitis animare colores
Monstrat, Olympiaco quin is dedit ora tonanti.
Nec faber ille negat, dum nigris mota laborant
Cuncta superciliis, immortalesque sequuntur
Astra jubas, sanctā dum majestate tremendum
Excipiunt, magnoque assurgunt numina patri:
Heroumque idem facies, & celsa potentum
Ora Deûm, variisque horrenda animalia formis,
Diversasque urbes, posituſque habitusque locorum
Innumeros, sensusque animorum, carmine pulchro
Naturamque omnem illa ipsa mirante figurat.
Huic aras, huic templa dedit veneranda vetustas.
Hunc ære, hunc saxo, fulvôque colebat in auro:
Hunc unum authorem teneris præfecerat annis,
Rectoremque vagæ, moderatoremque juventæ:
Hunc etiam leges vitæ agnovere magistrum:
Omnis ab hoc doctas sapientia fonte papyros
Irrigat: hunc proprias olim Gangetica tellus
Transtulit in voces: hujus natalia septem
Quæque sibi rapiunt studiis pugnacibus urbes.
Hunc & Sithonii patientem jura flagelli
Asseruit patrio vindex Ptolemæus ab amne:
Hunc quoque captivo gemmatum clausit in auro
Rex Macedûm, mediis hunc consultabat in armis,
Hoc invitabat somnos, hinc crastina bella
Concipere, huic partos suetus jactare triumphos:
Et nos ergo illi grata pietate dicamus
Hanc de Pierio contextam flore coronam,
Quam mihi Caianas inter pulcherrima Nymphas
Ambra dedit patriæ lectam de gramine ripæ:
Ambra mei Laurentis amor, quam corniger Umbro,
Umbro senex genuit domino gratissimus Arno:
Umbro suo tandem non erupturus ab alveo.
Quem super æternùm staturæ culmina villæ

Eri-

Erigis, haudquaquam muris ceſſura Cyclopum,
Macte opibus, macte ingenio, mea gloria Laurens:
Gloria muſarum Laurens, monteſque propinquos
Perfodis, & longo ſuſpenſos excipis arcu,
Prægelidas ducturus aquas, quà prata ſupinum
Lata videt Podium riguis uberrima lymphis,
Aggere tuta novo, piſcoſiſque undique ſepta
Limitibus, per quæ multo ſervante moloſſo
Plena Tarentinis ſuccreſcunt ubera vaccis.
Atque aliud nigris miſſum (quis credat?) ab Indis
Ruminat ignotas armentum diſcolor herbas.
At vituli tepidis clauſi fœnilibus intus
Expectant tota ſugendas nocte parentes.
Intereà magnis lac denſum bullit ahenis.
Brachiaque exertus ſenior, tunicatáque pubes
Comprimit: & longa ſiccandum ponit in umbra.
Utque piæ paſcuntur oves, ita vaſtus obeſo
Corpore ſus Calaber cavea ſtat clauſus olenti.
Atque aliam ex alia poſcit grunnitibus eſcam.
Celtiber ecce ſibi latebroſa cuniculus antra
Perforat, innumerus net ſerica vellera bombix.
Ad vaga floriferos errant diſperſa per hortos,
Multiforumque replent operoſa examina ſuber.
Et genus omne avium captivis inſtrepit alis.
Dumque Antenorei volucris criſtata Timavi
Parturit, & cuſtos Capitoli gramina tondet,
Multa lacu ſe merſat anas, ſubitaque volantes
Nube diem fuſcant Veneris tutela columbæ.

FRANCISCI SANCTII BROCENSIS,

In Inclyta Salmanticensi Academia Rhetorices, Græcæque Linguæ Primarii Doctoris,

IN SYLVAS ANGELI POLITIANI,

Quas adolescens illustraverat, curæ maturiores, & ampliores.

DE VITÆ INSTITUTO ANGELI POLITIANI,

Ex libro 9. suarum Epistolarum, ad Pannoniæ Regem Matthiam.

QUI sim verò, quemve inter literatos locum teneam, malo equidem ex aliorum tibi, quam ex meis indicari verbis. Tantum dixero, me Laurentii Medicis magni, sapientisque viri tuarum virtutum studiosissimi, non diligentia minus, quam liberalitate de obscuro, tenuique loco, qui nascentem susceperat, in aliquam certè lucem, dignitatemque, nullis adeò, nisi literarum adminiculis pervenisse: profiteri jam multos annos Latinas Florentiæ literas magna (quod omnibus notum est) celebritate, sed & Græcas ex pari cum Græcis, quod nescio an alteri Latinorum (dicam enim audacius) mille circiter annos ante contigerit: stylum denique sic ipsum per omnia pene materiarum diverticula duxisse fœliciter, ut (quod erubesco, quamquam pene testatum referre) cunctos fermè, quicunque in litteris ætate mea claruerunt, habere meruerim laudatores.

Et paullo inferius de Sylva, Nutriciis.

Ut

Ut autem gustum sumere aliquem jam nunc vigiliarum nostrarum possis, en Poema tibi multa lima cruciatum, quod historiam continet omnium ferè vatum. Sed & mittam commentarios paullo post in id opus copiosissimos, in quibus quicquid de varia, multiplicique lectione condidimus, explicabitur. Ac (nisi me dulcissimus amor suscepti laboris fallit) tantas ex hoc libello velut è thesauro divitias proferemus, ut magna ex parte studiosæ juventutis quædam veluti inopia relevetur: ac tum denique puto quivis intelliget, quam multis ista mihi lucubrationibus constiterint. Quarè ne quæso numeret Angeli Politiani carmina lector, sed ponderet.

Silva quid, & de Nutriciis.

Silva dicitur à silendò, unde Horatius non semel trisillabum enuntiavit, si lu æ. Virgil. 4. Æneid. *Quum tacet omnis ager, pecudes pictæque volucres.* Et infra, *sub nocte silenti.* Silva, Nemus, & saltus differunt. In silva sunt arbores sive cæduæ, sive incæduæ. Silva cædua est (inquit Caius) quæ in hoc habetur, ut cædatur. Servius eam esse aiebat, quæ succisa rursus ex stirpibus, aut radicibus enascitur. L. *Silva.* 30. *D. de verb. sign.* Saltus est ubi silvæ & pastiones sunt. Nemus etiam à pastione, vel pascendo dictum Græcis, sed est magis locus voluptatis causa paratus, sive arte, sive natura constet. Silvæ rursus per translationem dicuntur illa, quæ congeruntur & comparantur ad componendum librum, vel orationem. Cic. 3. *Orat. Primum silva rerum, ac sententiarum comparanda est.* Sed crediderim potius Politianum silvarum inscriptione delectatum, eò quòd in silvis scripserit, & in secreto nemore. Nam in Fesulano nemore, ut in fine primæ silvæ fatetur, sedem habebat. In fine Rustici sic modulatur:

Talia Fæsuleo lentus meditabar in antro,
Rure suburbano Medicum: qua mons sacer urbem

Mæoniam, longique volumina despicit Arni.
Qua bonus hospicium felix, placidamque quietem
Indulget Laurens. cæt.

Idem *in Epigram. de fonte Ambra* Laurent. Medicis.

Ut lasciva suo furtim daret oscula Lauro,
Ipsa sibi occultas repperit Ambra vias. cæt.

Quur autem *Nutricia* inscripserit primam silvam, ipse in epistolio declarat. Sunt enim Nutricia præmia illa, quæ nutricibus dantur. Unde Manilius *lib.* 4.

Et pretium cœli sua per nutricia ferre.

Sic victorum præmia vocantur Νικετήρια: & *Evangelia* vocabantur, quæ ob lætum nuncium exhiberentur mercedes; unde forte Arabes corrupere *Albricias. Minervalia* vocat Juvenalis disciplinæ præmia. Multa hujusmodi apud Græcos nomina sunt: nam nullum genus certaminis aut contentionis est, cujus apud eos non sit retributionis nomen. Gratias agit in hac silva Nutrici suæ, id est, Poesi, eamque miris modis extollit, ab utilitate primum, quam in vitam humanam intulit, ab antiquitate, atque præstantia, sed præcipuè à numerosa & egregia sobole, dum diversi generis Hebræos, Græcos, Latinos, & Thuscos Poetas dinumerat, & extollit.

℣. 1. *Stat vetus, &*) Celebris extat oratio Aristidis Adrianensis, quæ Panathenaica dicitur: ea sic incipit:

Νόμος ἐςὶ τοῖς Ελλησι παλαίος, οἶμαι δὲ καὶ τῶν βαρβάρων τοῖς πλεῖςοις τροφεῦσιν χάριν ἐκλίνειν ἄπεισαν ὅση δυνάτη:

Id est, *Antiqua est apud Græcos lex, & apud Barbaros, ut puto, plerosque viget, quæ jubet nutritoribus maximas pro viribus gratias referre.*

2. *Divorum, atque hominum concors.*) Cicero *lib.* 1. de Legibus scribit; deos, ac homines, non solum communione legis naturalis, verum etiam gente & agnatione teneri. Hac lege tenentur grati homines exem-

exemplo ciconiæ, quæ ſuos ſenectute feſſos, & debiles parentes humeris portat, & cibos ſuppeditat. Unde natum proverbium Αντιπελαργεῖν, id eſt, *more ciconiarum nutricia rependere.* Hanc legem amplexi ſunt Bacchus, Jupiter, Æneas, & Romulus, qui ſuis nutricibus ampliſſima præmia perſolverunt, de quibus ſuo loco.

℣. 2. *Incidit in auro.*) Hoc dicit propter aureum ſæculum: ſed leges non in auro, ſed in ligno: ut duodecim tabulæ Rom. ut Axones, & Cyrbes Athenienſium, & Lacedæmoniorum Rhetræ. Horat. *in Poët. Leges incidere ligno.* Contendunt aliqui in æs incidi ſolitas, illud certè negari non convenit, decreta Senatus, quæ publicè proponebantur, in æs inciſa. Nam decretum illud quod in Rubicone Cæſari è Galliis advenienti fuit propoſitum, in ænea tabula præſcriptum ſcimus. Laurent. Valla *lib. Eleg.* 3. *cap.* 18. contendit non poſſe dici, *literæ inciſæ ſunt in ære, ſed in æs*, quanvis dicatur, *in ligno*, *in auro*, cæt. Tu ſine ſcrupulo, ut voles uteris, nec id ſine teſtimoniis facies.

4. *Fatorum conſulta Themis, ſollerſque futuri Prometh.*) *Fatorum conſulta* dixit: ut, *juris conſultus*: & *ſollers futuri*, ut Horat. *in Arte*: *Muſa lyræ ſollers.* Porro *Sollers* cum duplici ll à Σολλον, voce Oſca, id eſt, *totum*, quaſi *totus ars*: unde *ſollemne*: ut latius diſputavimus in *Minerva*, de Themide & Prometheo. poſtea.

9. *Hinc Italos.*) *Cajetam* (inquit Servius. 7. *Æneid.*) *alii Æneæ, alii Creuſæ, alii Aſcanii nutricem volunt.* Porro de Cajeta urbe varia traduntur. Nam ante Æneam vocatam tradunt Aieten. Strabo vocat *Cajattam*, & Laconicam vocem arbitratur. Nam Lacones, curva, vel concava vocant Καιαττα: unde Juvenalis — *littore curvo Cajetæ.* Servius à Καίειν, id eſt, *incendere*, vel *cremare* deduci dicit ſe comperiſſe, quia ibidem caſu Troiana claſſis incenſa fuit,

utcunque ſit, noſter poeta ſequitur Virgil. 7. *Æneid.*

Tu quoque littoribus noſtris Æneia nutrix,
Æternam moriens famam Cajeta dediſti.

℣. 10. *Hinc urbe Quirini.*) Quirinus dictus eſt Romulus, cujus nominis tres cauſas aſſignat Ovid. 2. *Faſtor.*

Sive quod haſta Quiris priſcis eſt dicta Sabinis
Bellicus à telo venit in Aſtra Deus.
Sive ſuo Regi nomen poſuere Quirites:
Seu quia Romanis junxerat ille Cures.

11. *Annua cinctutos.*) Hæc ſacra Ovidius. 5. *Faſtorum* ab Evandro inſtituta canit: ubi etiam legendum:

Semicaper coleris cinctutis Faune Lupercis

non ſuccinctis. Sed Plutarchus *in Romulo*, illi hæc ſacra tribuit, vel inventa, vel renovata. De cinctutis diximus in *Scholiis ad Artem Poëticam* Horatii. Et de Lupercis & Lupercalibus ſatis multa Alex. ab Alexandro *lib.* 4. *cap.* 12.

12. *Hinc pater Aſtrig.*) De Dodonidibus Bacchi nutricibus adſcribam Latine verba Scholiaſtis Homeri *Iliad.* 18. *In Tauri cornibus* (inquit) *ſeptem ſtellæ poſitæ ſunt: vocantur autem* Υαδες, *ſive quia in figuram V literæ ſunt diſpoſitæ, ſive quod imbrium cauſa ſint,* (ὕω *enim pluere eſt*) *Jupiter, quum primum ex femore Bacchum eduxit Dodonidibus numphis alendum tradidit, Ambroſiæ, Koronidi, Eudoræ, Dionæ, Aiſulæ, Poluxoni. Ipſe autem Dionuſium poſtquam educarunt, cum ipſo peragrantes nuper inventam ab ipſo deo vitem hominibus gratificatæ ſunt. Lucurgus autem uſque ad mare perſecutus eſt Bacchum, ipſas vero miſeratus Jupiter in ſtellas transformavit. Hiſtoriam* (inquit) *narrat Pherecudes.* Heſiodus autem quinque tantum commemorat Bacchi nutrices, Phæſulam, Koronin, Kleian, Phæo, Eudoran. Arati interpres Latinus Pleiadas facit Bacchi nutri-

nutrices, non Huadas, nescio an falso. Vide Politianum *epist.* 2. *lib.* 1. Ovid. 5. *Fast.*

Ora micant Tauri septem radiantia flammis
Navita quas Huadas Graius ab imbre vocat.
Pars Bacchum nutrisse putat: pars credidit esse
Thetyos has neptes, Oceamque senis.

Hyadas antiqui Latini appellavere *Suculas* ignorantia Græci sermonis, putarunt enim dictas ab *hus huos*, vel *sus suos*, id est, sus, vel porcus, quia dictæ sint à pluendo, hoc est: Υειν. Cic. 2. *Nat. Deor.* de Tauro loquens: *Ejus caput stellis conspersus frequentibus: has Græci stellas Υαδας vocitare ferunt à pluendo, nostri imperite Suculas, quasi à suibus essent, non ab imbribus nominatæ.* Plin. *lib.* 8. *cap.* 26. *Hyadas appellantibus Græcis has stellas, quod nostri à similitudine cognominis Græci propter suos impositum arbitrantes, imperitia appellavere Suculas.* Quare autem Pleiades, & Huades filiæ dicantur Atlantis, & Pleiones explicat interpres Arati dicens: Atlantem esse finitorem seu Orizontem, & Pleionem Oceanum, unde Pleiades Huades, aliaque signa oriantur.

℣. 14. *Hinc jubar Olenium.*) De capta Olenia, quæ Jovem infantem lactavit, multa Ovid. 5. *Fastor.* sed hæc nota:

Nascitur Oleniæ signum pluviale capellæ,
Illa dati cœlum præmia lactis habet.

Olenia dicitur ab Oleno Vulcani filio, cujus filiæ Jovis fuere nutrices: aut ab Oleno Achaiæ urbe, cujus meminit Strabo *lib.* 8. sic, *Æga, seu Æge hoc tempore deserta est: at vero Ægium satis incolarum habet: hoc loco Jovem à capra nutritum scribunt: in quibus Aratus.*

Divaque capra Jovi, fama est, hic præbuit uber.
Oleniamque Jovis vates dixere capellam.

Sed Arati interpres Oleniam dictam scribit, quod in ulnis Aurigæ locata sit. ωλενος enim ulnam significat.

℣. 17.

℣. 17. *Ast ego, cui sacrum.*) Prosapodosis figura, id est, redditio est, & simul sustentatio, vel suspensio. *Non olidi conjunx hirci*, propter nutricem Jovis: *non rava bellua*, propter Romulum: *non petulans numpha*, propter Bacchum. & infra. *Nec fulminis autor*: hic est Jupiter: nec *Thursi potens*: hic est Bacchus, cujus ministri dicebantur *Thursigeri*, atque adeò ipse Bacchus pro sceptro thursum gerebat. *Sceptripotens*, hic est Romulus, & pro quolibet rege ponitur. Nectar à Græcis dicitur, quod non moriantur qui eo utuntur.

18. *Olidi conjunx hirci.*) Id est, capra fœtida, vel uxor fœtidi. Capræ dicuntur etiam meretrices, quia in fœtido lupanari habitant; & alæ sub brachiis fœtentes dicuntur hirci, vel capræ.

Rava bellua.) id est, lupa, ravus color, non melius potest declarari, quam ex villis luporum, lupi enim propriè dicuntur ravi, ut fulvi leones, & oculi ravi, quales sunt luporum.

34. *Intulerat terris.*) Hæc elegantissima carmina ingeniose & copiose desumta sunt ex *proœmio Ciceronis ad primum librum de inventione rhetorica*, ex quo aliqua suggeram verba, quoniam elegantissima sunt, & correctiora, quam quæ in codicibus antiquis erant, describam. *Ac si volumus ejus rei, quæ vocatur Eloquentia, sive Artis, sive Studii, sive Exercitationis cujusdam, sive Facultatis à natura profectæ considerare principium: reperiemus id ex honestissimis causis natum, atque optimis rationibus profectum. Nam fuit quoddam tempus, quum in agris homines passim bestiarum modo vagabantur, & sibi victu ferino vitam propagabant, nec ratione animi quicquam, sed pleraque viribus corporis administrabant. Nondum divinæ religionis, non humani officii ratio colebatur: nemo legitimas viderat nuptias: non certos quisquam inspexerat liberos: non jus æquabile quid utilitatis haberet, acceperat. Ita propter errorem, atque inscientiam*

tiam cœca, atque temeraria dominatrix animi cupiditas ad se explendam viribus corporis abutebatur perniciosissimis satellitibus. Quo tempore quidam, magnus videlicet vir & sapiens, cognovit, quæ materia esset, & quanta ad maximas res opportunitas in animis inesset hominum, si quis eam posset elicere, & meliorem præcipiendo reddere. Qui dispersos homines in agris, & in tectis silvestribus abditos ratione quadam unum in locum compulit, & congregavit: & eos in unamquamque rem inducens utilem, atque honestam, primo propter insolentiam reclamantes, deinde propter rationem, atque orationem studiosius audientes, ex feris, & in manibus mites reddidit, & mansuetos. Ac mihi quidem videtur hoc, nec tacita, nec inops dicendi sapientia perficere potuisse, ut homines à consuetudine subito converteret, & ad diversas vitæ rationes traduceret. Age vero urbibus constitutis, ut fidem colere, & justitiam retinere discerent, & aliis parere sua voluntate consuescerent, ac non modo labores excipiendos communi causa commodi, sed etiam vitam amittendam existimarent: qui tandem fieri potuit, nisi homines ea, quæ ratione invenissent, eloquentia persuadere potuissent? Profectò nemo nisi gravi, ac suavi commotus oratione, quum viribus plurimum posset, ad jus voluisset sine vi descendere, ut inter quos posset excellere, cum iis se pateretur æquari, & sua voluntate à jucundissima consuetudine recederet, quæ præsertim jam naturæ vim obtineret propter vetustatem. Hactenus Cicero. Horat. *in Poët.*

Silvestres homines sacer interpresque deorum
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus:
Dictus ab hoc lenire tigres, rabidosque leones:
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quò vellet: fuit hæc sapientia quondam,
Publica privatis secernere, sacra profanis:
Concubitu prohibere vago: dare jura maritis:

Oppi-

Oppida moliri: leges incidere ligno.
Sic honor & nomen divinis vatibus, atque
Carminibus venit.

ỽ. 38. *Et summum deprenderet.*) Deum agnoscimus ex operibus ejus inquit Cic. I. *Tuscul.*

42. *Posset ab ignavo senium.*) Virgil. I. *Georg.*

——— *Pater ipse colendi*
Haud facilem esse viam voluit: primusque per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda:
Nec torpere gravi passus sua regna veterno. cæt.

48. *Visque insita cordi.*) *Divinæ particulam auræ* vocat Horatius *in Serm.* Inchoatas intelligentias vocant Græci προληπσεις, vel ennoeas, nostri, *notiones*, vel *informationes* appellant.

51. *Nondum religio, si credere dignum est.*) Quia ut inquit Cic. 2. *nat. Deor. Omnibus innatum est, & quasi inscriptum, esse Deos.*

55. *Non thorus insterni genio.*) Id est, non erant conjugia inter illos, unde lectus genialis, pro conjugali accipitur. Festus Pompeius scribit *Genium appellatum Deum, qui vim obtineret omnium genendarum* (lego *genendarum*, pro *gignendarum.*) Et subdit: *Aufustius, inquit, genius est deorum filius, & parens hominum, ex quo homines gignuntur, & propterea genius meus nominatur, quia me genuit. Alii genium esse putarunt, uniuscujusque loci Deum.* Hæc Festus. Virgil. 5. *Æneid.*

Incertus Geniumne loci, famulumne parentis
Esse putet.

Horatius *lib.* 2. *epist. epist.* 2. *in fine.* Naturæ deum videtur appellare, sic:

Scit Genius natale solum qui temperat astrum
Naturæ Deus humanæ: mortalis in unum-
Quodque caput, vultu mutabilis albus, & ater.

Quo in loco Lambinus, & item Turneb. *lib.* 2. *cap.* 15. ex corrupto loco Plauti disputant, Genium dici

dici Naturæ deum. Locus Plauti est in *Menæch.* scena. *Bene obsonavi.*

MEN. *Nunc ipso naturæ deo, responde mihi.*

Alciatus *lib.* 10. *cap.* 14. Parerg. sic emendavit.

MEN. *Nunc obsonator adeo responde mihi.*

Sed jam in emendatioribus legitur rectè, & mutatis personis.

CYL. *Menæchme, numero huc advenis ad prandium,*
Nunc obsonatu redeo. MEN. *Responde mihi.*

℣. 59. *Et nunc ceu prorsus morientem.*) Heraclitus (quem refellit Aristot. *lib.* 2. *cap.* 2. *Meteor.*) dicebat Solem quotidie juvenescere. Unde Virgil. 4. *Æneid.* ut etiam adnotat Servius.

Et jam prima novo spargebat lumine terras.

70. *Aurigam dominamque.* cæt.) Hæc ex Horatii *lib.* 2. *epist.* 1.

Os tenerum pueri balbumque poeta figurat,
Torquet ab obscenis jam nunc sermonibus aurem:
Mox etiam pectus præceptis format amicis:
Recte facta refert: orientia tempora notis
Instruit exemplis: inopem solatur & ægrum:
Castis cum pueris ignara puella mariti
Disceret unde preces, vatem ni Musa dedisset?
Poscit opem Chorus, & præsentia numina sentit:
Cœlestes implorat aquas docta prece blandus:
Avertit morbos: metuenda pericula pellit:
Impetrat & pacem, & locupletem frugibus annum.
Carmine dii superi placantur carmine manes.

74. *Ausa Prometh.*) Interpretatur ex Platone, & aliis, quid sit furtum Promethei. Siquidem ideo dicitur adjutrice Minerva furatus scintillam ignis solaris, & in nares terreni hominis insuflasse, quia primus Dialecticam invenit, & vim disputandi in terras deduxit.

75. *Nam simul ac pulchro eloquio sapientia.*) Maximus Tyrius Platonicus *sermone* 29. variis argumentis contendit Poëticam à Sapientia, vel Philosophia

ſophia non differre, cujus ex initio ſermonis hæc verba ſunt. *Quid enim eſt aliud Poëtice, quàm Philoſophia vetus, metricis numeris conſonans, & argumento mythologica Philoſophia deinde quid eſt aliud, quam Poëtica tempore junior, ſententia expeditior, & apertior? Duarum igitur rerum tempore tantum, ac figura diſcrepantium quiſnam differentiam conſtituat?* Cicero & Quintilianus ſubjectam olim fuiſſe eloquentiæ ſapientiam teſtantur.

℣. 80. *Denſi humeris.*) Horat. *lib.* 2. *Od.* 13. *Sed magis pugnas, & exactos tyrannos Denſum humeris bibit aure vulgus.*

83. *Quidve fide cultus, quid jus æquabile.*) *Fide* pro *fidei*: *jus æquabile* vocat Επιεικειαν, de qua Ariſtot. *Ethicor. lib.* 1. *cap.* 10. Æquum & bonum.

90. *Quod gerat imperium fractura.*) Eleganter expreſſit diviſionem appetitus, ex Platone & Ariſtotele. Appetitionis tria ſunt genera, conſilium, ira, cupiditas: *de quibus nos in noſtris Rhetoricis lib.* 1. vide in *Ambra* prope finem.

Quin & præcelſa. cæt.

101. *Mandavere notis.*) Horat. *Satur.* 3. *lib.* 1.
Donec verba quibus voces, ſenſuſque notarent,
Nominaque invenere. Idem, ut ſupra retulimus.
Oppida moliri, leges incidere ligno.
Succinctus arator. Virgil. *Æneid.* 3.
Interea Æneas urbem deſignat aratro.

Olim aratrum tam in condendis, quàm evertendis urbibus circunduci ſolebat: Horatius *lib.* 1. Od. 6. *Imprimeretque muris hoſtile aratrum Exercitus inſolens.* Unde Varro 4. *Ling. Lat.* ab *urbo*, id eſt, aratri curvatura dictas urbes oſtendit.

106. *Venus deſultoria.*) Sueton. in *Julio. Quadrigas, bigaſque, & equos deſultorios agitaverunt nobiliſſimi juvenes.* Pollux, & Ælianus vocant ἀμφιππεῖς, id eſt, *Deſultores*, eos qui duos equos agitantes, ex altero in alterum mira pernicitate deſiliebant.

℣. 109.

℣. 109. *Etiam æthera curis Subſtravere.*) Ovidius. 1. *Faſt.*

Felices animæ, quibus hæc cognoſcere primum.
Inque domos ſuperas ſcandere cura fuit.
Et ſtatim.
Admovere oculis diſtantia ſidera noſtris
Ætheraque ingenio ſuppoſuere ſuo.

111. *Animoque rotatos.*) Horatius in *Odis* de Archyta. *Nec quidquam tibi prodeſt.*

Aërias tentaſſe domos animoque rotundum
Percurriſſe polum morituro.

116. *An vero ille ferox.*) Hæc fere ſunt verba Ciceronis ex illo loco ſupra citato, quum dicitur: *Profecto nemo*, cæt. & ſubjunge verſus Horatii. *Silveſtres homines.* cæt. vide Quintil. *lib.* 2. *titulo*: *An utilis ſit Rhetorica.*

125. *Roſeamque dracones.*) Claudianus *lib.* 1. *de rapt.*

Angues Triptolemi ſtridunt, & ſquamea curvis
Colla levant attrita jugis, lapſuque ſereno
Erecti roſeas tendunt ad carmina criſtas.

Draconum criſtas qui viderit, non reperitur. Plin. *lib.* 11. *cap.* 37.

132. *Ipſum fama Jovem.*) Heſiodus in *Theogonia.*

Principium à Muſis igitur deducimus: illæ
Laude animum patris exhilarant: plerumque canentes,
Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.
Vox concors, atque indefeſſa canentibus illis.
Adde quod aula Patris ſolet arridere dearum
Carminibus, reſonat domus alta nivalis Olympi,
Cœlicolûm domus: immortali voce ſorores
Divorum genus extollunt, laudantque canendo:

139. *Nunc age, qui tanto.*) Nunc de Enthuſiaſmo poetarum, & ejus ratione perite diſſerit. Eſt autem Ἐνθυσιασμὸς, furor, vel afflatio numinis. Ἐνθουσιαστικὸς, divinus, ſeu animos rapiens. Et Ἔνθεος,

 nu-

numine afflatus, vel divinus. Hispane, *Endiosadò.*

℣. 141. *Præmia doctæ frontis.*) Horat. Oda prima: *Me doctarum hæderæ præmia frontium Diis miscent superis.*

145. *Musa quies hominum.*) Lucretius *lib.* 6. *Calliope requies hominum, divumque voluptas.*

146. *Juppiter ut perhibent.*) Hic incipit narratio de præstantia poëtarum, & poëseos. Quum (inquit) verum sit illud,

Virgil. —— *Deum namque ire per omnes*
Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum: debemus etiam fateri, in omnibus rebus harmonica modis latione temperatis Deum existere. Hanc harmoniam in planetis, & Plato & Pithagoras, & deprehenderunt, & docuerunt. Hinc *Microcosmus* dictus est Homo, in quo cœlestis hæc elucet harmonia. Adde his, poetas esse aliquid supra homines, his divinæ particulam auræ magis communicat Deus, unde Ενθει appellantur. De Musica siderum præclara ex Platone scribit Cicero *in Somnio Scipionis*: *Quis hic, inquam, quis est, qui complet aures meas tantus, & tam dulcis sonus? Hic est, inquit ille, qui intervallis conjunctus imparibus, sed tamen pro rata portione distinctis, impulsu, & motu ipsorum orbium efficitur: qui acuta cum gravibus temperans æqualiter concentus efficit.* Multa hic Macrobius disputat in *Somn. lib.* 2. *cap.* 3. ex Platonis *Politia*, & Censorinus *de die natali.* Plin. *lib.* 2. *c.* 22. De Enthusiasmo autem multa Jamblicus contra Porphyrium, qui dicebat Vaticinium esse phantasiam, aut morbum, qualis accidit melancholicis, aut phreneticis: sed pauca huc inferam ex §. *de inspiratione divina*: *Animi, inquit, divinitus afflati, percitique subjecerunt vitam suam penitus afflanti Deo. Ideo sive ut vehiculum, sive ut instrumentum se subjecerint, priorem vitæ modum deposuere. Atque vel vitam propriam, in vitam divinam commutavere, vel*

vitam

vitam suam penitus ad Deum agunt. Ideo neque utuntur sensibus, neque ita vigilant, ut qui vigiles habent sensus: neque ipsi praesagiunt, aut moventur humano quodam impetu, atque more, neque suum statum animadvertunt: neque ullam edunt cognitionem, actionemque propriam: sed totum illic agitur sub forma cognitioneque divina.

ỽ. 154. *Stellantesque globos sua quaeque innoxia Siren.)*

Innoxia dicitur, quia Sirenes, quas Homerus finxit, appulsis erant noxiae. Macrobius *lib.* 2. *in Som.* sic ait: *Hinc Plato in rep. sua, quum de Sphaerarum volubilitate tractaret, singulas ait Sirenas singulis orbibus insidere: significans Sphaerarum motu cantum numinibus exhiberi: nam Siren, Deo canens Graeco intellectu valet.* Haec ille. unde subdit Politian.

115. *Ambrosio mulcens pia numina cantu.)* Veteres Theologi etiam orbibus caelestibus Musas dedicavere, sumta ex Hesiodi Theogonia occasione. Atque etiam in sacris literis Job. *cap.*38. Quis enarrabit coelorum rationem, & concentum coeli quis dormire faciet? Suidas sic ait:

σειρῆνες αὐτῆς ψυχῆς ἐναρμόνιοι, καὶ μουσικαὶ δυνάμεις, id est,

Sirenes sunt enarmonicae ac musicae virtutes, seu potestates. Unde Politianus:

156. *Nec tamen in nullis hominum simulacra refulgent*
Mentibus, arcanam. caet.)

158. *Nam ceu tralucet imago.)* Sannazarus loquens de sacra Virgine *lib.* 2.

Haud aliter, quam quum purum specularia Solem
Admittunt, lux ipsa quidem pertransit, & omnes
Irrumpens laxat tenebras.

159. *Ceu pro condita vitro.)* Si limpidissimam quam vase vitreo inclusam soli opponas, cum

radiorum conjuncti ex altera parte stupas incendunt.

℣. 163. *Is rapit evantem fervor.*) Lucanus *lib.* 5. graphice describit sacerdotem fœminam Deo plenam: ubi hæc sunt carmina.

Non unquam plenior artus
Phœbados irrupit Pæan: mentemque priorem
Expulit, atque hominem toto sibi cedere jussit
Pectore,

Enthusiasmum, præter Lucanum, describit late Cicero *in libris de divinatione:* & Plutarchus *in libello, de Defectu Oraculorum.*

170. *Cygnea mele.*) Melos in plurali τα μελεα, & contractione τα μελη, id est, *cantica.* Lucretius *lib.* 2.

Et Cygnea mele. Phœbeaque dædala chordis
Carmina consimili ratione oppressa silerent.

Ibidem paullo ante.

Ac musea melle per chordas organici quæ
Mobilibus digitis experge facta figurant.

Plato in *Phædone: Cygni morituri tunc maxime canunt, lætantes quod ad eum deum ituri sunt, cujus sunt ministri.*

172. *Naula citata.*) Politianus *cap.* 14. *Miscel.* in illud Ovid. 3. *Art.*

Disce etiam duplici genialia Naulia palma
Vertere, conveniunt dulcibus illa modis.

Naulia (inquit) *deminutum puto, sive nablia ab illis, quæ vel Naula, vel Nabla dicimus. Etenim b literas & u, ferme pro iisdem positas invicem sæpe veteribus monumentis adnotavimus. Suidas etiam Nabla organi species ait. & idem alio loco: Psalterium, inquit, organum est musicum, quod Naulon etiam vocatur. Quin Sophoclis versum Plutarchus adducit:*

οὐ ναῦλα κωκύτοισιν, λύρα φιλα, *id est,*

Non naula luctibus, non lyra grata. Sed & Theodoretus in Psalmos de eo meminit, & Plutarchus

in

in Sympos. Sunt autem multa organorum barbara nomina, sicut Strabo narrat, inter quæ nabla quoque enumerantur, id est, Psalteria. & infra. Nevel (ait Solomon Gallus) idem est quod Psalteria, id est, Psalterium, & in Esaia legitur Navel, à quo Græca figura Naulon, inde Naulion, hoc Ovidianum, & paullo post: Denique Genialia cur dixerit Ovidius, ex oratione Scipionis, quam ponit Macrobius lib. 3. cap. 14. Satur. cognosci potest. Docentur præstigias inhonestas: cum cinædulis, & sambuca, psalterioque eunt in ludum histrionum: discunt cantare. Ambrosius lib. 3. de utilitate jejunii: psalteria docet adhiberi conviviis, ut libidines incitentur. Hæc ille.

℣. 172. *Dulcior ille flatus.*) Elegans organici instrumenti descriptio, cujus & chori vicissitudinibus alternis psalmi canuntur, descriptio. Novum inventum est, & à Syringe stipata & frequente deductum. Græcum de hoc instrumento epigramma fecit Politianus. Latine sic. *lib.* 5. *epist.*

Æreum fistularum conspicio ordinem: sed quis in ipso
Efficit occulte multisonum strepitum?
Is, qui citis vicissim motos digitos palmis
Versat, tremulasque utrinque agitat tabellas,
Sed dispersorum unde ipsi tantum agmen flatuum?
Non vides folles geminos retrorsum?

177. *Antrum Phœbados.*) Phœbas erat illa Sibylla, quæ Cumis, id est, in antro Euboico reddebat Oracula. Cujus Enthusiasmon describit Poeta. 6. *Æneid.* Et *lib.* 3. dicit:

Insanam vatem aspicies, quæ rupe sub ima
Fata canit.

Id est, sonus grandior, qui ex pectoribus poëtarum erumpit, tantus est, quantus fuit Cumis Sibyllinus: quem neque rubæ horrisoni Martis vincant: nec Jovis tonitrua: nec etiam pinnorum sibila in Ossæ montis cacumine: aut ruentis Nili cataractæ, qui

maximus fragor est. De Nilo multa Pomp. Mela, *lib.* 1. *cap.* 9. de cujus Cataractis, sive Catadupis, quæ sunt ante Elephantinem urbem Ægyptiam: sic Plinius *lib.* 6. *cap.* 29. ubi Nilus præcipitans se fragore auditum accolis aufert. Cic. *in Somn. Sicut ubi Nilus ad illa, quæ Catadupa nominantur, præcipitat ex altissimis montibus, ea gens, quæ illum locum accolit, propter magnitudinem sonitus sensu audiendi caret.* Lucan. *lib.* 10.

—— Quis te tam lene fluentem
Moturum totas violenti gurgitis iras
Nile putet? sed quum lapsus abrupta viarum
Excepere tuos, & præcipites Cataractæ,
Ac nusquam vetitis ullas obsistere cautes
Indignaris aquis, spuma tunc astra lacessis.
Cuncta tremunt undis, ac multo murmure montis,
Spumeus invictis albescit fluctibus amnis.
Hinc Abaton quam nostra vocat veneranda vetustas
Terra potens, primos sentit percussa tumultos.

℣. 188. *Ipsaque Niliacis*, cæt.) *Ceu ferreus olim.* Totum hoc expressum ex Platone est. Socrates *in Ione* dicebat, se quoties Homerum legeret, divinum quodammodo spiritum imbibere. Deinde: Divina autem vis est, quæ te movet qualis est in eo lapide, quem Euripides quidem Magnesium nominavit: alii vero Heracleum. Hic enim lapis non solum ipsos annulos ferreos attrahit, verum etiam eam vim infert annulis per quam idem, quod lapis ipse possit efficere: nempe alios annulos ducere: ita ut interdum longa series, longaque catena annulorum ferreorum inter se apta, & connexa sit: & omnibus iis ex illo lapide vis attrahitur: ita ipsa Musa poetas divino instinctu concitat, poetæ conciti, alios furore corripiunt. Lucret. *lib.* 6.

Quem Magneta vocant patrio de nomine Graii,
Magnetum quia sit patriis è sedibus ortus.
Hunc homines lapidem mirantur: quippe catenam

Sæpe

Sæpe ex annelis reddit pendentibus ex se:
Quinque etenim licet interdum, pluresque videre
Ordine demisso levibus jactarier hamis:
Unus ubi ex uno dependet subter adhærens:
Ex alioque alius lapidis vim, vinclaque noscit.
Usque adeo permananter vis pervalet ejus.

Plinius *lib.* 36. *cap.* 16. Magnetem ab inventore nomen accepisse narrat. Sunt qui eum vocent *sideritem*, quia ferrum trahat. Dicitur & Heraclius. Unde Polit. *Ambra.*

Utque laboriferi ferrum lapis Herculis, alte
Erigit, & longos Chalybum procul implicat orbes
Vimque suam inspirat cunctis: ita prorsus ab uno
Impetus ille sacer vatum dependet Homero.

ỽ. 201. *Ora sonis Nereus.*) incipit jam enumerare priscos vates, ut poesin à numerosa progenie celebret. Primum locum obtinet Nereus, propter antiquitatem. Ponti filius fuit, ut canit Hesiodus in Theogonia, sic:

Νήρεα τ' ἀψευδέα, καὶ ἀληθέα γείνατο πόντος, cæt. id est.

Et genuit verum, atque fidelem Nerea Pontus,
Nerea qui superat fratres ætate, senemque
Grandævum dicunt: quia verax cultor & æqui
Provida consiliis arcanaque mitia novit.

Ex quibus carminibus constat fuisse vatem, quod dubitavit Henricus Glareanus in illa *Oda Horatiana lib.* 1. cujus epigraphe est: *Nerei vaticinium*, & pro (*Nerei*) supponit (*Prothei*) secutus Porphyrionem. Sed fallitur, nam & Hesiodus diserte hic vatem vocat, & Apollodorus *lib.* 2. *Bibliot.* & scholia Homeri *lib.* 1. *Iliad.* ut dicemus in *Ambra*, ad illa verba: *Non ego vincla tibi.* in scholiaste Apollonii Rhodii verba Pherecidis citantur, in quibus ea quæ de Protheo solent dici, de Nereo dicuntur. Quæ

verba sic Latina feci. *Pherecides* in. 10. de *nuptiis Junonis*, ait, *Tellurem produxisse in Oceano aurea mala, sive malum arborem fructus aureos ferentem, quos observaret draco Typhonis & Echidnæ filius, centum qui capita, & multigenas voces haberet. Nymphæ autem Jovis, & Themidis filiæ, quæ speluncam juxta Eridanum habitabant, Herculi, de hoc dubitanti consuluerunt, ut à Nereo disceret, ubi aurea mala posset reperire: ut ipsum vi comprehenderet, monuerunt: qui quum primum in aquam, deinde in ignem sese converteret, in pristinam formam reversus, locum esset demonstraturus. Ita Hercules ad aurea mala properavit?*

℣. 202. *Tuque ô consulte Prometheu.*) Prometheus ideo dictus cœlestem ignem induxisse terris, quòd Rhetoricen, & poesin docuerit: & Assurios Astrologiam, quam in Caucaso fuerat speculatus. Ex Luciano constat fuisse vatem, Jovem quippe monuit, ne cum Thetide concumberet, fore enim ut filius, qui ex concubitu nasceretur, patrem potentia superaret. Apollonii Rhodii interpres, Agrætam rerum Scythicarum scriptorem commemorat dixisse Promethei cor ideo ab Aquila consumi dictum fuisse, quod suam regionem fluvius, cui Aquilæ nomen erat, frequentibus inundationibus corrumperet. (Hepar enim idem est quod *Huthat*) quum vero Hercules quibusdam fossis fluvium avertisset, factum est, ut aquilam abegisse, ac Prometheum liberasse diceretur. Sunt qui dicant, Prometheum, quum Scythis (quibus præfuit) præstare non posset: in vinculis tamdiu detentum, quoad Hercules Aquilam fluvium in mare deduxisset. Vide etiam problemata Aphrodisei.

204. *Mirantem frustra Satyrum.*) Plutarchus de utilitate ab inimicis capienda: *Satyro* (inquit) *primo ignem conspicanti, illumque complecti, & deosculari cupienti Prometheus dixit: Hirce mentum dolebis: urit enim*

enim si quis attingat, Pomp. Mela *lib.* 3. *cap.* 10. *Sunt quibus ante adventum Eudoxi, adeo ignotus ignis fuit, adeoque usus mirum in modum placuit, ut amplecti etiam flammas, & ardentia sinu abdere, donec noceret, maximè libuerit.* Aiunt autem in Delo primum fuisse ignem inventum: quare Delos, quæ multa nomina sortitur: etiam Pyrpile dicta fuit, quia ibi ignis inventus. Plinius.

℣. 206. *Mox quoque Phocaico.*) Themis fatidica (ut diximus) sedem habuit in Parnasso, qui est in Phocide: ubi etiam sunt Delphi: dicti (ut ait Strabo *lib.* 9.) umbilicus mundi: propterea quod Jupiter totius universi medium emetiri volens, aquilas celeritate pares ab ortu, & ab occasu dimisit: quæ pervolitantes ad Pythonem urbem prope Delphos tandem concurrerunt. Itaque ex illo aquilarum concursu ibidem totius orbis medium esse definivit. Postea vero in hujusmodi rei memoriam duas aquilas aureas constituens Apollinis in templo collocavit. Quarum effigies in Phocico bello (quod Eumelus intulit) sublatæ sunt. Hæc ex Pindari *scholiis Ode.* 4. *Pyth.* & Strabone. Meminit & Pausanias in Phocicis. Hinc illud Ovidii, 10. *Metam.*

—— Et orbe
In medio positi caruerunt præside Delphi.

& ejusdem *lib.* 15. —— *Mediamque tenentis*
Orbis humum Delphos adeunt Oracula Phœbi.

& illud Lucani. 5. Pharsa.

Hesperio tantum, quantum semotus Eoo
Cardine Parnassus gemino petit æthera colle.

Item Ovid. *lib.* 1. *Metam.*

Mons ubi verticibus petit arduus astra duobus.
Nomine Parnassus: & rursus.
Coricidas Nymphas, & nomina montis adorat,
Fatidicamque Themin, quæ tunc oracla tenebat.

Clau-

Claudian. in *prologo Panegyr. in Manlium.*

Jupiter ut perhibent, ſpacium quum diſcere vellet
Naturæ, regni neſcius ipſe ſui:
Armigeros utrique duos æqualibus alis
Miſit ab Eois, occiduiſque plagis,
Parnaſſus geminos fertur junxiſſe volatus
Contulit alternas Pythius axis aves.

Copioſe hæc Plutarchus *in princ. lib. de defectu oraculorum.* Sed quando in Parnaſſi mentionem incidimus, libet locum Ovidii ex *lib.* I. *Metam.* qui torquet Glareanum & alios, explanare:

Separat Aonios Actæis Phocis ab arvis
Terra ferax, cæt.

Phocis, ex Strabone *lib.* 9. regio eſt inter Aonios, i. Bœotios, & inter Œtoeos, ab Œta monte cognominatos, ſic igitur lego.

Separat Aonios Oethoeis Phocis ab arvis.

℣. 208. *Armigeræ Jovis.*) Quur dicantur Aquilæ, Plinius indicat *lib.* 2. *cap.* 55.

Tum Jupiter ipſe fatidico, & infra:

228. *Dodoniadeſque Columbæ*).

Herodotus in *Euterpe*, *lib.* 2. De oraculis (inquit) quæ in Græcia, & de illo quod in Africa eſt, talia Ægyptii commemorant. Nam enarrabant ſacerdotes Jovis Thebani à Phœnicibus fuiſſe exactas duas fœminas Thebanas antiſtitas: & harum unam in Africa venundatam ſe audiſſe, alteram in Græcia: atque has fœminas eſſe, quæ primæ apud dictas gentes oracula condidiſſent. Percunctantique mihi unde quod id commemorant, compertum haberent, reſponderunt: majorem in modum ſe inſtitiſſe veſtigare de his mulieribus, nec tamen unquam inveſtigare potuiſſe: ſed poſtea hæc, quæ dicebantur, de eis audiſſe. Hæc igitur Thebis de eis audiebam. Antiſtites autem Dodoneorum illas aiunt geminas ex

Ægypto

Ægypto columbas advolasse, utramque nigram, unam quidem in Africam, alteram ad ipsos, quæ fago insidens humana voce sit eloquuta: eo loci Jovis oraculum condi debere, & se interpretem esse, quod ipsis annuntiaretur divinitus fieri: & ob id se ita fecisse. Eam vero, quæ ad Afros abiisset, columbam præcepisse Afris, ut Ammonis oraculum conderent. Quod oraculum & ipsum Jovis est. Et paullo inferius: Quod autem mulieres à Dodoneis vocatæ sint columbæ, ob id mihi videtur factum, quia barbaræ essent, quod videlicet simile quidam avibus sonarent. Interjecto deinde tempore columbam humana voce locutam aiunt, postquam more ipsorum mulier locuta est. tandiu volucris modo sonare visa, quandiu barbare loqueretur. Nam columba quodammodo humanam vocem sonat. Nigram autem columbam esse dicentes Ægyptiam fœminam significant. Silius Italic. *lib.* 3.

Nam cui dona Jovis non divulgata per orbem,
In gremio Thebes geminas sedisse columbas?
Quarum Chaonias pennis quæ contigit oras
Implet fatidico Dodonida munere quercum,
At quæ Carpathium super æquor vecta, per auras
In Libyen niveis tranavit concolor alis. cæt.

De his columbis agit Strabo *in fine.* 7. & Homeri Schol. *Odyss.* ξ. & Petrus Crinitus *libr.* 25. *cap.* 10. & Suid. *in voce Dodone.*

℣. 210. *Præsciaque in Libycis.*) De oraculo Ammonis in Cyrenaica vide Q. Curtium *lib.* 4. & Plutarchum *in vita Alexandri*, & Politiani *Miscell.* *p.* 52. Multa etiam Strabo, & Herodotus. Plutarchus *in libello de Iside & Osir.* sic ait: *Porro cum plerique existiment, peculiare apud Ægyptios nomen Jovis esse Amùn (quod nos producto vocabulo Ammonem dicimus) Manethos Sebennita ea voce occultatum, & occultationem indicat significari.*

℣. 211. *Moxque Lycaonias.*) De Pane multa diximus

mus in *Scholiis ad Emblemata Alciati*, Dedisse oracula Panem, ex Pausania in Arcadicis liquet: ibi multa leges de Lyceo Pani & Jovi sacro. Panem, inter vates commemorat Statius *lib.* 3. *Thebaid.*

——— Licet Aridus Ammon
Invideat: Lyciæque parent contendere sortes:
Niliacumque pecus: patrioque æqualis honori
Branchus: & undosæ qui rusticus accola Pisæ
Pana Lycaonia nocturnum evadit in umbra.

℣. 211. *Terruit umbras,*) dixit, alludens ad proverbium: *Panici terrores*, de quo proverbio diximus in *Emblematis* ad illud: *Effuso cernens*: cæt.

212. *Carmen Apollinei tripodes.*) Qua forma Tripus esset, varie describunt: quidam mensam Delphicam vocant, alii perforatum sedile tradidere. Ego ex antiquis numis hanc formam sum contemplatus, in Vitellio, & Vespasiano. Tripus ærea est, in qua insertus est lebes, quem crederem dici à Virgilio *Cortinam*, in qua sedens virgo Phœbas responsa dabat. Tripus vero dicata Phœbo propter tria tempora, ut ex Homero transtulit Virgilius.

——— Novit namque omnia vates
Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Laurusque locutæ.) Tripodes, quum Phœbus responsa daret, lauro coronabantur, quia hæc arbor Phœbo sacra fuit, & vates *Daphniphagi* vocabantur, ut in *Emblematis* adnotavimus.

213. *Quæque coronatum.*) Statius rursus. 8. *Thebaid.*

Delon, & intonsi claudet penetralia Branchi.

Lactantius, sive Lutatius Statii interpres *lib.* 8. ex Varronis libris *rerum divinarum* Branchi fabulam sic annotavit. Olus quidam decimus ab Apolline, quum in peregrinatione pranderet in litore, ac deinde proficisceretur, oblitus est filium nomine Simerum vel Sucronem qui pervenit in saltum Iaucis cujusdam:

& quum esset receptus, cœpit cum ejus pueris capras pascere: alii pueri è fluvio præhenderunt Cygnum, & illum veste cooperuerunt: dumque ipsi pugnarent, quisnam illum patrono munus offerret, & essent defatigati, tandem sublata veste pro Cygno mulierem invenerunt: & quum fugerent, revocati ab ea moniti sunt, ut patronus Sucronem diligeret puerum: illi quæ audierunt, patrono indicarunt: tunc patronus Sucronem pro filio nimio dilexit affectu, eique filiam suam locavit uxorem. Illa quum prægnàns ex eo facta esset, vidit in somnis per fauces suas introisse Solem. Infans editus ideo Branchus vocatus est, quia mater ejus per fauces Solem viderat uterum penetrasse. Hic quum maxillas Apollinis osculatus fuisset, comprehensus est ab eo, & accepta corona, virgaque vaticinari cœpit: & subito nusquam comparuit. Templum ei factum est, quod Branchiadon nominatur. Et Apollini Philesio pariter consecrata sunt templa, quæ ab osculo Branchi, sive certamine puerorum Philesia nuncupantur. Idem Lutatius ad *librum* 3. Statii, Branchum fuisse quendam Thessalum adolescentem dicit, quem quum Apollo adamaret, & interfectum graviter ferret, sepulchro & templo consecravit. Porro quum Politianus pastorem Branchum nominat, allusit ad carmina Terentiani facta ex Callimachi hymno, qui non extat.

——— *Branchiadæ Phœbo cantasse Jovique*
Pastorem Branchum, quem captus amore pudico
Fatidicas sortes docuit depromere Pæan.

Iamblicus in Oraculo Branchidico haurientes vaporem ex aqua vaticinari autor est, quem vide in Titulo: *Inspiratus*, cæt.

Idem Iamblicus in *lib. de Myster. Ægypt.* Huic oraculo fœminam in axe sedentem præesse dicit. Quam Bochariacen dictam fuisse arbitratur Tzetzes Lycophronis interpres.

V. 216.

℣. 216. *Et ſua per carmen Faunus.*) Faunus apud Latinos oracula reddebat, quem pellibus ſubſtratis conſulebant ſomnos capientes. 7. *Æneid.*

At rex ſollicitus monſtris oracula Fauni
Fatidici genitoris adit. & rurſus.
———— huc dona ſacerdos
Quum tulit, & cæſarum ovium ſub nocte ſilenti
Pellibus incubuit ſtratis, ſomnoſque petivit
Multa modis ſimulacra videt volitantia miris. Item.
Atque harum effultus tergo, ſtratiſque jacebat
Velleribus: cæt.

218. *Vos quoque per carmen Parcæ.*) Catullus in *Argonaut.* Parcas inducit dantes oracula. Unde Virgil. *Sic voluere Parcas.* Homerus in *hymno Mercurii in calce.* Horatius in *carmine ſæculari*: *Voſque veraces ceciniſſe Parcæ.* Apud Lucianum Jupiter fatetur ſeſe etiam Parcarum vocibus obligari: nam id erat fatum. Plato in *primo Politico* de Parcis egregie diſputat. Parcas non dici per Antiphraſin (ut Grammatici fabulantur) diſputavimus in *Minerva.* de his eſt vulgatus verſiculus.

Clotho fert colum: Lacheſis net: & Atropos occat.

219. *Quin & veteres Sibyllæ.*) Plura traduntur de Sibyllis, quam ut hic inculcari debeant. Vide Lactantium, & D. Auguſtinum.

220. *Amalthea,*) in ſeptimo loco enumeratur à Varrone, & aliis. Hæc dicta fuit Cumana, ſive Cumea: ſunt qui vocent *Herophilen*, ſed *Politianus* diſſentit. Hanc etiam (ut aliqui ſentiunt) Virgilius vocavit *Deiphoben* Glauci filiam. Hanc dicunt libros illos famigeratos obtuliſſe Tarquinio.

Marpeſſia.) Hæc octavo loco recenſetur. Fuit Helleſpontiaca, & à pago Marpeſſo (non Marineſo, ut ſcribitur in Lactantio) Marpeſia dicta fuit.

221. *Herophyle*) ſacerdos Sminthei Apollinis fuit, & in ejus Luco ſepulta. De his Tibull. *lib.* 2. *eleg.* 5.

Quic-

Quicquid Amalthea, quicquid Marpessia dixit,
Herophyle Phœbo grata quod admonuit.
Quodque Albuna sacras Tiberis per flumina sortes
Portarit, sicco pulvereoque sinu.

In quibus carminibus legendum est *Albuna*, & *Tiberis*, non Albana & Tiburis, ut aliqui emendant. Albuna est Albunea. & sortes vocat Tibullus libros vaticinos, quos illa Tarquinio detulit.

ỳ. 221. *Sabbe*) sive *Sambethe*, memoratur in primo loco, Persica (aliis est Chaldæa non Chalcidica ut perperam aliqui scribunt.) Alii Hebræam dicunt, filia fuit Berosi, & Erimanthes: Cujus meminit Pausanias in *Phocicis*, dicitque à quibusdam Babyloniam vocari, ab aliis Ægyptiam. Nupsisse traditur uni filiorum Noe, arcamque ingressam, deque turri Babylonica, & de Christo multa vaticinatam.

222. *Demo.*) De hac Pausan. in *Phocicis*, quam etiam *Herophylem* vocare videtur. Quæ & ab aliis *Demophile* appellatur. Nam *Demò* contractam esse vocem dicunt ex *Demophile*: ut *Persò*, à *Persephone*.

Phygò.) *Sexta* (inquit Suidas) *proprio nomine vocata Phytò.* nescio, an corruptum sit exemplar. Pausanias videtur vocare *Boeò*, in Phocicis: ut statim citabimus.

Phaënis.) *Phaënis* (inquit Pausanias) *filia regis Chaonum: & Columbæ apud Dodoneos responsa ex dei instinctu ipsæ etiam dabant: Sibullæ tamen ab hominibus non appellantur.*

223. *Carmenta*,) mater fuit Evandri, dicta proprio nomine *Nicostrata*. A Dionysio & Plutarcho vocatur *Themis*. Ovid. 1. *Fast.* late. & quia Carminis fuit inventrix parens hic vocatur, & *Carmenta*.

Mantô,) Thiresiæ vatis Thebanæ filia. Unde dicta fuit Mantua Virgilii patria.

224. *Phœmonoe.*) Paus. de *Phœmonoe*, de *Bœò*, & de *Olene*, in *Phocicis*. *Magna* (inquit) *fuit nominis celebritate Phœmonoe, quæ quum dei interpres* pri-

prima fuit, prima etiam senariis longioribus oracula decantavit. Bœò tamen indigena mulier Delphis hymno composito advenas ab Hyperboreis profectos oraculum Apollini dedicasse tradidit: Cum alios, tum Olena, qui primus vaticinatus eo in loco fuerit, primusque Senarios longiores repererit. Ii sunt quos Bœò fecit versus:

Hic posuere tibi Juvenes penetralia Phœbe,
Olim ab Hyperboreis Pegasusque, & dius Agyiæus:

Enumeratis aliis Hyperboreis, in ipso hymni fine Olena nominavit.

Atque Olen primus cecinit qui oracula Phœbi.

Communis tamen hominum opinio priscæ memoriæ autoritatem sequuta solas agnoscit mulieres oraculorum interpretes. Hæc Pausan. Carmen hexametrum *Longum* vocat Ennius Cic. 2. *Leg. in fine*: Quatuor heroicis versibus, quos *longos* appellat Ennius.

℣. 225. *Deiphobe.*) Septimam (ut dixi) hanc enumerant, de cujus vivacitate fabulam habes apud Ovid. 14. *Metam. in princ.*

Et Martia fratrum.) Cicero nunc *Martios fratres*, nunc *Martium vatem* lib. 1. *de Divinat. Similiter* (inquit) *Martius, & Publius cecinisse dicuntur, & eodem lib. Martios quosdam fratres nobili loco natos apud majores nostros fuisse scriptum videmus.* & lib. 2. *Eodem modo neque Publio nescio cui, neque Martiis vatibus, neque Apollinis Apertis credendum existimo.* Servius 6. *Æneid.* de Sibyllis loquens: *Qui libri in templo Apollinis servabantur: neque ipsi tantum, sed & Martiorum: & Begoes nymphæ, quæ artem scripserat fulguritarum apud Tuscos Martii multa carmina colligit Macrobius* lib. 1. *Satur. num.* 17. Oraculum Martii vatis apud Livium corrigit Alciatus *lib.* 5. *Parerg. cap.* 18. Plin. *lib.* 7. de Martio: *Quem ego arbitror designatum pontificem à Numa, & præfectum omnibus publicis & privatis.*

℣. 226.

℣.226. *Lymphatusque Bacis.*) Bacis legendum est, non Bachis, ut in primo *de Divinatione* legebatur. *Si Bacidis* (inquit Plutarchus de virtutib. mulier.) atque *Sibulla responso simul comparem, jure-ne quisquam hoc demonstrandi genus accusabit?* Pausanias *in Phocicis* inter fatidicos viros Bacin enumerat, ita legit & transtulit Romulus Amasæus quamvis alii Bacchin scripserint. Idem Plutarchus in *Messen. Ad ædificationem Bacidis oracula potissimum Epaminondam perpulerunt. Bacis enim ex afflatu Nympharum furore percitus tum aliis de Græcis, tum de Messeniorum reditu est vaticinatus.* Vide etiam Suidam, & *comment.* Aristophanis. & Herodotum in *Urania. Lymphatum* appellat Politianus ex verbis Pausaniæ n *Messen.* & in *Phocicis*, & ex Bocotia.

227. *Natus Hyperboreos Olen.*) Pausanias in *Phoicis: Bæò mulier indigena, quæ hymnum Delphis ompofuit, oraculum dei instituisse tradit, tum alios ui ex Hyperboreis profecti fuerant, tum Olenem etiam. Iunc item primum responsa dedisse, & primum ceinisse carmen heroicum. Bœò autem, quum enumerast Hyperboreos, & alios, sub finem hymni Olenem iam nominavit, sic.*

Olen qui primus factus tibi Phœbe prophetes,
Primus & antiquo modulatus carmina cantu.

Iæc tamen omnia non probant Olen natum esse in Iyperboreis, ut credit Politianus: Suidas sic ait. *Ilim Dymæus, vel Hyperboreius, vel Lycius epicus, agis autem Lycius ex Zantho, ut indicat Callimaus in Deli hymno sic.*

Quique senis Lycii decantant carmen amœnum
Quod Zantho ex dia deduxit vatifer Olen.

erodotus *Melpom.* ubi de Argi & Opi Hyperbois puellis loquitur, dicit, Olenem in illarum honrem apud Hyperboreos hymnos quosdam comsuisse. Rursus Pausanias in *Eliacis.* Esse Hyperreos ipsos gentem supra Aquilones, primus certè

versibus mandavit Olen Lycius in hymno, quem in Achæin fecit: venisse Delum ex Hyperboreis Achæin.

℣. 227. *Inque Attide terra Clarus honore Lychas.*) Non dubium est, quin Politianus ad Pausaniæ verba respexerit, qui sæpe in *Messenicis* Lycum vatem, prophetem & fatidicum vocat, ejusque nonnulla citat oracula. Verba Pausaniæ in principio quarti sic habent. *Magnarum vero dearum* (loquitur de Messeniaco templo) *initia multis post Cauconem annis Lycus Pandionis filius quam augustissima, quamque celeberrima ut essent effecit.* Et statim. *Quod autem Pandionis Lycus fuerit filius, qui sunt ad Methapi effigiem versus aperte declarant. Nam & Methapus quosdam initiorum ritus reformavit. Fuit hic vero Atheniensis patria, initiorum, opertorumque, & cujusvismodi sacrorum designator: Idem vero & Cabirorum Thebanis initia constituit: & juxta Lycomidarum septum imaginem cum inscriptione dedicavit. Ea inscriptio, quum alia, tum imprimis quæ ad Methapum pertinent testatur.*

Cuncta Lycus quare prisco Pandione cretus
Andaniam magnis portarit mystica Athenis.

Hæc Pausanias. Suspicor autem ex illis verbis Pausaniæ (*fuit hic Atheniensis patria*) deceptum Politianum. Nam Pausanias loquitur de Methapo, qui multa sacra constituit apud Messenios. Idemque Methapus miratur Lycum, quia ex Athenis multa sacra intulerit in Andaniam, quæ est in Messenia. Hic fuit Lycus Pandionis filius, qui à se Lyciam cognominavit, autor Herodotus, & Mela. Si tamen contendas legendum apud Politianum *Lychas*, alia via nobis enitendum erit. Fuit enim Lyches augur, sed Lacedæmonius genere; Cujus meminere Xenophon in *libro Memorabil. Socratis.* & Herodotus *lib.* I. his verbis. *Quum semper in bello Lacedæmonii à Tegeatibus repellerentur, missis Delphos consultoribus, ora-*

oraculum sunt sciscitati, quemnam deorum placarent, ut Tegeatum victores existerent. His Pythia respondit, id fore, si ossa Orestis filii Agamemnonis refferent. Cujus urnam quum nequirent invenire, rursus ad Deum mittunt de loco sciscitatum, in quo situs Orestis esset. Hæc nunciis interrogantibus, ita Pythia retulit.

Est pars Archadiæ Tegeæ in regione patenti.
Hic duo flant venti, vi pervehemente coacti.
Forma hostis formæ, & plagæ superaddita plaga.
Hic Agamemnonides terra omni parente tenetur:
Quo tu sublato Tegeæ superabere victor.

Ubi hæc audierunt, nihil tamen minus inventione frustrabantur, & si omnia disquirentes, donec Lyches unus Spartiatarum, eorum qui Benemeriti vocantur, comperit. Sunt autem Benemeriti, ex civibus semper militia equestri perfunctis, quini quotanis, qui quo anno ex Equitibus Spartiatis exeunt, ne torpescant, alii alio mittuntur. Ex iis Lyches quum esset, rem apud Tegeam adinvenit fortuna pariter atque solertia usus. Nam quum Tegeates à Lacedæmoniis hoc anno commercio mutuo adeundi essent: & hic in ærariam officinam venisset, intuebatur ferrum dum procudebatur. Quo in spectaculo admirabundum animadvertens faber ferrarius, intermisso opere: Quanto magis Lacon, inquit, hospes admirareris, si idem quod ego, tu nosses, qui tantopere admiraris ferrarium opificium. In hac enim Corte puteum facere quum vellem, incidi in sepulcrum septem cubitorum: quod (quia incredulus eram omnino fuisse majores, quam nunc sunt homines) aperui: vidique omnino sepulcrum cum cadavere convenire. Quod ubi mensus sum, iterum obrui. Hæc illo referente, quæ viderat, Lyches considerans, conjectavit hunc ex oraculo esse Orestem. Hac videlicet, conjectura: duos namque, quos cernebat excussoris folles totidem comperit esse ventos. Incudem vero & malleum formam formæ hostem: fer-

rum verò quod procuderetur, plagam super inditam plagæ. Hac ratione conjectabat, quod in plagam hominis ferrum inventum est. Hæc itaque secum agitans Spartam regressus rem omnem Lacedæmoniis refert: illi ex composito hominem criminis convictum ex illo damnant. Qui in Tegeam profectus, & calamitatem suam referens fabro excusori conducit ab eo volenti vendere cortem, ibique aliquandiu habitans ubi rem cognovit, effosso sepulchro ossa collegit, eaque portans Spartam rediit, quo ex tempore Lacedæmonii quoties cum Tegeatibus congressi sunt, superiores extitere. Hæc ex Herodoto. Ego vero credo Politianum ex Pausania suum Lycum, non Lycham eruisse.

℣. 228. *Dodoniadesque columbæ.*) De his Herod. *in.* 2. longam texit fabulam, ut diximus. Pausañias in Phocicis Peliadas vocat, Peliadas (inquit) Phemonoe fuisse dicunt ætate superiores: & mulierum omnium primas versus illos decantasse.

Jupiter est, fuit, atque erit: o bone Jupiter alme,
Quæ tribuit fruges Tellurem dicite matrem.

Servius *in* 9. *Virg. eclogam*: In Epiro dicitur nemus fuisse, in quo responsa dabant columbæ, quod ideo fingitur quia lingua Thessala Peliades & columbæ vaticinatrices apellantur. Vide supra.

229. *Innumeras variantem Protea formas.*) De Proteo & ejus variis formis multa Homerus *lib.* 4. *Odyss.* itemque Virgilius *lib.* 4. *Georg.* & Adagium extat, *Protheo mutabilior.* Fuit Rex Ægypti oriundus ex Pallene Thessaliæ urbe, cujus filios Telegonem & Polygonium scelerosos Hercules interfecit cujus rei causa Pallenem Proteus revisebat. Virg. 4. *Georg.*

Hic nunc Æmathiæ portus, patriamque renisit
Pallenem.

Diodorus Siculus *libr.* 2. Protei metamorphoses allegoricè enarrat. Consuetudo, inquit, regibus Ægypti

tra-

tradita Græcis causam hujusmodi transmutationis fingendæ præbuit. Nam Ægypti regibus mos erat Leonis, tauri, aut draconis priorem partem in capite ferre, principatus insignia: aliquando vero arborem, aut ignem, aut redolentia supra caput unguenta, atque aquas. Hæc enim tum ad decorem atque ornatum spectabant, tum stuporem ac superstitionem quandam inspicientibus injiciebant. Hæc ille. Licentius hanc fabulam sic expressit:

Spumat aper, fluit unda, fremit leo, sibilat anguis.

Quidam ob multarum disciplinarum peritiam has illi tribuunt mutationes. Physice autem est Proteus prima materia, quæ in varias formas vertitur, ut ex Platone docti possunt expiscari: sed hæc altioris sunt indagationis: & Hercule acerrimo Hylæ indagatore indigent. Claves enim Ponti generationem rerum esse volunt doctissimi.

℣. 230. *Sed dubio vultu,*) id est, quid dicam, Protea perosum risus, & perosum lacrymas dubio vultu? Sumsit hoc Politianus (ut alia multa) ex enarratore Lycophronis Isacio Tzetze. Proteus (inquit ille) Ægyptius quum ex Thracia in Pallenensen Phlegiam demigrasset, uxorem duxit Toronem, ex qua Tmylum, & Telegonem suscepit, qui hospites in lucta superatos occidebant: quam injuriam non ferens Proteus à patre Neptuno optavit, ut se patriæ terræ rursus sisteret. A quo (hiatu, cuniculoque à Pallene in Ægyptum facto) in Ægyptum perductus est. Quumque non multo post Hercules adesset, Tmylum & Telegonem in palæstra occidit. Quo cognito pater neque ridet, quia filii essent, nec flet, quia hospicidæ. Sed historia hoc habet: Quum Proteus ægre ferret, quod filii hospites cederent, illosque vehementius carperet, ipsum in hiatum Pallenes præcipitem necaverunt. Ubi neque flet, neque ridet. Hæc Tzetzes. Quum autem Politianus

in *Ambra* dicit, Proteum *non dubio vultu risisse*, per hyperbolen loquitur, sic.

Tu quoque non dubio frontem laxare severam
Tandem ausus risu Proteu.

℣. 231. *Quidve loquar te, Glauce.*) Pausanias in Bœot. Est, ait, juxta mare, ut vocant, Glauci saltus. Piscatorem hunc fuisse perhibent: & herbam ut comedit, deum marinum factum: eundemque futura hominibus etiam num prædicere: & alii verum esse arbitrantur, & qui mari navigant, quam plurima de Glauci vaticinatione singulis annis commemorant. Alii fuere Glauci, de quibus egimus in *Emblemate* cujus titulus, *Gramen.* vide Philostratum *in Iconib.* Titulo *Glaucus*, & Ovidium late Diodorum *in* 5. Apoll. Rhod. *lib.* I.

Plenumque parente Idmona.) *Idmon* (ut aiunt Pherecides, & Hyginus) filius fuit Apollinis & Asteriæ, seu Cyrenes. Fuit unus ex Argonautis, & vates eximius, qui etiam si augurio præscisset in illa expeditione moriturum, tamen ire non recusavit. Rex Lycus in Propontide benigne Argonautas hospitio suscepit; quumque inde procederent venatum Argonautæ, ab apro percussus Idmon interiit. Aprum autem occidit Idas Apharei filius, unde dictus *ultor.* Aliter hæc Seneca *in Medea* narrare videtur, *in calce actus tertii.*

Idmonem, quamvis bene fata nosset,
Condidit serpens Libycis arenis.

Sed locus Senecæ male habet, *curabitur*, si legas totum sic: (& serpens, sit particip.)

Ite nunc fortes, perarate pontum
Sorte timenda: hæc
Idmonem, quamvis bene fata nosset,
Condidit: serpens Libycis arenis
Omnibus varax sibi falsus uni
Condidit Mopsus: caruitque Thebis
Ille qui vere cecinit futura.

Hujus

Hujus meminere Apollonius *lib.* 2. *Argon.* & Orpheus *in Argon.* Val. Flaccus *in Argon.* Ovidius *in Ibin.*

Quique Lycurgidem laceravit: & arbore natum:
Idmonaque audacem te quoque rumpat aper.

Idmon aurem dictus est à peritia vaticinandi. Ausonius.

Idmona quod vatem: medicum quod Lasida dicunt:
Discendas artes nomina præveniunt.

Plenum parente vocat Idmona, quia filius Apollinis fuit.

℣. 233. *Ampycidemque pium.*) De Mopso loquitur, qui Ampyci & Chloridos filius fuit, de quo Ovid. *lib.* 12. *Metam.*

Nec tu credideris tantum cecinisse futura.
Ampycidem Mopsum. Sæpe vocatur Ampycides ab Apollonio, sed in *lib.* 1. *Titaresius* idem dicitur quia Ampycus Titaronis filius fuit; ut ait Lycophron.

Venit & huc Mopsus Titaresius, quem super omnes
Latoides docuit per præpetis omina pennæ.

Hic interemptus fuit à dracone in arenis Libyæ latente, ut refert *in* 4. Apollonius. Alius fuit Mopsus, & idem Vates post bellum Troianum, Apollinis sive Ratii & Mantûs Tiresiæ filiæ filius, qui cum Chalchante de peritia divinandi concertavit.

235. *Quid te, cui volucr. Melampu.*) Ex Didymo in *lib. Odyss.* 15. & ex Apollonii Rhodii *lib.* 1. *scholiis*, & ex Theocriti *commentariis*, *Idilio.* 3. fabulam tibi lepidam concinnabo. Sed prius unde Melampus dicatur dicendum. Quum puellum mater per agrum portaret, & sol incalesceret, ipsa puerum in luco sub arbore collocavit in umbra, ibique eum reliquit: Sol tamen altius se evehens pedes pueri nudos intra umbram positos denigravit, unde *Melampus* est dictus. Historia sic habet. Melampus Amythaonis filius ex Dorippe, quum aliquando pere-

grinaretur, a Polyphate fuit hoſpitio ſuſceptus. Quo ſacrificante draco erepſit, ſervumque Polyphatis devoravit. Polyphates draconem occidit: occiſum Melampus ſepeliit, ejuſque filios fovit, & enutrivit. Ob quod meritum draconis pulli Melampodis aures lingentes divinationis artem illi inſpirarunt. Neque id tantum, ſed ut volucres, & cætera animalia poſſet intelligere, accepit. Fuit illo in tempore (quod ex Homeri *Odyſſ.* intelligimus) Tyrò Salmonei filia, quæ ex Neptuno peperit Neleum, & Peliam: ſed quum gravida eſſet fugiens patrem ad avunculum Deioneum confugit, qui illam fratri Cretheo locavit uxorem: ex quibus nati ſunt Æſon, Pheretes, & Mythaon. Deioneo nepos Iphiclus fuit ex Phylaco, & Clymine. Hic ille fuit Iphiclus (ut ait Orpheus, referente Joanne Tzetze) qui *ſegetis per ſumma volabat Gramina, neç teneras curſu lædebat ariſtas.* Ab hoc Neleus bona matris ſuæ Tyrûs repetebat: quæ quum ille negaret, Neleus filiam Petò venuſtiſſimam nemini uxorem dare volebat, niſi illi, qui boves Iphicli ſibi detuliſſet. Quod quum nemo auderet, Bias Melampodem fratrem ad tantum facinus excitavit: amabat enim ardentiſſimè Petonem. Melampus in fratris gratiam aliquid audendum exiſtimavit, etiam ſi vaticinabatur aliquid mali. Tandem in furto deprehenſus ad Iphiclum à paſtoribus perductus in carcerem eſt conjectus: datique ſunt ei cuſtodes vir & uxor, qui miniſtrarent illi. Et vir quidem reverenter eum habuit, uxor verò laceſſebat opprobriis. Quum jam ferè annus eſſet, audivit vermiculos inter ſe colloquentes de trabibus carceris jam corroſis: unde divinabat cito caſuram domum. Audiens igitur hoc, ut ſe in alium locum transferrent imperabat. Juſſa faciunt: vir caput, uxor apprehendit pedes: vix bene vir exierat, quum totum ruit ædificium, occiditque uxorem. Vir hoc nunciavit Phylaco, Phylacus Iphiclo, veniunt ad Melampo-

lampodem, rogant, Quis esset? Vatem se esse respondet. Illi ultro pollicentur boves daturos, si artem aliquam inveniret, qua Liberos, Iphiclus possset invenire. Melampus Jovi bovem sacrificat: volucribus omnibus portionibus dispertit: omnes adfuerunt præter vulturem: Rogat illas de progenie Iphiclea: dicunt sese dubitare: sed tamen vulturem arcessunt, qui indicet. Vultur veniens sterilitatis caussam statim aperuit. Iphiclum ex concepto timore sterilem permansisse. Nam quum videret aliquando Phylacus filium Iphiclum indecorè se se gerentem, aut, boves castrantem, stricto gladio eum persequebatur: quem quum apprehendere non posset, gladium in Acherdum (id fruticis spinosi genus est) mpulit. Jussit igitur vultur gladium ex Acherdo idferri, rubiginemque detrahi: potandamque in vino per decem dies Iphiclo dari. Quod quum Iphiclus ecisset, genuit Podarcen, deditque boves Melampodi: quas ille fratri donavit, quo dono Bias duxit Petonem, ex qua genuit Perialen, Aretum, & Alphesiboean. Mirè variant authores hujus narrationis, atque adeo ipse Didymus sibi non constat. Hic uit ille Melampus, qui filias Præti regis ab insania uravit.

℣.236. *Quid, cui post visos.*) Tiresiam Thebaum vatem intelligit. Propert.

Magnam Tiresias prospexit Pallada vates
Fortia dum posita Gergone membra lavat.

xtat elegantissima Callimachi Elegia de hac eadem :, quam Politianus Latinam fecit. Vide *Miscell.* ip. 80. & Homer. *Odyss.* & Strabonem, & Æschym in *septem ad Thebas.* & Pausan. & Valer. Mamum.

237. *Quem impia prodidit uxor.*) Amphiaraum dit, quem uxor Eryphile torque aureo accepto prodit. Hoc latè Statius *in Thebaid.* Pausanias *in tticis* scribit Mantheion Amphiarai apud Oropios esse.

esse. Ibidem, Amphiaraum instar deorum coli. Val. Max. de honoribus Amphiarai: Stephanus *de urbib.* Pindarus, Æschylus *in Septem ad Thebas.*

℣. 238. *Quique alto in melle necatum.*) Hic fuit Polyidus, qui Glaucum Minois filium in dolio mellis suffocatum vitæ restituit. De his & de aliis Glauci jucundas narrationes dedimus in Alciati *emblematis*, titulo *Gramen*: illinc pete: & vide Adagium *Glaucus mel bibens revixit.*

241. *Et qui mille rates.*) Hic fuit Chalcas Thestoridis filius: de hoc quoque egimus in *Emblematis*: titulo, *Ex arduis perpet. nomen.*

242. *Aut qui magica fera murmura lingua*,) ordo est: Quid loquar illum, qui fera & terribilia murmura iterans lingua Magica deduxit è cœlo sereno fulmen illud quo vitam, ut optaverat, finiit? quique jussit ut bidental, & cineres custodirentur, appositive, *busta servantia Tyaram Achæmenium*, id est, Regnum Persicum. Est autem Tyaras (teste Polluce, & Suida) ornamentum capitis, quod soli reges erectum portabant, reliqui depressum, ac inclinatum. Zoroastrem hîc intelligit Politianus, non regem illum Bactrianorum, quem occidit Ninus, de quo Justinus in initio sui operis. Fuerunt multi hoc nomine, & fortasse omnes Magi. Nam (ut inquit Cic. *lib.* I. *divinat.*) *nullus rex Persarum potest esse, qui non ante Magorum disciplinam, scientiamque perceperit.* Porro Zoroastres nomen, commune sapientibus esse crediderim, & corruptum ex integris vocibus, Ζωον Αστρον, i. *vivens astrum.* Recte igitur Plinius *lib.* 30. *cap.* I. dubitat fueritne unus, an multi, unde Magica prodierit, addit Plin. *Eudoxus Zoroastrem hunc sex millibus annorum ante Platonis mortem fuisse prodidit.* Ibidem: *Et vicies centum millia versuum à Zoroastre condita.* Idem Plin. *lib.* 7. *cap.* 16. *Risisse eodem die, quo genitus esset, unum hominem accepimus Zoroastrem: eidem cerebrum ita pal-*

lpitasse, ut impositam repelleret manum, futuræ præ-gio scientiæ. Meminit idem Plin. *lib.* II. *cap.* 42. d quia Politianus ad verba Suidæ se composuit, Latinè referam. *Zoroastres Persamedes inter astro-mos sapiens, qui primus apud illos Magi nomen cepit habere, fuit ante Troianum bellum annis quin-ntis. Scripsit Naturalis historiæ libros quatuor: de etiosis lapillis unum: de Asteroscopicis, & Apote-smatis, & fulminibus libros quinque.* Rursus Sui-s: *Zoroastres astronomus tempore Nini regis Assy-orum, qui deos est precatus, ut igni cœlesti occum-ret. Præcepitque Assyriis ut suos cineres conditos servarent, sic fore ut ipsorum regnum nunquam de-eret: nunc autem sic servantur apud ipsos.* D. Cle-ens *lib.* 4. *recognitionum*, sic ait. *Mesraimi filius it hic, nepos Chami, qui astris multum ac frequen-intentus, cupiens apud homines Deus haberi, vel-scintillas quasdam ex stellis producere, & homini-s ostentare cœpit, quo rudes in miraculi stuporem herentur. Desiderans que augere hanc de se opi-nem sæpius ista moliebatur: donec ab ipso dæmo-, quem importunius frequentabat, succensus igni cre-retur.* Simile quiddam de Salmoneo narrat Vir-*lib.* 6.

Vidi & crudeleis dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Jovis, & sonitus imitatur Olympi:
Quattuor hic invectus equis, & lampada quassans
Per Graium populos, mediamque per Elidis urbem
bat ovans: divûmque sibi poscebat honorem.
Demens, qui nimbos, & non imitabile fulmen
Ere, & cornipedum cursu simularat equorum.
At pater omnipotens densa inter nubila telum.
ontorsit (non ille faces, nec fumea tedis
umina) præcipitemque immani turbine adegit.

ɔsus in fragmentis dicit, hunc fuisse Cham Noë s filium.

ẏ. 246.

℣. 246. *An memorem Solymos.*) Recenſet jam ſacrorum Prophetarum proceres, quorum primum locum occupat David divinus Pſaltes. Qui (ut narrat Joſephus *lib.* 4. *Antiq.*) cantica, hymnoſque vario metrorum genere compoſuit: vide. 2. *Regum.* 22. unde appoſitè infra Politianus:

Dulcia terribili mutans Pſalteria bello:

Occidit Gigantem Goliath; nota eſt hiſtoria *ex* I. *Reg.* 17.

249. *Teque Palæſtini*) De Salomone & templo Salomonis vide 3. *Reg.* 6. & Joſephum *lib.* 8. *cap.* 3.

250. *Nec odora tacentem oſcula.*) Cantica canticorum carmine ſunt conſcripta teſte D. Hieronymo. Quorum initium eſt: *Oſculetur me oſculo oris ſui:* & ſtatim: *quia amore langueo*, ad hæc verba alluſit Politianus.

253. *Nondum radiatus tempora Moſes.*) Moyſes, antequam faciem cornutam oſtenderet (ut *Exod.* 34. ſcribitur) carmen cecinit hexametrum, quod ſic incipit: *Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt*: *Exod.* 15.

258. *Ut quos Babylone rebelli,*) ordo eſt: ſic David Deum placat, ut illi, quos flamma ignis lambit. Vel lege: Et quos: ut ſit: *Et memorem illos, quos* Babyl? Nota eſt hiſtoria ex Daniel. *cap.* 3. & Joſepho *lib.* 10. *Antiq.* Sed attendere oportet in ſacra ſcriptura PUEROS pro ſervis ſæpiſſime accipi: illi qui conjecti ſunt in fornacem ardentem viri erant, & magna præditi autoritate in Regia domo. Unus eorum erat ipſe Daniel propheta.

261. *Retrorſum Judæa legit.*) Pomponius Mela *lib.* I. de Ægyptiis ſic. *Suis literis perverſè utuntur.* Ego ſic explico: Non ſcribunt à ſiniſtra in dextram, ſed contra. Id vocat Politianus *Retrorſum.* Mela *Perverſe.* Titulus Crucis tribus verſibus Hebraico, Græco, & Latino fuit conſcriptus. Et omnes tres lineæ retrorſum legebantur.

℣. 261.

ỳ. 261. *Sed enim Æthera magnum.*) Id eſt, antiquiſſimi hominum errore publico ducti, & fruſtra pii colebant pro Deo cœlum ipſum, alii Genios, aut manes mortuorum faciebant Deos. Plinius in principio ſui operis, æternum & immenſum Deum appellat mundum. Pomp. Mela *lib.* I. *Augillæ* (inquit) *manes tantum Deos putant, per eos deierant* cæt. Quo in loco ego Manes interpretor Piorum animas, ut latius explicui in *Minerva.*

262. *Cuſtodes alii Genios.*) *Genius* (inquit Cenſorinus *de die natali*) *eſt Deus cujus in tutela, ut quiſque natus eſt, vivit. Ita dictus, quod una nobiſcum naſcatur. Genium* (inquit Feſtus) *appellabant Deum, qui vim obtineret rerum omnium gerendarum. Aufuſtius*, inquit, *Genius deorum filius, & parens hominum, ex quo homines gignuntur: & propterea Genius meus nominatur, quia me genuit.* Hæc ille. Horat. *lib.* 2. *epiſt.*

Scit Genius natale comes qui temperat aſtrum,
Naturæ deus humanæ. Mortalis in unum-
Quodque caput: vultu mutabilis, albus, & ater.

In his carminibus explicandis neſcio quas trichas inferunt Lambinus, & Turnebus, decepti ex corrupto Plauti loco in *Mænech. Ipſo naturæ Deo.* Ubi legendum eſt *Nunc obſonatu redeo*, & ſic jam in emendatis legitur. Genius etiam dicebatur unius cujuſque loci deus. Virgil. 5. *Æneid.*

Incertus Geniumne loci, famulumne parentis.

264. *Variiſque animatum partibus orbem.*) Ubicunque erant oracula, velut in Delphis, credebant veteres animam mundi ſpirare. Lucan. *lib.* 5.

Ut vidit Pæan varios Telluris hiatus
Divinam ſpirare fidem, ventoſque loquaces
Exhalare ſolum, ſacris ſe condidit antris.

Pomp. Mela *lib.* 3. *cap.* I. *Neque adhuc ſatis cognitum eſt, anhelitune ſuo id Mundus efficiat, retractamque cum ſpiritu regerat undam undique ſi* (*ut* docto-

doctioribus placet) *vivum animal est*: sic enim ego jam olim emendaveram, non ut legebatur, *unum*, ex Ovid. *lib.* 15. *Metam.*

Nam sive est animal Tellus: & vivit: habetque
Spiramenta locis flammam exhalantia multis.

℣. 276. *Qui torqueat error Oceani.*) Hoc pulchrè dubitat Pomp. Mela in *principio. lib.* 3. vide Plin. *lib.* 2. *c.* 5. & Senecam in *quæst. natural.*

278. *Inde sacrosanctas m. c. l. m. f. nomon.*) *Sacrosanctum dicebatur, quod jurejurando interposito erat institutum, ut si quis violasset morte pœnas penderet. Cujus generis sunt Tribunipl. Ædilesque.* Festus. *Leges dicuntur sanctæ, ut muri, & legati.* Sed hîc vocantur *sacrosanctæ*, per emphasin quasi constantes ex sacris & sanctis. Nomos autem est lex musica. Sueton, in *Nero. Nec ante cantare destitit, quam inchoatum absolverit nomon.* Suidæ verba Latinè dicam: *Apollo post inventam Lyram, hominibus ostendit nomos, seu leges ad vivendi rationem accommodatas. Pecuinos enim hominum affectus à principio cantu demulcebat, atque aditum quendam ad præcipiendum illa carminis suavitate sibi præmuniebat. Has vocarunt leges cytharedicas, a quibus deinde rationes canedi appellatæ sunt nomi.* Hæc & alia multa huc spectantia Suidas in voce, *Nomos.* Quod si plura cupis de nomo, adi Jul. Pollucem *lib.* 4. *cap.* 9. & Plutarchum *in Musica.* Duodecim tabulas Carmine conscriptas fuisse testatur Cicero in Orator. *Discebamus enim pueri XII. ut carmen necessarium.*

279. *Neque vulnera tantum.*) Adeo persuasum fuit antiquis vulnera carminibus curari, ut nullam potiorem medicinam crediderint. Apuleius in apologia prima. *Veteres, inquit, medici etiam carmina remedia vulnerum norant: ut omnis vetustatis certissimus autor Homerus docet: qui facit Ulyssei de vulnere sanguinem profluentem sisti cantamine*, hæc ille. Plinius

us *lib.* 28. *cap.* 2. *Dixit* (inquit) *Homerus, pro-wium sanguinis, vulnerato femine Ulissem inhi-uisse carmine.* Vide totum Plinii caput, in cujus ie sic ait: *Carmina quædam extant contra grandi-s, contraque morborum genera, contraque ambusta: uædam etiam experta.*

℣. 285. *Orpheos atque lyram.*) De Amphione & rpheo supervacaneum est aliquid dicere, quia nil agis tritum apud poëtas. De Orpheo tamen, si uriosius aliquid aves, lege Pausaniam in *Bœoticis* tius hæc differentem, mythologiam Orphei etiam splicat Pausanias, & Horatius *in arte poetica.*

. 309. *Improbus hanc Chelyn Neanthus.*) Tota hæc arratio ex Luciano sumta est in *sermone adversus idoctum.* Arbitror (inquit) non intempestivum esse esbiam quandam fabulam tibi narrare. Quum Or-heum Thressæ mulieres dilaniassent: ferunt caput otis una cum lyra quum primum Hebrus excepis-et, in Nigrum pontum ejectum, ac ita simul ca-ut, ac lyram natasse: lugubre quiddam lingua de rphei nece canente, ventis etiam chordas percel-ntibus apti materiæ reddebantur moduli. Sic ad esbum appulerunt: incolæ ab undis hæc eripientes iput sepulcro condiderunt. Chelyn vero in Apol-lis templo suspenderunt, ubi quum per longum mpus rite asservaretur, Neanthus Pyttaci tyranni ius (quum quæ de Lyra narrabantur audisset: quo-odo feras bestias hac deliniisset Orpheus, plantas, saxa movisset: ac demum Lyra ipsa mortuo vate idarum impetum superasset, & modularetur) ha-ndæ Lyræ cupidissimus sacerdotem ingenti pecu-i corrupit, ut alia supposita Lyram Orphei sibi ncederet. Qua accepta, interdiu quidem illam nec lsare in urbe neque cuiquam ostendere audebat: cte verò occulte, & in suburbium secedens Ly-n pulsare quum inciperet, ineptissimum efficiebat iorem. Demens & stolidus qui Musicæ imperi-

tus

tus ſperabat fore, ut divinum aliquod carmen percuſſæ fides reſonarent, quo cunctos permoveret, & animi affectus, quo vellet, traduceret: ut hoc nomine beatus haberetur Orphei muſices hæres. Dum hæc àgit, vicini canes, qui in illo loco erant plurimi, ſtrepitu exciti coeunt, ac infelicem citharedum dilaniant. Hoc ſolum cum Orpheo commune habuit, quod canes, ut ille quondam feras, in ſe adduxit. De Lyra cæleſti vide Lucianum in *Aſtrologia* & Hyginum *de ſtellis*.

℣. 315. *Quin & Pellæi.*) Hæc ex Plutarcho ſumta in *vita Alex. Alexandro* (inquit) *ad exercitum proficiſcente, cum alia deorum viſa prodigia, tum vero Orphei ſimulacrum, quod in Libetris ex cupreſſo extat, per id tempus ſudorem emiſiſſe traditur. Univerſos eo prodigio perterrefactos bona ſpe eſſe juſſit Ariſtander; Sempiternæ memoriæ dicens, illius res geſtas futuras, & maximum ſudorem & laborem poëtis, ac Muſarum cultoribus allaturas.* Idem ſcribit Arrianus *lib.* I. *Perip.* unde Lucanus *lib.* I.

Indigetes fleviſſe deos, urbiſque laborem
Teſtatos ſudore lares.

Teſtatur etiam Philoſtratus Cyrum Perſarum regem, quum in Odruſios exercitum moveret, ibidem oraculum Orphei conſuluiſſe: & reſponſum accepiſſe MEAOKYRETVA. quod minus intellexit Cyrus, ſed eventus declaravit. Nam quemadmodum Orpheus fuit à mulieribus diſcerptus, ſic Cyri caput regina Scytharum Thomyris amputavit.

318. *At tu qui merito.*) Servius 6. *Æneidos* ad illud: *Muſæum ante omnes*: *Theologus* (inquit) *fuit iſte poſt Orpheum. Et ſunt variæ de hoc opiniones: nam eum alii Lini filium, alii Orphei volunt: cujus eum conſtat fuiſſe diſcipulum: Nam ad ipſum primum carmen ſcribit, quod Cratera appellavit.* Hæc Servius. Suidas duos Muſæos vetuſtiſſimos eſſe teſtatur: alterum Eleuſinium Orphei diſcipulum tempore Cecropis

Cecropis secundi, qui filio Eumolpo *Hypothecas*. i. institutiones carmine conscriptas reliquit: alterum Thebanum Thamyræ filium, qui etiam ante Trojanum bellum vixit. Laërtius aliter *lib*. 1. *Opusculum* quod circumfertur de Leandri & Herus amoribus cujusnam sit, docti dubitant. Carmen autem Cratera vocatum Suidas Orpheo, vel Zopyro tribuit. Similiter etiam de Orphei operibus, quæ leguntur, docti quoque dubitant. Nam *Argonautica* Orphei Cecropis Pytagorici Cicero dicit esse, alii Orphei Crotoniatæ, qui cum Pisistrato tyranno vixit.

℣. 321. *Contra autem indocilem.*) Duos Linos scribit Pausanias *lib*. 9. primum Amphimaro Neptuni filio ex Urania genitum. Hunc interfecit Apollo, quia se cantu ipsi conferebat: Secundus minor Linus vocatur a Thebanis, fuit Ismenii filius, quem Hercules puer, dum ab eo musicam doceretur, occidit. Miror cur Pausanias addat hæc verba: *Carmina certe neque superior ulla Amphimari; neque hic posterior ulla fecere: vel quæ fortassis fecerunt, ad posteritatis memoriam non pervenerunt*: quum lib. 2. dixerit: *Sepulchra ibidem sunt Lini Apollinis filii, & Psamathes Crotopi: & Linum quidem hunc eundem esse dicunt, qui carmina fecit*. Idem *in Arcadicis* lib. 8. *Ab his nihil ferè discrepantia suis etiam versibus Linum cecinisse tradunt*. Hæc Pausanias. Dicamus igitur Linum Apollinis filium fuisse poëtam eximium, duosque reliquos alienorum versuum cantores. Hic Linus ab Hercule, quem fidibus docebat, est interfectus. Diodorus *lib*. 4. & *Ælianus lib*. 3. *Var. Hist*.

328. *Jam Methymnæium.*) *Quod mare non novit, quæ nescit Ariona tellus*, inquit Ovidius, quare nos hic tacemus rem notissimam, quum præsertim in *Scholiis* ad *Emblemata* multa collegerimus ex Herodoto, Plinio, Hygino, Agellio, Ovidio, Oppiano.

℣. 329. *Jam Thamyram.*) Thamuyras, sive Thamyris filius fuit Philammonis & Arsiæ nymphæ, genere Thrax, qui prius turpem amorem in pueros excitavit. Hic quum pulchritudine, ac arte cytharæ præstaret, ausus est cum Musis contendere: pactus ut si victor evaderet, ad omnes accederet: sin victus, ut privaretur arbitrio musarum re aliqua. Musæ igitur victrices illum oculis, arte cytharæ, atque adeo intellectu privarunt. Hæc ex Homeri *schol. lib.* 2. *Iliad.* ad illa carmina.

——— & Dorion: hic ubi Musæ
Treicium Thamyrin spoliarunt carmine dulci,
Euryti ab Oechalia venientem; quem levis ardor
Reddiderat tumidum, laturum præmia, quamvis
Certantes canerent Musæ Jovis aurea proles.
Ast illæ iratæ cæcum fecere: canendi
Dulciter, & citharæ dantes oblivia vati.

Statius *lib.* 4. *Thebaid.* sic ex Homero.

Dorion: hîc fretus doctas anteire canendo
Aonias, multos Thamyris damnatus in annos.
Ore simul, Cytaraque.

334. *Hoc enim Cyrrheus Philammon.*) Apponam primum Pausaniæ verba in Phocicis, obscura deinde Politiani carmina declarabo. *Quum cæpti* (inquit) *jam essent Pythici ludi celebrari, antiquissimum fuisse omnium certamen memorant inter eos qui præmio proposito, hymnum in Apollinis honorem cecinissent. Et primum quidem omnium psallentem vicisse Chrysothemia è Creta: cujus pater Carmanor Apollinem de cæde purgasset. Consecutos Philammonem Chrysothemidis ipsius, & Philammonis filium Thamyrin.* Hæc ille. Philammon ergo filius fuit Thamyridis ex Brinchis Edonum oppido: sed vocat illum Politianus *Cyrrhæum*, quia filius Apollinis erat, qui *Cyrrhæus* dicitur. Chione Nympha (ut habet Ovid. 11. *Metam.*) concepit ex Mercurio & Apolline:

Nasci-

Nascitur è Phœbo (namque est enixa gemellos)
Carmine vocali clarus, citharaque Philammon.

Sic igitur ordino contextum: Inter poëtas, qui cantu in sacris certaminibus floruerunt, palmamque obtinuerunt, primus fuit (de tempore loquor) Chrysothemis Cretensis: secundus Philammon: tertius Thamyris. Nam alios duos Demodocum, & Phenium non est cur memoremus: quia sicut tempore riores sunt, ita divinis Homeri carminibus quotilie rejuvenescunt. Homerus dictus fuit *Melesigenes*, uod juxta fluvium Meletem fuerit generatus. Deodocus celebratur in Odyssea. Phoemius item canibat inter procos ad mensas Neritias. I. Ithacenses. Iunc Ulysses non occidit, quia comperit invitum lum ad cantandum accessisse.

℣. 339. *Etenim ut stellas,*) Arrepta occasione ab is cantoribus, quos Homerus celebres fecit, de so Homero, atque Virgilio pauca prælibat, plura *Ambra*, & *Mantone* dicturus. Similitudinem adumravit Politianus poëtæ Leonidæ in Græcis epigrammatis, sic:

Astra quidem obscurat, & sacræ cornua Lunæ, ut
Excutit auricomus Phæbus ab axe jubar:
Sed vates superat simul omnes divus Homerus,
Prælucens claram Pieridum faculam.

Iæonius dictus fuit Homerus à patria Mæonia, sive patre Mæone, qui fratris filiam ingravidavit, ex a natus est Homerus, ex Plutarcho. Vide *Scho ad emblemata.*

343. *Unum quem dia canentem.*) Vulgatus est versulus.

Ἤειδον μὲν ἐγὼ, ἐχάρασσε δ' ὁ θεῖος Ὅμηρος, id est,
Ipse quidem cecini, scripsit divinus Homerus.

348. *Virgilius, cui rure sacro,*) id est, Virgilius r est Homero in Æneide, in Georgicis superat esiodum, & pastorali carmine Theocritum. Paulo ter in *Mantone.*

Namque Siracosiis quamvis assurgat avenis,
Hesiodum premit, & magno contendit Homero. Id est, Quamvis honorem præstet Theocrito, id enim est assurgere: alii legunt: quum vix assurgat, id est, quum vix honorem & reverentiam, ut ita dicam, præstet, & concedat Theocrito, cæt.

℣. 351. *Livor tandem & Sandalion.*) Livorem posuit pro Momo; Fuit autem Momus Nocte matre, Somno patre progenitus: ut ait Hesiodus in *Theogonia:* cui deo mos est, ipsum quidem nihil operis edere, aliorum verò deorum opera curiose contemplari, & si quid omissum, summa curiositate carpere. Ovid. de Adonidis forma.

Laudaret faciem Livor quoque.
Politianus autem hoc loco transtulit verba Philostrati in epistola ad uxorem, quæ sic latinè sonant. *Hunc Momum in Venere nihil alioqui, quod reprehenderet invenisse, nisi quod sandalium illius calumniabatur, ut stridulum, nimisque loquax ac strepitu molestum. Quod si Venus citra sandalium incessisset, ita ut emersit è mari tota nuda, nullam omnino ansam carpendi Momus invenisset.* vide Adag. *Momo satisfacere.* Dione fuit Veneris mater, sed pro ipsa Venere sæpius accipitur. Vide *Scholia ad emblemata.*

353. *Excipiunt gemini procul hos.*) Post Homerum, & Virgilium, annumerat reliquos poëtas Epicos; & Latinos cum Græcis componit. Ac primum Antimachum Græcum cum Pappinio Statio Latino, qui ambo Thebanum bellum scripsere. Sed quamvis hos secundo enumerat loco post Homerum, & Virgilium: alludit tamen ad illud Virgilii 5. *Æneid.*
Proximus huic, longo sed proximus intervallo:
Antimachi tres fuêre. Hic de quo agit Politianus fuit Colophonius Hyparchi filius, Panyasidos discipulus, & Stesimbroti. Alius fuit Ægyptius ex Heliopoli, qui multis versibus scripsit Cosmopoeiam. Tertius cognomento Psecas, quòd familia-

res

res convitiis aspergeret. De hoc nostro dixit Catullus:

At populus tumido gaudeat Antimacho,

Scripsit *Thebaida*, is adeò verbosus fuisse traditur, ut antequam septem Duces circum Thebana mœnia duceret. 24. libros scripserit, fecit multa alia opera inter quæ carmen est in Lydæ funere, quam perditè amavit. Plutarchus in *consolatione ad Apolloniam*, hanc ejus uxorem fuisse autumat. Poëma ipsum elegiacis conscriptum carminibus vocatur *Lyde* a nomine puellæ. Vide Suidam Lyde: hinc illud Ovidii:

Nec tantum Clario Lyde dilecta poëtæ,

Plutarchus in *vita Lysandri* sic ait: *Nam cùm Niceratus Heracleota & Antimachus Colophonius Lysandro poëmata legissent, Lysander Nicerato coronam, Antimacho nihil donavit. Quare Antimachus mæstitia affectus, scripta à se carmina abolevit. At juvenis adhuc Plato Antimachi admiratus ingenium, eum solari cœpit: Morbum, dicens, sive calamitatem esse ignorantibus, ipsam ignorantiam, ut luminis orbitatem cæcis. Proditum insuper est memoriæ, quum convocatis auditoribus magnum suum illud opus legeret: & eum omnes, præter Platonem, reliquissent legam nihilominus: Plato enim mihi unus est instar omnium.* Hæc, Cicer. *de claris orat.* Quintil. *lib.*10. Contra in Antimacho vis, & gravitas, & minime vulgare eloquentiæ genus habet laudem. cæt.

Statius Neapolitanus fuit. Neapolis autem à Cumis duxit originem, teste Plinio, & Strabone, Scripsit Statius *Thebaida*, & *Achilleida*: sed hanc non absolvit, ut ipsemet innuit 4. Silv. *Et primis meus ecce meus hæret Achilles.* Scripsit & *Silvas*, & à Domitiano aurea corona donatus est. 4. *Silv.* *Palladio me tua manus induit auro.*

℣. 361. *Ecce alii primo.*) Recenset poëtas Græcos, & Latinos, qui *Argonautica* scripsere: Or-

 pheum

pheum Crotoniatam, Apollonium Rhodium, Varronem Atacinum, Valerium Flaccum Setinum.

℣. 362. *Palladiam ratem*) vocat, quia Palladis monitu, & ductu fuit fabricata.

Tabulas loquaces) dicit, quia Argo navis vocem edebat, ut ait Apollonius *lib.* 4. & Cic. *de claris orat.* & Seneca in *Medea Ipsam quæ vocem perdidit Argo.* Pallas enim ex quercu Dodonæa, quæ vocem humanam aliquando edidit, lignum quodam Argo navi impegit. Orpheus igitur Crotoniata induit sibi personam Orphei Œagri filii, & Calliopes, illius inquam qui vere inter Argonautas enumeratur.

364. *Myscelli gente Salubri.*) Myscellus condidit urbem Crotonem; & de Crotonis salubritate agit Plinius & Strabo: & extat adagium,

Crotone salubrius, & Donum quodcunque.

365. *Alter Alexandri Nilot.*) Apollonius Rhodius Alexandrinus fuit, & ex tribu Ptolemaide: sed quum calumniis aliorum poëtarum incesseretur, in Rhodum concessit: inde maluit Rhodius, quam Alexandrinus vocari. Fuit discipulus Callimachi, qui Callimachus nescio qua contumelia ab illo exasperatus dirum, & maledicum illud Carmen evomuit, quod *Ibin* vocavit, quem Ovidius est imitatus. Composuit Apollonius varium & præclarum illud opus *Argonautica*, ex cujus *lib.* 4. Virgilius suum quartum Æneidos fere expressit. De Apollonio vide Quintil. *lib.* 10. *cap.* 1.

366 *Tumidamque Colosso*,) de admirando Colossi Rhodii opere vide Plin. *lib.* 24. *c.* 7.

367. *Et irriguam pluvio auro*,) Alludit ad Pindari verba in Olimp. *oda* 7. de Rhodiis loquentis: Ubi quondam magnus deorum rex aureis imbribus rigavit urbem, & infra *eadem oda:* Atque illis flavam adducens nebulam multum pluit auri.

368 *Hujus in Ausonio.*) Varro Atacinus scripsit *Argonautica*: imitatus, seu potius interpretatus Apol-

Apollonium. Quintil. loco citato: *Atasinus Varro in iis, per quæ nomen est adsecutus, interpres operis alieni, non spernendus quidem, verum ad augendam facultatem dicendi parum locuples.* Atax fluvius est Galliæ Narbonensis. Varronem hunc sic laudat Ovidius.

Varronem primamque ratem, quæ nesciet ætas?
Aureaque Æsonio terga petita ducis?

Scripsit etiam Atacinus elegiaco carmine *Leucadiam*, id est, *de amica sua.* Propertius *lib.* 2.

Hæc quoque perfecto ludebat Jasone Varro:
Varro Leucadiæ maxima cura suæ.

Scripsit & Saturas Lucillium imitatus (qui primus Saturam scripsit, teste Plinio in *proœmio.*) Alius M. Varro Romanus saturas etiam scripsit: sed Politianus de Atacino loquitur. Fuit porro Lucillius Italus ex Arunca urbe: sed (ut sentit Horatius) Atacinus minus fœlix in Satura:

Hoc erat, experte frustra Varrone Atacino,
Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem.

Juvenalis *Sat.* 1. de Lucillio, & Satyra sic:

Quur tamen hoc libeat potius decurrere campo,
Per quem magnus equos Auruncæ flexit alumnus.

Eleganter Politianus ad Horatii, & Juvenalis verba respexit:

——— *Succedere magno*
Aruncæ quondam frustra conatus alumno.

℣. 374. *Nam te Flacce sinu.*) Valerius Flaccus scripsit itidem *Argonautica*: sed morte præventus opus perficere non potuit. Quidam Setinum faciunt ex Campania. Martialis Patavinum vocare videtur: *lib.* 1.

O mihi curarum pretium non vile mearum,
Flacce Antenorei spes, & alumne laris.

Quintil. loco citato: *Multum in Valerio Flacco nuper amisimus.* Dicavit autem suum opus Imperatori Vespasiano.

℣.377. *At tibi Dædalæos monitus.*) Hesiodi mediocritatem in inscribendo laudat: quemadmodum Dædalus Icarum filium monebat dicens apud Ovidium:

Inter utrunque vola: medio tutissimus ibis.

Quintil. *lib.* 10. *Raro assurgit Hesiodus, magnaque pars ejus in nominibus est occupata, tamen utiles circa præcepta sententiæ, lenitasque verborum, & compositionis probabilis: daturque ei palma in illo medio genere dicendi.*

382. *Scilicet huic patris pecudes.*) Hoc ipse de se in Theogonia.

Hæ prius Hesiodo tenues dum pasceret agnas
Monte sacro, pulchram dederunt ad carmina vocem.
Tum sceptrum legere ex lauro, ramumque dederunt:
Divinamque ambas vocem fudere per aureis.

De lauro multa diximus *in Emblem.* Hic tantum illud repeto: Poëtas olim vocari solitos Δαφνοφαγυς: id est, laurum vescentes. Quia laurus Apollini sacra symbolum vaticinii habetur. Unde Juvenal. *Laurumque momordit.* Unde etiam addit Hesiodus à Musis sibi datum scire.

Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.
Enumerat Politianus Hesiodi opera.

385. *Qua Superûm caneret stirpem.*) Extat hoc opus & dicitur *Theogonia*, id est, de *Gentilitate deorum.*

Præceptaque morum.) Quintilian. *lib.* I. *cap.* I. memorat *Hypothecas*, id est, *præcepta morum*, non extat. Extat opus quod dicitur, ERGA, id est, opera & Dies.

386. *Clypeumque tremendi Herculis.*) Extat Herculis Clypeus, sed de autore ambigitur.

387. *Et veteres divum genus Heroinas.*) Lucianus in Dissertatione cum Hesiodo, dicit, libris quinque scripsisse Hesiodum catalogum Illustrium Heroinarum. Idem aiunt Plutarchus *de claris mulieribus* & Pausanias, *lib.* I. & Suidas. Citat etiam Strabo *lib.* 7.

He-

Ieſiodi opus *de terræ ambitu.* Plinius *lib.*18. *cap.*25. Ieſiodi *Aſtrologiam* memorat. Alia opera commemorat Pauſanias in Bœoticis, cujus verba ſubſcriam: *Bœotiorum quidem populi, qui circa Helicoem domicilia habent, ex opinione quadam à majobus accepta, Heſiodum negant aliud quicquam, prær illud poëma, quæ Opera appellantur, ſcriptum liquiſſe. Quin & ex eo Muſarum invocationem, æ in Exordio eſt, removent. Principium ſtatuentes rminum eum locum fuiſſe, qui de Contentionibus eſt. iverſa eſt ab hac, eorum ſententia, qui multa alia rſuum volumina Heſiodo aſcribant: Ea videlicet, æ in mulieres decantata ſunt: & quas magnas Eoſ vocant: Deorum gentilitatem: In Melampodeni tem carmen: Theſei cum Perithoo ad inferos deſiſum: Chironis præceptionem ad Achillem inſtituenm: Tum quæ operibus & diebus continentur. Diiſſe iidem Heſiodum divinandi artem tradunt ab arnanibus. Et extant ſane ejus de Divinatione carna; quæ ipſi legimus cum iis, quæ ad finem adæ ſunt, explicationibus. Contraria etiam quædam Heſiodi morte narrantur. Nam Ganyctoris filios Heſiodi necem, Climenum, & Antiphum, ex Nauclo in Molucriam terram confugiſſe: & illic ob latum Neptuni numen pœnas ſuſcepiſſe, omnium c eadem ſunt ſermonibus vulgata: ſed adoleſcenm ſororem quum alius vitiaſſet, in ſtupri ſuſpicion falſo Heſiodum vocatum, alii dixerunt: alii vellum haud dubie culpa non vacaſſe.* Hæc Pauſan.

ỽ. 388. *Ergo & Chalcidico.*) Magna quæſtio eſt ed non hoc loco excutienda) uter prior fuerit, omerusne, an Heſiodus. Eſt tamen inter Græca igrammata nomine Heſiodi diſtichum tale ex *lib.*3.

Ἡσίοδος Μούσαις Ἑλικωνίσι τόνδ' ἀνέθηκε
ὕμνῳ, νικήσας ἐν Χαλκίδι θεῖον Ὅμηρον. id eſt.

Heſiodus muſis, quæ ſunt Helicone dicavit
Hæc, cantu vincens divinum Chalcide Homerum.

Heſio-

Hesiodus ipse in *Georgicis* non procul a fine meminit hujus certaminis, sed Homerum non nominat, imo etiam ex ipsis carminibus elicio multis annis post Homerum fuisse, siquidem Homerum circa tempora Trojana floruisse aiunt. Carmina sic habent.

Non tamen ipse rei, quæ pertinet ad mare, doctus,
Nam nunquam rate sum spaciosa per æquora vectus,
Præter quam Euboam ad vicinam ex Aulide, ubi olim
Argivi a ducibus populi collectio facta est,
Dum sævum mare ibi tenuit Troiam ire volentes.
Illuc Amphidamantis ego ad certamina veni,
Chalcidaque intravi: nam plurima premia clari
Proclamata viri statuêre: at carmine tunc me
Victorem tripodem auritum retulisse recordor.
Hunc ego suspendi Musis Heliconis honorem.

℣. 389. *Auritum tripoda dixit,*) id est habentem ansas, ut aures, Græce est Ατωεντα. Hanc contentionem narrat etiam Plutarchus in *convivio septem sapientum*: dicitque fuisse judicem Panidem Chalcidis regem: unde proverbium, *Panidæ suffragium*, in illos qui aliquid inerudite judicant. Vide Gellium *lib.* 3. *cap.* 11.

391. *Moxque dolo exctinctum.*) Plutarchus *in convivio*, non longe à fine: *Milesius* (inquit) *quidam, cum quo hospitii, ac convictus usus Hesiodo intercedebat, apud Locros hospitis filiæ pudicitiam clam imminuerat. Re comperta creditum est Hesiodum ab initio conscium flagitii fuisse, in eoque occultando operam navasse: quum ille insons, nullaque culpa in iram hominum per calumniam, & sinistras incidisset suspiciones, Nihilominus eum puellæ fratres apud Locrense Nemeum ex insidiis trucidaverunt.* Et paullo post: *Hesiodi autem cadaver, ubi primum à terra in mare excidit, excipiens delphinorum grex ad Rhium & Molycriam, deportavit.*

℣. 392.

℣. 392. *Nec defuit index tur. ca.*) Plutarchus *de lust. animal. Idem fecisse aiunt Hesiodi illius sa-ntis canem, qui Ganyctoris Naupactii filios pro-lerit, a quibus Hesiodus interfectus fuerat.*

393. *Darent qui corpora sontum,*) id est, neque uerunt, qui sontes projiceret in mare. Plutarchus *eodem convivio* sic: *Quum vero cadaver viderent erri: mirati* (ut *par* erat) *ad littus accurrerunt, mque cadaver recens interfecti Hesiodi agnoscerent, ria hominis permoti, nihil antiquius habuere, quàm lis autorem quærere. Ac cito eis res successit: in-tosque percussores vivos in mare præcipitaverunt, eorum domum diruerunt. Ipse Hesiodus apud Ne-m sepultus est, & sepulchrum ejus plerique pere-i ignorant: Occultatur enim propter Orchomenios, illud quærunt, & reliquias Hesiodi monitu ora-cujusdam auferre, & apud se habere cupiunt.* c Plutarchus.

95. *Ossaque fatali tell. Myn.*) Pausanias paullo : in Bœoticis refert: *Sepulchra visuntur Minyæ Hesiodi. Hèsiodi vero ossa hoc modo se* (*Orcho-i*) *recepisse narrant. Sæviente in homines ac pe-s pestilentia, missos ad oraculum consultores, res-um tulisse ad sedandam luem, unicum illud fore ilium, si ex Naupacto agro, in Orchomenium He-ossa deportassent: Aliam sanè nullam reperiri mali levationem. Percunctatos rursus eos in qua lem Naupactii agri parte essent illa reperturi, res-lisse Pythiam, locum cornicem monstraturam. Quùm rent in patriam, qui sciscitatum missi fuerant, non è à via cornicem conspexisse saxo insidentem: ibi-Hesiodi ossa inventa in ejus saxi latebra cum hac orum inscriptione.*

lesiodi patria est frumenti fertilis Ascra,
Sed bello insignes ossa tenent Minyæ.
lujus in Argolicis excellit gloria terris,
Judicium quibus est, ingeniumque sagax.

℣. 396.

℣. 396. *Annosæ conspectu.*) Vide adagium: *Cornicibus vivacior.*

397. *Nec quæ magnanimum.*) Pisander Pisonis & Aristæcniæ filius, Alexandrinus fuit, sed quum in Rhodum se contulisset, maluit se Camirensem appellari quam Alexandrinum. Camirus enim urbs est Rhodi, ut ait Pomp. Mela & reliqui. Scripsit Pisander duobus libris, qui desiderantur, *Labores Herculis*: in his primus ipse clavam Herculi dedit. Vide Macrob. *lib.* 5. *Satur. c.* 2. Meminit Pausanias in fine secundi Pisandri Camirensis ejusque operis de Hercule: dicitur itaque *Camirensis* & *Camiræus.* Alius fuit Pisander Larandæus poëta; item alius miles de quo extat proverbium, *Timidior Pisandro.* Ordo autem versuum est: Musa Pisandri neque nullum, id est, aliquod nomen, & decus conciliat Camiro sterili. Camirus porro ab Homero in catalogo navium vocatur Sterilis, Strabo *lib.* 14. Nec qui bissenos, Pannyasin dicit: Is enim labores Herculis quatuordecim voluminibus scripsit. Opus illud *Heracleia* nuncupavit. Ipse Halicarnasseus fuit. Meminit hujus poëtæ Pausanias in *Phocicis*: *Panyasis* (inquit) *Poliarchi filius in his versibus, quos in Herculem fecit,* &c. deinde citat ejus duo carmina. Quintiliani porrò verba hæc sunt. *Panyasim ex utroque* (Hesiodo & Antimacho) *mistum putant, in eloquendo neutrius æquare virtutes, alterum tamen ab eo materia, alterum disponendi ratione superari.* Hæc ille. Hinc patent carmina. Non saltem laudibus æquet Ascræum, id est, Hesiodum, Clarium, id est, Antimachum, ut diximus supra. Scripsit alia multa Panyasis, ut refert Suidas.

403. *Nec Chalcis alumnum.*) Euphorion Chalcidicus Polymneti filius fuit, inter opera quæ scripsit, referuntur *Mopsopia*, id est, res Athenienses, nam Athenæ cognominatæ sunt Mopsopiæ. Hunc poëtam transferebat Gallus poëta in Latinam linguam, ut innuit Virgilius in *Gallo.*

Iba

Ibo & Chalcidico quæ sunt mihi condita versu
Carmina, pastoris Siculi modulabor avena.
His tibi Grinei nemoris dicatur origo.

℣. 405. *Neque Tyrtæi Lacedæm.*) Tyrtæi poetæ storiam nemo melius Pausania narrat, qua propter ius apponam verba ex *Messenicis*: *Adversus Mesiios Lacedæmoniis bellum gerentibus Delphicum oralum de belli exitu datum est, ut Atheniensem ho-nem rerum gerendarum authorem accerserent. Quare m per legatos de oraculo docuissent Athenienses, ac ul Atheniensem sibi hominem cujus uterentur con-o, depoposcissent: ea res animi dubios tenuit Athe-nses. Nam & periculosum nimis fore reipublicæ e judicabant, si Lacedæmonii parte Peloponnesi tima potirentur, & rursus divinis vocibus non pa-e nefarium censebant. Consilium ut in re dubia ceps capiunt. Erat Athenis Tyrtæus quidam, ludi gister, qui neque satis mente valere credebatur, altero claudicabat pede. Hunc ad Spartanos mi-e. Ibi ille modo civitatis principes, modo plebem, inde ut locus, aut tempus tulisset, elegos, & ana-stos decantans, quod facto opus esset edocebat.* Hac-ius Pausanias. Joan. Tzetzes aliquot Tyrtæi car-na profert sic.

Eia agite ô Spartæ proles generosa parentum
Læva ferat Clypeos, audacter mittite contos.
Spartanum est pulchræ vitas impendere morti.

: hoc Horat. in *Arte*.

—— *Post hos insignis Homerus,*
Tyrthæusque mares animos in Martia bella
Versibus exacuit.

de Suidam, & Justinum *lib.* 3. Plutarch. *in vita* *idis & in lib. de indust. animal.* Athene. *lib.* 14. ito.

407. *Adde novis, m. c. f. Parth.*) Duo fuerunt rthenii ut refert Suidas, loquitur hic Politianus Partenio Chio qui *Metamorphoseos libros* scripsit,

ut

ut citat Plutarchus & Eustathius in Homerum. Hunc poëtam imitatus est Ovidius in sua *Metamorpho.* Vide Suidam in voce *Nestor.*

ỷ. 408. *Pictique notantem.*) Aratus Solensis Athenodori & Lenodoræ filius, scripsit *Phænomena*, quod opus M. Tullius latino carmine vertit: scripsit item alia multa, ut tradit Suidas & Pausan. Cicero vero in dialogis de Oratore sic meminit de Arato. *Constat* (inquit) *inter doctos hominem ignarum astrologiæ ornatissimis, atque optimis versibus Aratum de Cœlo*, &. *Stellis scripsisse.* Quintiliani verò judicium tale est. *Arati materia motu caret, ut in qua nulla varietas, nullus affectus, nulla personæ cujusquam sit oratio. Sufficit tamen operi cui se parem credidit.*

410. *Cui cor. ab intonsi f. o. a. Phi.*) Dilexit Aratus Philinum puerum cujus meminit Theocritus in *Thalysiis.*

412. *Et portentoso.*) Arati sepulchrum sic celebrat Pomponius Mela: *Juxta Solos* (inquit) *in parvo tumulo Arati poëtæ monumentum, ideo referendum, quia ignotum, quam ob causam jacta in id saxa dissiliunt.* Hujus testimonium citat D. Paulus *Act.* 17. qui etiam Paulus Cilix fuit.

413. *Nec te quem Colophon.*) Nicander Xenophanis filius Clarius fuit, ut ipse testatur in fine Operis cum inquit. — *Urbs nebulosa Claros genuit.* Sed Politianus sequutus Ciceronem, Colophonium illum facit. Verba Ciceronis in dialogis *de Oratore* sunt hæc. *Constat de rebus rusticis hominem ab agro remotissimum Nicandrum Colophonium, poëtica quadam facultate non rustica, scripsisse præclare.* A Macrobio etiam & aliis vocatur *Colophonius* fortasse quia Claros & Colophon conterminæ sunt civitates.

414. *Pœoniis celebrem.*) Quia medicus fuit, & Pœon medicus est celeberrimus apud Homerum *lib.* 5. *Iliad.* Unde *Pœonius.* i. *medicinalis.*

ỷ. 414

ỷ. 414. *Qui nigra venena.*) Scripsit inter alia opera *eriaca*, & *Alexipharmaca* quæ extant. *Prognosti-*, & *Georgica* desiderantur. Vide Suidam in *voce icander*, & Macrob. *lib.* 5. *Satur. c. ultimo.*

419. *Sed lustra ferarum.*) Oppianus Agesilai nazarbeni, & Zenodatæ filius floruit M. Antonii nperatoris, & Severi temporibus. Mortuo autem vero, à quo jussus fuerat exulare, opus quod de cibus in exilio composuerat Antonino Severi filio avit. At vero tam gratus fuit Antoninus erga ppianum, ut eum cum patre ab exilio revocaverit, insuper pro singulis ejus operis versibus unum eum rependerit. Unde Oppiani carmina dicuntur nultis aurea, quia fuerunt auro repensa: fuit verò x. Oppianus, ut ait Athenæus, scripsit de venane, de aucupio, de piscibus, quod opus, ut dinus, dedicavit Pio Antonino: partim ex Suida, tim ex aliis.

423. *Pingit & exiguis.*) Multi fuere Dionysii. de quo nobis sermo est, creditur fuisse Afer, d opus nunc etiam extat, cum doctissimis comntariis Græcis.

424. *Sed non & prælia Bacchi.*) Nonnus Panotanus scripsit *Dionysiacon* 48. *libros*, qui extant ræce. Vide Politian. *Miscell.* 11. Scripsit etiam care paraphrasin in Evangelium D. Joannis. Vide dam in voce *Nonnæ.*

26. *Battiades Hecalen sonat.*) Callimachus Cyeus Batti filius, aut originem a Batto Cyrenes ducens multa scripsit, è quibus tantum aliquot nnos habemus. Callimachus (ut ipsemet innuit hymno Apollinis, & scholiastes annotat) reprefus ab æmulis, quod magnum non posset poema dere, coactus est *Hecalen* scribere: & *Thesei res in Tauro Marathonio trucidando. Hecale*, aufuit anus quæ adolescentem Theseum hospitio perat. Vide Politianum *Miscell.* 24. Petronius iter. *Qua-*

Qualis in Actæa quondam fuit hospita terra
Digna sacris Hecale: quam Musa loquentibus annis
Battiadæ veteris vivendo tradidit ævo.

Hinc Politianus addit: *Celsior assueto.* i. altior quam solebat. Scripsit & Τὰ Αἰτία, i. *causas*, aut *de causis rerum.* Martial.

Si non vis Mamurra tuos cognoscere mores,
Nec te scire: legas Aitia Callimachi.

Scripsit & Amatoria versibus Elegiacis. *Undeno pede.* i. hexametro, & Pentametro, sic enim dixit Ovid.

Musa per undenos emodulanda pedes.

Scripsit contra Apollonium Rhodium poema *Ibin.* Vide *Scholia nostra* ad emblema cujus est titulus, *In Sordidos.* Scripsit etiam *Iambos*, *Comœdias*, & *Tragœdias.*

℣. 434. *Sed Tiberim dominum rerum.*) Callimacho comparat Ovidium. Nam Ovidius etiam varia poëmata edidit, etiam *Ibin* scripsit in hostem. Unde Politianus:

442. *Involvitque novum dubiis ambagibus Ibin.*) De Ovidio pauca hic sunt prælibanda. Ejus vitam multi scripserunt.

446. *Vel memorat pisces.*) Scripsit *Halieutica.* i. *de piscib.* Vide Plin. *lib.* 32. *c.* 2.

447. *Cœlo labentia computat astra.*) Scripsit *Phænomena*, ut autor est Lactant. *lib.* 2. *cap.* 5. *Divinar. Instit.* Composuit Ovidius tragœdiam *Medeam*, ex versibus Virgilianis, teste Tertulliano, quum agit *de* Centonibus. Hanc vocat Politianus

449. *Consutum syrma.*) Est enim syrma vestis tragica cum longa cauda; à *Syro*, quod est, traho.

℣. 451. *Indulgens tamen.*) *Aiebat Ovidius* (referente Seneca. 2. *declamat.*) *decentiorem esse faciem*, *in qua aliquis nævus esset.* Vide quæ annotavimus in *Emblem.* titulo, *Non vulganda consilia.*

454. *Jam senior triplici.*) Ennius Calaber fuit è Rudiis. Dicebat se tria corda habere, eo quod loqui

Græce,

Græce, Latine, & Osce sciret. Gellius *lib.* 17. *cap.* 17. Dicebat idem, se in somnis Homeri animam accepisse. Horat. 2. *epist.*

Ennius & sapiens, & fortis, & alter Homerus,
Ut critici dicunt. Persius *sat.* 6.
Lunai portum est operæ cognoscere cives.
Cor jubet hoc Enni: postquàm destertuit esse
Mæonides Quintus pavone ex Pythagoreo.

Citatur passim hic versiculus ex Ennio.

—— *Mihi visus Homerus adesse poeta.*

℣. 459. *Pauper opum, fidens animi.*) Agellius *lib.* 12. *cap.* 4. profert versus, quibus ipsemet Ennius suos mores, & vitæ genus describit. Cic. *in Senect.* vocat Ennium *fidei plenom, haud magna in re.* Idem Cicero, ductum Ennium Romam Questore Catone dicit. 4. *Tusc.*

463. *Mox comes armorum Fulvii.*) Cic. *pro Archia: Jam vero ille, qui cum Ætolis, Ennio comite bellavit, Fulvius, non dubitavit Martis manubias Musis consectare.* Silius Italicus *lib.* 12. eleganter per multa carmina pugnas Ennii describit, ex illo versu:

Sed vos Calliope nostro donate labori, cæt.

Sepulchrum habuit commune cum Scipione. Ovid. 3. *de Arte Aman.*

Ennius emeruit Calabris in montibus ortus
Contiguus poni Scipio magne tibi.

Antea legebatur (*hortos contiguos*) & suspicor ita legisse Politian.

In Ennii sepulchrum tale epitaphium celebrat M. Tullius.

Aspicite, O Cives, senis Ennii imaginis urnam:
Hic vestrûm panxit maxima facta patrum.
Nemo me lacrumis decoret, neque funera fletu
Faxit. Quor? volito docta per ora virûm.

Claudianus loquens de Scipione:

Hærebat doctus lateri, castrisque solebat
Omnibus in medias Ennius ire tubas.

Scripsit *Tragœdias*, *Comœdias*, & *Saturas*.

ỷ. 473. *Latioque Euhemeron infert*,) id est, Latine vertit: Cic. 1. *Nat. Deorum*: *Quæ ratio maxime tractata ab Euhemero est: quem noster & interpretatus, & secutus est præter cæteros Ennius.* Vide Politian. *Miscell.* 35.

474. *Deflorans carmina Nævii.*) i. quemadmodum Ennius multa furatus est à Nævio, qui scripsit bellum Punicum, ita Ennium Virgilius expurgavit, & ab eo multa selegit. Cic. in *Bruto*. *Quid, nostri veteres versus ubi sunt? Quos olim Fauni, vatesque canebant.* Et paulo inferius: *Neque vero tibi aliter videri debet, qui a Nævio vel sumsisti multa, si fateris: vel si negas, surripuisti.* Virgilium vero sæpe solitum dicere aiunt: *se ab stercore Ennii margaritas seligere.* Unde illud minuti poetæ.

Virgilius gemmas EnnI de stercore legit:
Et mihi sunt vatum plura notanda luto.

Vide Plin. *lib.* 7. *cap.* 30. & Quintil. *lib.* 9. *cap. ult.* & Polit. *Miscell.* 15.

478. *Sed quanquam imprimis.*) C. Valerius Catullus & Aimylius Macer Veronenses fuerunt. Catullus multa scripsit, quæ interciderunt. Dilexit Clodiam (Apuleius *Apolog.* 1.) quam vocat Lesbiam in carminibus. Aliquando est in Cæsarem invectus, sed tandem in amicitiam receptus. Sueton. in *Cæsare*: *Valerium Catullum, à quo sibi versiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita non dissimulaverat, satisfacientem eadem die adhibuit cœnæ: hospitioque patris ejus, sicut consueverat, uti perseveravit.* De Aimylio Macro sic meminit Ovidius.

Sæpe suas volucres legit mihi grandior ævo,
Quæque nocet serpens, quæ juvet herba, Macer.

487. *Nec qui philtra bibit.*) Lucretius Romanus fuit: scripsit libros de *Natura rerum*. Eusebius *in Chronicis* sic: *Titus Lucretius Carus poëta nascitur: qui postea amatorio poculo in furorem versus, quum ali-*

'iquot *libros per intervalla insaniæ conscripsisset*, *os postea Cicero emendavit*, *propria se manu intercit.* ann. ætatis 43.

℣. 494. *Ærisonas pedibus.*) Empedocles Metonis ius Siculus ex Agrigento scripsit Græcis versibus rerum Natura, & sæpe citatur ab Arist.

Indutus amyclas,) correxi, ex Suida. *Empedocles* nquit) *coronam portabat auream in capite*, *& amyus æreas in pedibus*, *Delphicasque coronas in ma*ùs. Horatius in *Arte*. *Dicam*: *Siculique poëtæ*

Narrabo interitum: *Deus immortalis haberi*
Dum cupit Empedocles, *ardentem frigidus Æthnam*
Insiluit.

ırie narrat ejus mortem Diogenes Laërtius, & carmine Democriti Troezenii suffocatum meırat.

Connexo ex alta laqueo sua, *guttura cornu*
Inseruisse, *anima ut tetrum penetraret ad orcum.*

hoc intelligendus Ovidius *in Ibin*: non ut Casinus.

Jtve Siracosio perstricta fauce poetæ,
Sic animæ laqueo sit via clausa tuæ;

[4]96. *Et cui de vocum.*) Heraclitus Ephesius Bliis filius cognomine Scoteinos, i. tenebricosus, pter obscuritatem. Hic quotiescunque domo exi, lacrumas fundebat humanas cogitationes & cois deplorans. Contra illa omnia Democritus riat. De his diximus *emblemate* 151. in vitam huıam. vide Adag. *Delius natator.*

[4]99. *Emicat Hesperio.*) Lucani vitam passim le- Politianus hic sequitur Papinium Statium, qui Lucani mortem Pollam Argentariam duxit uxo-: & natalem Lucani celebrat *lib.* 2. *Silvarum.* nferamus nunc Politianum cum Statio, Polit.

[5]00. *Qui vix puber adhuc.*) Stat. *Ac primum te*r *adhuc in annis Ludes Hectora*, *Thessalosque us*: *Et supplex Priami potentis aurum.* Polit.

℣. 502. *Tartareasque domos.*) Stat. *Et sedes reserabis inferorum.* Polit.

Dirumque Neronem.) Stat. *Dices culminibus Remi vagantes Infandos domini nocentis ignes.* Polit.

503. *Orpheaque.*) Stat. *Ingratus Nero dulcibus theatris, Et noster tibi præferetur Orpheus.* Quum enim Nero *Niobem* se recitaturum promitteret, Lucanus *Orphea* ex tempore recitavit, coronaque donatus est. Quare Imperatoris invidiam in se concitavit. De quo ipse ita testatur: *Orpheus ingrati stimulus, livorque tyranni.* Polit.

Meritæ peragit præconia Pollæ.) Stat. *Tu castæ titulum, decusque Pollæ Jucunda dabis allocutione.* Polit.

504. *Lascivitque jocis.*) Quia scripsit *Saturnalia, & Silvas.* Polit.

Ac torrens voce soluta.) Stat. *Et junctæ pede vocis & solutæ.* Damnavit etiam oratione soluta Octavium Sagittam, qui Pontiam confoderat. Polit.

507. *Mox tonat ardenti.*) Stat. *Mox cœpta generosior inventa Albos ossibus Italis Philippos, Et Pharsalica bella detonabis.* Polit.

508. *Ægyptique nefas.*) Stat. *Et Pelusiaci scelus Canopi Deflebis pius.* cæt. *Torvo quem Virgilius.* Pingebatur Virgilius chorum poetarum ducens, quem Lucanus ita sequebatur, ut palmam de Virgilii manu conaretur arripere: sed Virgilius torvo vultu Lucanum respiciebat.

505. *Dulichias æquare nives.*) Homerus *Iliad.* 3. de Ulyssis oratione sic ait.

Hybernis nivibus dixitque simillima verba.

Quintilianus *lib.* 12. quum agit de tribus generibus eloquendi, Subtili, Grandi, Florido: *Sed summam, Homerus, aggressus ut in Ulysse, facundiam, magnitudinem illi junxit: cui orationem nivibus hybernis copia verborum atque impetu parem tribuit. Cum hoc igitur nemo mortalium contenderet: hunc ut deum,*

homi-

omines intuebuntur. Hanc vim, & celeritatem in Pericle miratur Eupolis: hanc fulminibus Aristophanes comparat. Hæc est vera dicendi facultas. Hæc Fabius.

℣. 514. *Tum felix tamen ô juvenis.*) Stoïcorum est dogma: Bonum virum etiam in tormentis, fœliciorem & beatiorem esse, quam qui jubet tormenta affligi. De talibus Tyrannis sic Seneca *lib.* I. *de clementia cap.* 13. *O miserabilem illum, sibi certe: cum cæteris misereri ejus nefas sit, qui cædibus, ac rapinis potentiam exercuit: qui suspecta sibi cuncta reddidit, tam externa, quam domestica: quum arma metuat, ad arma confugiens, non amicorum fidei credens, non liberorum pietati. Qui ubi circumspexerit, quæ fecit, quæque facturus est, & conscientiam suam plenam sceleribus, ac tormentis adaperuit; sæpe mortem timet sæpius optat, invisior sibi, quam servientibus.* Lucanum dixisse de se aiunt: *Et quantum mihi restat ad Culicem?* Statius loco citato: *Hæc primo juvenis canes sub ævo, Ante annos culicis Maroniani.*

De morte Lucani sic Cornel. Tacit. *lib.* 15. non procul à fine: *Exin M. Annæi Lucani cædem imperat. Is profluente sanguine, ubi frigescere pedes, manusque, & paulatim cedere spiritum, fervido adhuc, & compote mentis intelligit: recordatus carmen a se compositum quo vulneratum militem per ejusmodi mortis imaginem obiisse tradiderat: versus ipsos retulit: eaque illi suprema vox fuit.* Hæc Tacitus, versus sunt:

Scinditur avulsus, nec sicut vulnere, sanguis
Emicuit lentus, ruptis cadit undique venis.
Discursusque animæ diversa in membra meantis
Interceptus aquis.

De Rhamnusia diximus *in Embl.* ea est Nemesis.

℣. 520. *Post hunc Sidoniæ.*) Silius Italicus oriundus ex Hispania scripsit libros XVII. *de bello Punico* 2.

 annum

annum agens 75. obiit inedia, fatum enim arcessivit ob innatum insanabilem clavum. Fuit ter consul: ejus tempore interfectus fuit Nero. Extat epistola Plinii *lib.* 3. & est 7. unde hæc sumsit Polit. Meminit & Martial. *lib.* 4. *epig.* 14. Et *lib.* 7. 62. & *lib.* 8. 66.

ỳ. 526. *An taceam Bassum.*) Saleius Bassus Vespasiano carus fuit, ab eoque quingentis sestertiis donatus. Egregium poëtam vocat Cornel. Tacitus in *lib. de claris oratorib.* Quintilianus: ejus quidem vehemens, ac poeticum ingenium celebrat, sed quod tamen neque senectute esset maturum.

527. *Et fantem Sicula arma.*) Cornelius Severus scripsit Siculum bellum. Quintilian. *Cornelius Severus etiam si versificator, quam poeta melior: si tamen, ut est dictum, ad exemplar primi libri bellum Siculum scripsisset: vendicaret sibi jure secundum locum. &c.*

528. *Aut te Sidonias.*) Ponticus heroico carmine belle Thebana bella. Id indicat Propertius:

Quum tibi Cadmeæ dicantur Pontice Thebæ,
Armaque fraternæ tristia militiæ.

529. *Aut Pelusiaci.*) Claud. Claudianus Alexandrinus fuit: ut etiam testatur Sidonius Apollinaris.

Non Pelusiaco satus Canopo
Qui ferrugineos thoros mariti
Et musa canit Inferos superna.

Idem asserit Suidas. Quidam tamen (in quibus est Londinus & Franc. Petrarcha) Florentinum faciunt. Et ex Italia ob bella frequentia in Ægyptum se contulisse.

533. *Aut te Niliaca.*) Masilius, sive Manilius scripsit poëtice *de Astrologia.* Floruit sub Augusto. Dicitur *Bis vates*, ut ipse idem de se *lib.* 1.

Bina mihi positis lucent altaria flammis.

In Ægypto inventa fuit Geometria: in Babylonia Astrologia: unde Horatius in *Odis*:

Nec Babylonios tentaris numeros,

ỳ. 535.

℣. 535. *Quosque sibi æquævos.*) Hactenus Heroi-
:os Græcorum, & Latinorum poëtas in chorum in-
luxit. Nunc Elegiacos producit. Ovidius sui tem-
ˈoris poetas recenset *lib.* 4. *Trist. Eleg.* 10. & *lib.* 2.
Ileg. 1. in fine.

538. *Et qui Smyrnæis.*) Titum Valgium sic lau-
at Tibullus. *lib.* 4.

Est tibi qui possit magnis se accingere rebus
Valgius, æterno propior non alter Homero.

539. *Musa Tibulli.*) Albius Tibullus eques Rom.
:ripsit Elegias. Item & Sext. Aurelius Propertius
mber. Similiter & Gallus, Politianus in his se-
uitur judicium Quintil. *lib. citato. Elegia*, inquit,
ˈræcos quoque provocamus: cujus mihi tersus atque
'egans maxime videtur author Tibullus: sunt qui
'ropertium malint. Ovidius utroque lascivior: sicut
urior Gallus. Apuleius *Apolog.* 1. dicit Lesbiam
ˈatulli, revera vocari Clodiam: & Cynthiam Pro-
ertii, esse Hostiam: & Deliam Tibulli, fuisse Psa-
iam: & Perillam Ticidi poëtæ, vocari Metellam.
ic & Galli Lycoris teste Servio, dicebatur Citheris.
[inc tibi patebit contextus horum Versuum. Pro-
ert. *lib.* 2. *eleg. ult.*

Et modo formosa qui multa Lycoride Gallus
Mortuus inferna vulnera lavit aqua.

ed tamen illa verba: *Clausam se jactat amanti:*
ɔrrupta puto. Quid si legas, *elusam*, ut sit ordo:
ytheris mima lasciva in scenam adfert falsam per-
ˈnam Lycoridis; i. represen͏tat Cytheridem sub per-
ˈna Lycoridis: & jactat se Gallo fuisse elusam ab
ntonio. Sed non admodum huic correctioni ac-
uiesco, tu lector aliam quere. De Galli Cornelii
to vide Virgilium *Ecloga ultima*: & ibi Servium.

548. *At non exigui Calvi.*) C. Licinius Calvus
ɔëta, & orator fuit: Obiit Juvenis: amavit Quin-
iam, cujus præmaturam mortem carmine deflevit,
ide Propert. *lib.* 2. *eleg. ult.*

Hoc etiam docti confessa est pagina Calvi,
Quum caneret misere funera Quintiliæ.

Exiguum vocat Politianus ex Ovid. 2. *Trist.*

Par fuit exigui similisque licentia Calvi.

Ego exiguum, ad corpus refero, non ad carmen, aut librum. Adscribam verba Senecæ ex *lib.* 7. *controverf. Calvus, qui diu cum Cicerone iniquissimam litem de principatu eloquentiæ habuit, usque eo violentus accusator, & concitatus fuit, ut in media actione ejus surgeret Vatinius reus, & exclamaret: Rogo vos judices, num si iste disertus est, ideo, me damnari oportet? Idem postea quum videret à clientibus Catonis rei sui Pollionem Asinium circumventum in Sorite, imponi se supra cippum jussit: Erat enim parvulus statura: propter quod etiam Catullus in hendecasyllabis vocat illum Salluputium.* De hac voce *Salaputium* multa scripsit Jos. Scaliger *in Catalectis Virgil.* & postea in Catull. Mihi videtur in Seneca posse legi, *Salicippium*, propterea quod in cippum insilierit. Romani hodie vocant *Montanbanquos*, circulatores & mercium vilium venditores.

ỹ. 550. *Neque Cous adhæc.*) Philetas ex insula Co amavit puellam Battidem, seu potius Bittidem, sic enim lego apud Ovid.

Nec tantum Coo Bittis amata viro.

Quintil. *lib. citato. Tum & Elegiam vacabit in manus sumere, cujus princeps habetur Callimachus: secundas confessione plurimorum Philetas occupavit.* Hinc Propert. *lib.* 3.

Callimachi manes, & Coi sacra Philetæ,
Me sinite in vestrum, quæso, venire nemus.

Vide Suidam late. Atheneus *lib.* 12. sic ait. *Gracilior erat & Philetas Cous poëta, ita ut propter corporis exilitatem plumbeas pedibus aptaret soleas, ne videlicet à ventis concuteretur.* Obiit (ut idem Athen. *lib.* 9. refert) cura confectus, quod ψευδό-

μενον,

ν, i. sophisticam captionem solvere nequiret. ibi-n apponit Atheneus tale epitaphium.

Me curæ vigiles, hospes, stravêre Philetem,
Sermoque pseudomenos perdidit implicitum.

hoc poëta creditur Virgilius sumsisse illud: *Au-tes fortuna juvat*, quia scripsit Claudianus.

ors juvat audentes, Coi sententia vatis.

. 552. *Nec sine amore jocisque.*) Mimnermus (sic n scribitur semper apud Athen.) fuit Lyrgitiadæ ophonii filius, ut ait Strabo.
rat. *lib.* 1. *epist.* 6.

i Mimnermus uti censet, sine amore, jocisque,
Nil est jucundum, vivas in amore jocisque.

ra vide apud Lambinum in hunc locum Horat. Suidam.

53. *Quid rustica dicam.*) Post Elegiacos, illos Bucolica, vel Eclogas luserunt, decantat, vide-hic Politianus Moschum & Theocritum pro eo-ı sumere. Nam in codice Græco antiquo sub ıine Theocriti Idilia erant etiam & Moschi, & ıis: at nunc jam sunt discreta, & separatur Theo-ıs à Moscho, & Bione. Apponam quæ obser-t Adolphus Mekereus in Moschum & Bionem seorsum editos. Moschus carminis Bucolici scri-: natus est Siracusis in Sicilia: ac post Theocri-temporibus Aristarchi vixit Olymp. 156. quum Ægypto regnaret Ptolem. Philometor. Sunt au-à principio regni Philadelphi, sub quo Theo-ıs vixit, usque ad principium regni Philometo-sub quo Moschus vixit, anni circiter centum. n etiam unus fuit ex tribus scriptoribus carminis olici, natus Smyrnæ, ut Homerus; nam & ipse lesigenes dictus est, creditus è patre Meleta na-, qui fluvius per agrum Smyrneum ac Cumeum ıitur. Quod si epitaphium Bionis Moscho vere uatur, ut à plerisque fit; necesse est Theocritum,

Mos-

Moſchum, & Bionem coætaneos fuiſſe, quia in eodem epitaphio ipſius Theocriti fit mentio: quod ſatis arguit Theocriti non eſſe.

Julius Titius Calphurnius, quamvis Siculus, Latinas ſcripſit Eclogas, quæ adhuc extant. Ordo igitur horum trium verſuum eſt: Quid dicam ut Moſchus Siculus non dedignetur Sicelidas avenas? Et Bion, quum ſit Smyrmeus ex Aſia, non dedignetur avenas externas, i. Siculas. Itemque ut Calpurnius Latino cantu provocet Tityron. i. Eclogas Virgilii.

℣. 558. *Aerios procul in tractus Pindarus.*) Sequuntur jam Lyrici poëtæ. Inter quos primum locum occupat Pindarus. Apponam Latine Græcum epigramma, in quo novem Lyricorum patria, parentes, & dialecti, quibus uſi ſint, continentur.

Primos ſcire novem Lyricos, patriamque, genuſque,
Ac dialecton avens, hæc tibi dicta cape.
Omnibus his Mitylenæus præcellit honore
Alcæus: lingua eſt uſus is Æolica.
Haud alia ſequitur Sappho lexei, patriaque,
Cui mater Cleis, ac pater Eurygiras.
Steſichorus Siculus, genuitque hunc Himera vatem
Euphemi gnatum, Doridis harmoniæ.
Rhegion agnoſcit Italum Ibycon, atque Meſena
Elidemque patrem, Dorica & is pepigit.
Dulcia concinnit bona proles Eetiei,
Parthenii patris Teius Anacreon.
Pindarus ex Thebis prodiit, pater huic Scopelinus,
Sublime inſpirans Dorica muſa melos.
Inde Simonidea, pariter quod Doricus idem
Patrem collaudans, eximium reputa.
Imparis haud virtutis adhuc Kion tibi vatem
Ex Molone ſatum ſuſcipe Bacchilidem.
Alcman & Lydos inter fulgens, Adamantis
Filius, & Spartæ eſt, Doricum & ille canit.

De

his vide late Quintilianum *loco citato*, & Sui-a in eorum nominib. *Aerios procul in tract.* ebis fuit fons, nomine Dirce, unde Pindarus tur *Dircæus olor*, vel *Cygnus Dircæus*. Vide m 2. *lib.* 4. Horat. in qua de operibus Pindari, ejus præstantia multa leges.

7. 559. *Cui nectare blandæ.*) Pausanias in Bœo-: *Pindarum* (inquit) *ætate adhuc juvenem, quum spias per æstum proficisceretur, de via fessum ius occupavit. Eo dormiente apes advolitarunt, in labris ejus favos finxerunt. Res hæc Pindaro principium futuræ in componendis canticis præ-tiæ.* Idem refert Ælianus *lib.* 12. *variæ histor. t. de Mida.* Idem & Philostratus *in iconib.* darus.

62. *Sed Tanagraea.*) Pausanias in *Bœot.* sic: *Co-æ, quæ sola cantica Tanagræ composuit, monu-tum est inter cives illustres. In gymnasio autem ura visitur, in qua Corinna capite gerit coronam, ter victoriam, qua Pindarum Thebis cantu su-verit. Superasse autem mihi videtur linguæ pro-ate, eo quod non lingua Dorica usa est, sicut larus, sed Æolica. Et quod inter mulieres forma præstantissima, si qua ex statua facienda est con-ira.* Ælianus *lib.* 13. *Pindarus poëta quum The-cum Corinna certasset, imperitis auditoribus usus, is est quinquies. Ruditatem vero auditorum im-ans Pindarus ipsam Corinnam perstringere vide-r.*

63. *Irrita sereret figmenta canistro.*) Plutarchus ibello, *Utrum bello, an sapientia Athenienses, nna* (inquit) *Pindarum adhuc juvenem, & au-us utentem eloquentia monuit esse eum artis mu-rudem, quod nullas fabulas scriptis insereret: id proprium poëtæ esset officium: quum elocutio, & æ, ornatusque & cantilena, ac carminis modus um eo adferantur, ut rebus propositis suavitatem*

conci-

concilient. Huic admonitioni Pindarus quum attentas aures daret, carmen scripsit, cujus est initium:

Ismenum ne, an aureis utentem fusis Meliam,
Aut Cadmum, aut Spartharum genus Virûm,
Aut Herculis omnia superantem vim canam?

Quod carmen quum Corinnæ ostendisset: ridens ea dixit. Τῇ χειρὶ δεῖ σπείρειν, ἀλλὰ μὴ ὅλῳ θυλάκῳ, id est, *Manu serere oportet, non toto sacco, vel canistro.* Vide Adag. *Manu serendum.*

℣. 566. *Ille Agathoclea.*) Agathocles (ut disces ex quodam Græco epigrammate quod operibus Pindari præfigitur) in Lyricis, & Musica magister Pindari fuit. Multa scripsit Pindarus (ut disces ex Horatii *oda* quæ incipit, *Pindarum quisquis*, sed nunc quatuor tantum extant certamina, Olympia: Pythia: Nemeæa: Isthmia.

569. *Lunigenam mentita feram.*) Interpres Arati scribit. Nemeæum Leonem à Luna conceptum. Seneca *in Hercu. Furen.*

Sublimes alias Luna concipiat feras.

Vide *Miscell.* Polit. 17.

Tum numina divûm.) Scripsit Paiâna: Encomia: Epitaphia: & Threnos. i. flebiles cantus. Hæc Horatius in illa oda. & Suidas: quæ Lambinus turbat, aut minus advertit.

572. *Frugibus hunc.*) Pausan. in *Bœot. Quum itaque fama per totam Græciam celebraretur, majori gloria Pythias eum evexit, mandans: ut quascunque Delphis Apollini primitias offerrent, æquam ex omnibus portionem Pindaro largirentur.*

574. *Panaque pastores.*) Copiose hoc Philostratus in *icone Panos*. Pindarus *ipse oda* 3. *Pyth.* dicit templum Panos domui suæ proximum fuisse, & à se Pana maxime cultum. Vide ibi interpretem. Hoc etiam in *vita Numæ* narrat Plutarchus. Idem testatur Antipatri *epigra. lib.* 4. *Florilegii.* Plutarchus vero in *lib. de Epicuri sententia*, Non pastores, sed ipsum-

ummet Pana dicit hymnos Pindari decantasse.
ỽ. 576. *Inde senem pueri.*) Hunc puerum vocat idas Theoxenum. vixit Pindarus ann. LXXVI. : ut alii affirmant LXXX. De morte Pindari vide ıler. Maxim. *lib.* 9. *cap.* 12. Plutarchus *in consol. Apoll.* refert, Pindarum vatem Pythiam consuſſe Delphis: Quidnam esset optimum homini-ı? Illamque respondisse: Neque ipsum ignorare: :a quæ de Trophonio, ac Agamede scripserit, essent.
579. *Tacita rapuit Proserpina dextra.*) Pausan. *in ot. Senecta jam ætate in somnis videre visus est istere sibi Persephonem dicentem: hymnum sibi soli his à Pindaro non esse decantatum: sed facturum ıdarum, quum ad eam venisset. Atque adeo ante imum ab eo somno diem vitæ muneribus est per-ctus.* Addit deinde Pausan. Anum quandam mu-:s peritam audisse in somnis Pindarum laudes Per-hones decantantem, quem hymnum ipsa postea psit, & vulgavit.
;80. *Quin etiam hostiles.*) Quum Alexander Ma-ıs Thebas inflammaret, Pindari ædibus jussit parci; ı deinde ejus consanguineis. Hoc idem narrat ı. *lib.* 7. *cap.* 26. Et Arrianus in *Alexand.* Et Plu-:hus *de sera numinis vindicta.* Et Ælianus *lib.* 13. *. hist.* De Thebis & Alexandro.
;85. *Non ego te longo Anacreon.*) Vixit Anacreon ſte Luciano) LXXXV. annos.
586. *Bicolore caput.*) Quia vinosus. Pausan. *in ıicis.* Prope Xantippi statuam Anacreon Teius est itus, qui primus post Sapphoa Lesbiam pleraque e scripsit, amatoria edidit. Statua homini ebrio similis, & cantanti in ebrietate.
;89. *Nam modo Threicii.*) Amavit Smerdim puen Thracium, ut canunt Epigram. Græca *lib.* 3. 4. Leonidas memorat Bathyllum, & Megistam asios Anacreontis. Horat. *in odis.*

Non

Non aliter Samio dicunt arsisse Batyllo
Anacreonta Teium.

Apuleius in Floridis *lib.* 2. *in fine. Verum hæc quidem statua esto cujuspiam puberum, quem Polycrati Tyranno dilectum, Anacreon Teius amicitiæ gratia cantillat.* Sic emendavit hunc locum Pet. Culeios. & addit: *Anacreon Teius Smerdiam, puerum amatum Polycrati tyranno Sami, versibus suis in cælum tulerat: quod non tam amoris, quam amicitiæ gratia faciebat: magisque indolem ingenii ejus, quam corporis formam eximiam prædicabat.* Hæc eadem sentire videtur Ælianus *lib.* 9. *variæ histor.* Ovidius bibacem & amatorem facit.

Quid nisi cum multo Venerem confundere vino
Præcepit Lyrici Teia musa senis?

Et quia pueros, & puellas dilexit, dixit Polit.

ỹ. 588. *Ancipiti stimulans Amathusia cura.*) Adrastea dicitur *Nemesis*, quæ indignationis dea est. Hanc fabulam, seu historiam narrat Maximus Tyrius, sic: *Quum ebrius esset Anacreon, nec pedibus quiret consistere, in Panio foro, in Ionia, nutricem quamdam Cleobulum infantem in ulnis gestantem impulit, simulque conviciis illos est prosecutus. Nutrix Anacreonti maxime irata deum oravit, ut majore laude puerum in posterum celebraret Anacreon, quam convicio exceperat. Quod postea evenisse traditur; Adultum enim infantem, quum omnium formosissimus evasisset, Anacreon multis versibus celebravit.* Hæc ille. Hic Cleobulus, ut auguror, fuit ille decantatissimus Bathillus. Amavit etiam puellam Eurypylem, ut *lib.* 3. *epig. Græc.* tradidit Antipater. De Adrastea vide Strabonem *lib.* 13. De morte Anacreontis Valerii Maximi *lib.* 9. *cap.* 12. *Sicut Anacreonti,* (inquit), *quoque quamvis statum humanæ vitæ modum supergresso, quem uvæ passæ succo tenues, & exiles virium reliquias foventem unius grani pertinacior in aridis faucibus humor absumsit.*

ỹ. 593.

r. 593. *Ipse Lyci nigros oculos Alcæe.*) De Alcæo Cicero. 4. *Tuscul.* *fortis viri in sua republica* *vitus, quæ de juvenum amore scripsit Alcæus?* Fit autem bellum cum Atheniensib. sed infœlicinam abjectis armis aufugit, ut narrat Herodia- *lib.* 5. *circa finem*, & Strabo *lib.* 13. sed idem bo paullo post ita inquit. *Per hæc tempora ci-* r (Mitilenem intelligo) *a compluribus tyrannis* *essa fuit propter intestinas seditiones: unde Alcæi* *nata, quæ Dichostasiastica vocantur.* &c. Horati. 1. *oda* 32.

-Age dic Latinum Barbite carmen:
Lesbio primum modulate civi:
Qui ferox bello, tamen inter arma,
Sive jactatam religarat udo Littore navem:
Liberum, &, Musas veneremque & illi
Semper hærentem puerum canebat:
Et Lycum nigris oculis, nigroque Crine decorum.

llcæus (inquit Fabius) *in parte operis aureo* *'ro merito donatur, qua tyrannos insectatur:* *um etiam moribus confert. In eloquendo quoque* *is, & magnificus, & diligens plurimumque Ho-* *similis: sed in lusus, & amores descendit, ma-* *us tamen aptior.* Horat. *lib.* 2. *Oda* 13.

-Vidimus & Æoliis fidibus querentem
ıppho puellis de popularibus, Et te sonantem
Plenius aureo, Alcæe plectro dura navis.
Dura fugæ mala, dura belli, &c.

'emmam pueri vocat Politianus verrucam. Cice- *lib.* 1. *Natur.* *Nævus in articulo pueri delectat* *eum, at est corporis macula nævus, illi tamen* *lumen videbatur.*

97. *Arma sed Attæ.*) Narrant Suidas, Hero- & Strabo arma detracta Alcæo in templo Pal- Minervæ fuisse suspensa.

'e his Lyricis poëtis sic lusit Horat. *lib.* 4. 8.

Non

Non, si priores Mæonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricæ latent,
Ceæque, & Alcæi minaces,
Stesichorique graves, Camœnæ:
Nec: si quid olim lusit Anacreon,
Delevit ætas: spirat adhuc amor:
Vivuntque commissi calores
Æoliæ fidibus puellæ.

℣. 598. *Sustinet heroi.*) *Stesichorus etiam si Lyricus sit, à Synæsio heroicus vocatur.* Unde Quintil. *loco citato: Stesichorus quam sit ingenio Validus, materiæ quoque ostendunt, maxima bella, & clarissimos canentem duces: & epici carminis onera lyra sustinentem. Ac si tenuisset modum, videtur æmulari proximus Homerum potuisse.* cæt. *Tisias antea nominabatur, sed à chori statione, dictus est Stesichorus.* hæc Suidas: Instituit enim odas per Strophas, Antistrophas, & Epodas decantari. Strophe dicitur, quum per aliquot diversi generis carmina incipitur ductus saltandi à dextra in sinistram partem. Antistrophe per totidem carmina saltantes reducit. Epode autem canebatur, dum saltantes pausam facerent, nec moverentur: & paucioribus versibus constabat. Inde proverbium in indoctos: *Neque tria quidem Stesichori nosti.* Est & aliud proverbium: *Palinodiam canere*: quod ad Helenam spectat. Pausaniæ verba sunt hæc ex Laconic. *Leonymum Crotoniatarum ducem vulnus aiunt in pectore à Locrensibus accepisse. Ex eo quum vehementer laboraret, Delphos opem ab oraculo imploratum venisse: responsum vero tulisse: Si in Leucen insulam profectus esset: Ajacem ei vulneris remedium ostensurum. Quum vero jam curatus revertisset, narrabat se Achillem, una cum Ajacibus Oilei, & Telamonii, & Patroclum, & Antilochum vidisse. Dicebatque sibi mandasse Helenam* (quæ jam Achilli nupserat) *ut Stesichoro apud Himeram nunciaret; oculorum calamitatem ei ob Helenes iram accidisse.*

ſe. *Ex eo factum, ut carmen contrario argumento,*)d *Palinodiam vocant, Steſichorus fecerit.* Huc ıſit Horatius: *Dummodo fias recantatis amica* 'r*obriis.* Suidas, Eum ſomno monitum dicit. Iſo-tes item in *Helenes encomio.* Horat. *Epod.*

Infames Helenes Caſtor offenſus vice,
Fraterque magni Caſtoris, victi prece
Adempta vati reddidere lumina.

De Steſichori Palinodia multa Plato in *Phœdro.* Proclus in *rep. Platonis.*

ṿ. 601. *Quem trux Phalaris.*) Ariſt. 2. *Rhet.* nar- apologum Steſichori contra Phalarin. Sed tamen : tyrannus maximi ſemper fecit Steſichorum: ut epiſtolis Phalaridis intelligitur. Sed eas epiſtolas ıitianus, & alii Luciano adjudicant. *Cujus, &* *labris.* Plin. *lib.* 10. *cap.* 29. narrat Philomelam ore Steſichori infantis concinuiſſe. Hujus rei fit ntio in Græcis epigr. Cur autem dicatur Phi- ıela *Daulias,* diximus in *Emblem.*

ı04. *Sed vocat ad lacrumas.*) Simonidem Leo ·pis filium facit Herodotus, Theoprepis Suidas: fœdus aſpectu: ſcripſit præcipue Threnos, id , lacrumabile carmen, vel Nænias. Unde Horat. *ne relictis muſa procax jocis Ceæ retractes mu-a Næniæ:* & Catull. *Mæſtius lacrymis Simoni-r.* Duo fuere Simonides: alter ex Julide civitate ·æ inſulæ: alter Iambographus, de quo Strabo, Stephanus.

ı05. *Unum Mnemoſyne.*) Simonides primus me- riæ artem invenit: & Mnemoſyne memoria eſt, mater Muſarum appellatur.

ſ07. *Ledæi juvenes.*) Hoc factum narrat Cic. 2. *tor.* Val. Maxi. *lib.* 1. *cap. ult.* Quintil. *lib.* 1. . 2. Martianus Felix. Ammianus Marcellinus *lib.* Sed non poſſum, quamvis propero, quin bel- ı hanc hiſtoriam bello ſermone latiuſcule depin- o. *Sed ut ad rem redeam* (inquit Cicero) *non*

ſum tanto ego ingenio, quanto Themiſtocles fuit, ut oblivionis artem, quam memoriæ malim: gratiamque habeo Simonidi, illi Cœo, quem primum ferunt artem memoriæ protuliſſe. Dicunt enim, quum cœnaret Cranone in Theſſalia Simonides apud Scopam fortunatum hominem, & nobilem, ceciniſſetque id carmen, quod in eum ſcripſiſſet: in quo multa ornandi cauſa, poëtarum more in Caſtorem ſcripta, & Pollucem fuiſſent: nimis illum ſordide Simonidi dixiſſe: ſe dimidium ejus, quod pactum eſſet, ei pro illo carmine daturum: reliquum à ſuis Tyndaridis, quos æque laudaſſet, peteret, ſi ei videretur. Paullo poſt eſſe ferunt nuntiatum Simonidi, ut prodiret: juvenes ſtare ad januam duos quoſdam, qui eum magnopere evocarent: ſurrexiſſe illum: prodiiſſe: vidiſſe neminem. Hoc interim ſpatio conclave illud, ubi epularetur Scopas, concidiſſe: ea ruina ipſum oppreſſum cum ſuis interiiſſe. Quos quum humare vellent ſui, neque poſſent obrutos ullo modo internoſcere, Simonides dicitur, ex eo quod meminiſſet quo eorum loco quiſque recubuiſſet, demonſtrator uniuſcujuſque ſepeliendi fuiſſe.

℣. 607. *Vacuam cui triſtis ad arcam.*) Duas dicitur habuiſſe arcas, alteram Gratiarum, alteram præmiorum, quas quum poſt aliquantum temporis aperuiſſet, gratiarum arculam ſemper inanem offendebat; præmiorum ſemper plenam. Hoc commento ſignificans ſe nolle gratis donare carmina. vide *Adag. Simonidis cantilenæ.* Et Theocriti idylium titulo *Gratiæ.* Et Plutarchum: & Ariſtot. *in Rhetor.* & Xenophontem *in Sympoſ.*

609. *Quique ſui vindex fuit.*) Memoria dignum eſt, quod refert Suidas: *Acragantibus* (inquit) *dux fuit nomine Phœnix, is Simonidis ſepulchrum* (*dum cum Syracuſis bellum gereret*) *nimis inſolenter, atque immiſericorditer diruit, ex cujus lapidibus turrim conſtruxit: quæ turris, ut civitas caperetur, cauſa fuit.*

℣. 610.

ỽ. 610. *Ipsi etiam Lacones.*) Alcman à quibusdam
:atur Alcon, inter quos est Statius, quidam Ly-
m faciunt, & in Lacedæmone vixisse. Hoc in-
t Politian. Servus Agesiclæ fuit: verumtamen
›d esset indole jucunda, docilique manumissus, &
:r poëtas adnumeratus fuit. Lacones porro cele-
ntur à brevitate in dicendo. Unde Adag. *Laco-*
ıus. Pausan. *lib.* 3. *Ad Sabrii dexteram est Alc-*
ıis tumulus: cui in canticis pangendis nihil om-
› Laconica lingua obsuit; & si nihil ea in voci-
appellandis habet suavitatis.

¡13. *Nunc gemit.*) Periit pediculari morbo, hoc
phthiriasi. Plinius. & Plutarchus in *Sulla.*

14. *At te cui numeros Ibyce.*) Rheginus fuit, vi-
vero Sami, quo tempore Chrœsus Sardibus im-
ıvit. Cic. 4. *Tusc.* Maxime vero puerorum fla-
ſe amore Ibycum apparet ex scriptis. Vide Adag.
:*i equus.* Avis pigmæa, est Grus: vide Adag.
i grues. Historiam sic narrat Plutarchus: *Ibycus*
a quidam, quum in latrones incidisset, jamjam occi-
lus grues forte supervolantes, obtestatus est. Ali-
ıto post tempore quum iidem latrones in foro se-
nt, gruesque supervolarent, per jocum inter se
·rabant.

αἱ Ἰβύκυ ἔκδικοι πάρεισιν.

l est: Adsunt Ibyci ultores. Eum sermonem ad-
ıtes in suspicionem rapuerunt, quum præcipue
Ibycus desideraretur. Rogati latrones, respondent
ıanter, atque inconstanter: torquentur: facinus
ıtentur: ac suo ipsorum indicio, quasi sorices,
:runt. In Adagio habes epigramma Græcum
versione de morte Ibyci. Ausonius in *Monosyll.*
ycus ut periit, vindex fuit altivolans grus.
us *lib.* 5. *silvarum in Epiced.*

—— Volucrumque precator
brutus, & tetricis Alcman cantatus Amyclis.

ıs est mendosus: tu lege pro (*obrutus*) (Ibycus.)

ỳ. 618. *Nec vulgare canit.*) Bacchylides Κῶς, ſive Cous fuit. Stephanus *de urbib.* Julidem civitatem ait, in Co inſula ob egregia civium ingenia nobilem fuiſſe. Hinc enim Simonides, & ejus nepos Bacchilides, Eraſiſtatus medicus, Ariſton peripateticus ortum duxere. In hac civitate legem eſſe latam autor eſt Menander: ut ſenes quicunque ſexageſimum ætatis annum exceſſiſſent, mortis certamen inirent. Ut inutilis ſcilicet ætas, & juvenibus adultiſque viris victus neceſſaria ſuppeterent largius. Siten vocatus in Græco epigr. *lib.* I. Iulæas voces pro ſuavibus accepit Lactantius.

619. *Sed enim Lyricis nova.*) De Sappho vide *epiſtolam* Ovid. & lege argumentum in eandem. Multa illinc pete: nos hic aliqua ſuppeditabimus. Quidam ſuſpicantur illam epiſtolam eſſe ductam è Græca Sapphûs. Unde Horat. *Vivuntque commiſſi calores Æoliæ fidibus puellæ.* Quod vero addit Politian.

621. *Pierias legit unguè roſas.*) Credo alluſum ad illa verba, quæ ſunt in Plutarchi *ſympoſ. lib.* 3. *quæſt.* I. *Sane Muſis*, ait, *conſecratam fuiſſe roſeam coronam memini me legere in Sapphûs verſibus, quibus indoctam quandam mulierem alloquitur.*

Te ſimul letum rapiet, jacebis:
Nec ſuo quiſquam celebrabit ore:
Particeps non es quoniam roſarum
Pieriarum.

De his puellis ſic Maximus Tyrius *ſermone* 8. dum Sappho comparat cum Socrate. *Uterque eodem prope ritu, hic quidem marium, illa fœminarum amores coluiſſe videtur. Ambo ſe amore profitentes paſſim pulchrorum omnium ſpeciem capi. Quod Socrati Alcibiades, quod Phædrus, quod Carmides fuit:* Idem *Lesbiæ Girinna, Athis, atque Anactoria erat. Quod item Socrati erant adverſi ſtudii Prodicus, Gorgias, Traſimachus, atque Prothagoras: id ipſi etiam Sapphoni*

ni Gorgô, atque Andromeda extitere. Quas qui- ι modo accusat, modo redarguit. Hæc ille. Horat. upra retulimus. *Sappho de puellis querentem popu- b.* De Phaone latè Ovid. *Seu sic facit herba poten-* : Plin. *lib.* 22. *cap.* 8. de herba *Centum capita. Sed iris contigerit mas, amabiles fieri. Ob hoc & Phao- ι Lesbium dilectum à Sappho.* hæc Plin. *Non illi xilla suos.* Sensus est: Multæ fuerunt doctæ fœ- æ, nulla tamen in poetica Sapphoni comparanda. at Antipatri epigramma *lib. Florileg.* in quo no- ι fœminæ doctæ celebrantur, Politianus decem ıvit: nam per incuriam ex epitheto fecit nomen prium. *Agacle*, Græce est *Telesillam agaclean*, id *Telesillam insignem.* Græcum Epigrama sic Latine ebam:

Ias Helicon hymnis divina voce puellas
Pieriæ in scopulis & Macedon genuit:
'raxillam, Myrò, Anytes os fœminam Homerum,
Prædoctam Sappho, Lesbiadumque decus.
'rinnam, Telesillam insignem, teque Corinna,
Pallados horribilem quæ recinis clupeum.
Tossida blandiloquam, dulci modulamine Myrtin,
Omnes quæ æternos composuere modos.
ltque novem cœlum divina per atria Musas
Continet: has nobis dat quoque terra novem.

)e his puellis vide Politian. *lib.* 3. *epist. ad Cas- 'ram.*

raxilla (teste Athenæo) Sicyonia fuit. vide Adag. *xillæ Adonide stupidior.*

Tossidis extant aliqua epigrammata in *Florilegio.*

Myrtis (teste Plutarcho) Anthedonia fuit.

ınite, hujus extant etiam epig. Græca in *Florileg.*

rinna fuit Rhodia, aut, ut ait Stephanus, Tenia. c scripsit poëma quod indigitavit *Helacaten* tre- is versibus perquam similibus Homericis. Hujus ıra est mentio in *Florig.* meminit & Plinius & Pro- . *lib.* 2.

Et sua quum antiquæ committit scripta Corinnæ,
Carminaque Erinnes non putat æqua suis.

Myro fuit Bizantia, & mater Homeri tragici hanc laudat Atheneus.

Telesilla Argiva fuit, vocatur hîc ferox, quia bellatrix fuit, ut refert Plutarch. *de virtutib. mulierum.* & Pausan. *lib.* 2.

Corinna, cecinit Palladis Ægida. statua ejus visebatur coronam habens propter victoriam, quam de Pindaro est lucrata. verba Pausaniæ de Corinna, vide suprà, in Pindaro. *pag.* 102.

℣. 637. *Illam etiam decimo.*) De Sappho sunt multa epigrammata Græca, in illis nuncupatur Decima musa. Ausonius:

Lesbia Pieriis Sappho soror addita Musis.

Dicitur Nona inter Lyricos. Decima inter Musas.

640. *Hinc Venusina favos.*) Horatius in odis imitatus est Lyricos Græcos, & præcipue Sappho. Ipse Horatius sese api Matinæ comparat. 4. *carm.*

Ego apis Matinæ more modoque grata carpentis
Thyma per laborem plurimum, circa nemus
Uvidique Tyburis ripas operosa parvus carmina fingo.

Sensus horum carminum est : Horatius princeps Lyricorum est apud Latinos, qui more apis Matinæ. i. Venusinæ favos colligit: sed eadem hæc apis acu ferit cruento. i. satyras composuit: Hunc secuti sunt Aquinas Juvenalis, & Persius: cum quibus non certent, qui iambos, i. maledicum carmen scripsere, Archilochus, Hipponax, Batius, Bibaculus.

642. *Aruncæ in vepribus.*) Lucillius primus fuit Satyrarum scriptor, hunc secutus est Horatius, & cæteri. Juvenal.

Cur tamen hoc libeat potius decurrere campo
Per quem magnus equos Aruncæ flexit alumnus.

Archilochus Parius fuit, maledicus poëta: unde in maledicos extant Adag. *Archilochum teris*; & *Archilochi melos*. Tritum est illud de Licambe socero.

De

cujus morte sic Suidas, & Plutarchus de sera dicta: Calondas miles, cognomine Corax, quum ollinis templum intraret de suis rebus consultu-, his verbis à Pythia repulsus fuit.

Μουσάων θεράποντα κατέκτανες ἔξιθι νηοῦ.

Templo exi, famulum Musarum namque necasti.

Tunc Calondas belli fortunam cœpit in medium rre: dicens,

Ἀλλὰ καθαρὸς, εἰμι, ἄναξ, ἐκ χειρῶν γὰρ νόμῳ ἔκτεινα,

id est,

purus & insons sum, ô Rex, jure & lege belli idi. Seque quodammodo incusabat, quod non ius occubuisset. Quibus verbis commotus Apollo it illum ad Tænaron ire, ubi erat Tettigis sepulm, ut manes placaret filii Telesiclæ. Archilochus lesiclæ filius fuit, & Tettix, id est, cicada, vocaur. Calondas porro Corax, i. corvus cognominaur. Unde illum Politianus nigrum vocat.

V. 649. *Nec ferus Hipponax.*) Sumta hæc sunt ex nio. *Deinde* (inquit *lib.* 36.) *nepos Anthernus us: cujus filii Bupalus, & Antermus clarissimi in scientia fuere Hipponactis poëtæ ætate*: & infrà: *ponacti nobilis fœditas vultus erat: quamobrem ginem ejus lascivia jocorum ii proposuêre ridenn circulis. Quod Hipponax indignatus, amaritu-em carminum distrinxit in tantum, ut credatur alibus ad laqueum eos compulisse.* Quod falsum est. ec Plin. sed pro *Anthermus*, lege *Athenis*, ex da in voce, *Hipponax.* Vidit hoc etiam Alciatus *Parerg.* Fuit autem filius Pythei & Protidis, Ephe-s, scripsit contra illos sculptores Scazonte carmine, est, claudo, unde Ovidius in *Ibin:*

Utque parum stabili qui carmine læsit Athenin.

orat. *Nec acer hostis Bupali.* Vide Adag. *Hipposeum præconium.*

651. *Nec Batius.*) Dubitabam aliquando quisnam et hic *Batius*, donec adverti legendum Battus. ex. 4. *I. Eleg.* 10.

Ponticus heroo; Battus quoque clarus iambis.
Spinisque Bibaculus.

M. Furius cognomento Bibaculus, iambographus fuit, & Cremonensis, ex Quintil. & Macrobio, qui dicit aliquot carmina Virgilium ab hoc sumsisse.

ỿ. 652. *Multi Bacche tuo proculcavere coturno.*) Sumta hæc sunt ex Plutarchi libello: *utrum Athenienses bello, an sapientia.* cæt. *Quæ omnia* (inquit) *cernens Lacon ille non inepte diceret: Graviter peccare Athenienses, res serias in ludicrum impendentes: hoc est, magnarum classium, & exercituum commeatum, atque sumtus in theatrum prodigentes. Si enim rationes subducantur, quanti constiterint singulæ Atheniensibus fabulæ: apparebit eos in Bacchas, Phœnissas, Oedipos, Antigonam, Medeæque, & Electræ mala plus fecisse sumtuum, quam in bella pro imperio, & libertate contra Barbaros gesta.* Hæc ille. Platonius in Aristophanis *prolegom.* testatur Athenienses olim in Choreutis magnos profudisse sumtus. Unde Ovid.

Præmiaque antiqui magna tulere chori.

Orestis furiis nihil est magis tritum. Atrei, & Thyestis fratrum epulas nullus est, qui non legerit. Telephus Achillis hasta percussus, atque ipsius hastæ rubigine sanatus non ignoratur. Meleager Œnei & Altheæ filius fatali torre combusto interiit, fabulam narrat late Ovid. 8. *Metam.* Alcmæon Amphiarai, & Eryphiles filius matrem occidit, paterni funeris vindex fuit, ob quod factum furiis est correptus.

660. *Olidum ob hyrcum.*) Alludit ad Horatianum carmen *in Arte.*

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.

Marathonium prœlium gestum fuit ab Atheniensibus contra ingentes Darii copias duce Miltiade. Barbarorum occubuere sex millia trecenta: Atheniensium vero centum nonaginta duo. Hæc late Herodot. *lib.* 6. Xerxis exercitum numerosissimum, aut potius sine numero, fudit Themistocles Atheniensium dux. Latissime Herodot. *lib.* 7.

ỿ. 663.

663. *Tarda refugum carina.*) Allusit ad illud Julis: quum de eodem Xerxe loquitur *satur.* 10.
'd qualis rediit? nempe una nave cruentis
uctibus, ac tarda per densa cadavera prora.
i4. *Autorem perhibent Thespin.*) id est, Thespis us fuit tragœdiarum inventor. Horat. *in Arte.*
notum tragicæ genus invenisse Camænæ
:citur, & plaustris vexisse poemata Thespis.
;enes Laertius in vita Solonis: *Thespin Solon ædias agere ac docere prohibuit, inutiles eas fal-entiam vocans.* Et Plutarchus in Solone: *Eo ore, quum Thespis jam Tragœdiam proferret, : res novitate sua animos civium alliceret, non-tamen ad certamina pervenisset; Solon homo au-li, discendique natura studiosus, quique senectam ocio, & ludicris rebus, atque adeo compara-bus jam, & musica transigeret: spectavit Thespin ı (qui mos antiquis fuit) personam agentem. o spectaculo compellavit hominem, ac sciscita-st, quur eum non puderet sic coram tanta mul-ine mentiri? Qui quum respondisset: Nihil mali quum hæc per ludum animi causa & ageren-& dicerentur: Solon terram graviter scipione itiens. Cito* (inquit) *fiet, ut si hunc ludum lu-ıs, & honore afficiamus, in tabulis & contracti-inveniamus.*
:Ichylus Atheniensis fuit. Emphorionis filius, fra-Cynegiri, illius qui in Marathonio bello æter-meruit nomen. Hunc narrat Plutarchus *in vita onis* relictis Athenis in Siciliam secessisse iratum udore affectum, eo quod à Sophocle adole-:e victus fuerit in Tragœdiæ concertatione. Ejus :em sic narrat Valer. Max. *lib.* 9. *cap.* 12. *Æs-: vero poëtæ excessus, quemadmodum non volun-ıs, sic propter novitatem casus referendus est. In ia mœnibus urbis, in qua morabatur egressus :o in loco resedit: Super quem aquila testudinem*

ferens

ferens elusa splendore capitis (erat enim capillis vacuum) perinde, atque lapidi eam illisit, ut fractæ carne vesceretur. Eoque ictu origo & principium fortioris tragœdiæ extinctum est. Vide Suidam.

ỿ. 668. *Quemque senem meritæ.*) *Sophocles* (inquit Valer. Max. *eodem loco*) *ultimæ jam senectutis, quum in certamine tragœdiam dixisset, ancipiti sententiarum eventu diu sollicitus, aliquando tamen una sententia victor causam mortis gaudium habuit.* Idem asserit Plinius *lib.* 7. Lucianus aliter hæc in *Macrobiis.* Ait enim acino uvæ passæ suffocatum: quod alii Anacreonti tribuunt. Agell. *lib.* 3. *cap.* 15. enumerat aliquos, qui insperato gaudio animam expirasse traduntur: inter quos Philippidem poëtam comicum ob acceptum de victoria comœdiæ nuncium.

669. *Quemque tegit.*) Euripidem intellige. Valer. Max. *eodem loco: Sed atrocius aliquanto Euripides finitus est: ab Archelai enim regis cœna in Macedonia domum hospitalem repetens canum morsibus laniatus obiit.* Late, & pulchre hæc narrat Agellius, *lib.* 15. *cap.* 20.

670. *Invasere locum Plias.*) Enumerantur alii septem Tragici, qui dicuntur *Septem Pleiades*; horum meminit Suidas in voce *Sophocles junior.* & in voce, *Homerus Tragicus*, & in voce, *Philiscus*, & voce, *Lycophron Calcidensis.* Meminit & Tzetzes Lycophronis interpres. Sed Politianus Hephestionis verba subnotavit. *Tempore* (inquit ille) *Ptolemæi Philadelphi floruerunt Homerus, Sositheus, Lycophron, Alexander, Anantiades, Sosiphanes, Philiscus. Addit interpres Lycophronis: Et quemadmodum inter Pleiadas una est obscurior; sic Lycophron obscurissimus, & tenebrosus est. unde dixit* Papin. Statius: *tenebrasque Lycophronis atri.*

673. *Ni Latium Varius.*) Quintil. *lib.* 10. *Jam Varii Thyestes cuilibet Græcorum comparari potest.* Vide

Cornel. Tacitum de *Oratorib.* Horatius in odis: *eris Vario fortis, & hostium victor.* & in Serm. *epos acer, ut nemo, Varius ducit.* Thyestem Acron ab Horatio significari, quum dixit de): *Et sævam Pelopis domum.*

674. *Atque suum jactet Corduba.*) Senecæ traæ, quæ circumferuntur non omnes à Seneca as sentit Lipsius, cui accedo. *Hercules furens* probatur, de qua Sidonius sic meminit. *Orchestram quatit alter Euripidis.*

5. *Ecce & grandiloquo.*) De Accio, & Pacuvide pulchrum apud Agellium *lib.* 13. *cap.* 2. til. *lib.* 10. *cap.* 1. *Tragœdiæ scriptores Accius, Pacuvius clarissimi gravitate sententiarum, ver- ı pondere & autoritate personarum.* cæt.

8. *Nitidumque ostentat musa Secundum.*) De)onio Secundo sic Quintil. *loco citato. Eorum viderim longe princeps Pomponius Secundus: senes parum Tragicum putabant, eruditione, ac præstare consitebantur.* Plura Pet. Crinitus *de cap.* 59.

9. *Adde & mordaci.*) Post Tragicos, enume- omicos. Fuit autem apud Græcos duplex coa: vetus, & nova. Priscæ comœdiæ plures autores, sed Aristophanes, Eupolis, Cratinus pui enumerantur. Eupolis igitur (ut refert)phanis interpres in *prolegomen.* & ex Platone anus *cap.* 10. *Miscell.*) quum publice AlcibiaCliniæ filium in comœdia, quam Baptas inscri- , carpsisset: Ab ipso Alcibiade e quodam navi- ı mare projectus est.

). *Fabula mendax.*) Hoc dicit Politianus proverba Ciceronis ad Atticum *lib.* 6. *epist.* 1. (inquit) *non dixit Eupolim ab Alcibiade navi- in Siciliam dejectum esse in mare? Redarguit stenes. Adfert enim quas ille post id tempus fabu-)cuit.* Alius fuit Eupolis, de quo Ovid. in Ibin.

Sit

Sit tibi conjugii nox prima novissima vitæ:
Eupolis hoc periit, & nova nupta modo.

Aristophanis multæ circumferuntur comœdiæ, quarum una inscribitur *Nebulæ* : de qua hic Politian. Cratinus Atheniensis adeo fuit vini appetens, ut prodant nonnulli, illum obiisse, quum e pleno vase vinum effundi videret. vixit ann. XCVII. ut ait Lucianus. Horum poëtarum meminit Horat.

Eupolis, atque Cratinus, Aristophanesque poëtæ
Atque alii, quorum comœdia prisca virorum est.

℣. 684. *Adde novos etiam.*) Novæ comœdiæ princeps fuit Menander Atheniensis. Hunc laudat Quintil. Scripsit CV. fabulas, ex quibus tantum octo vicit. Hic quum favore populi a Philemone vinceretur: forte illi factus obviam dixit: *Quæso Philemon, bona venia, dic mihi: Non erubescis, quum me vincis?* De cujus morte Pet. Crinitus *lib.* 4. *cap.* 7. & Agellius *lib.* 17. *cap.* 4.

690. *Claudicat hic Latium.*) Dicturus de Comicis Latinis refert hæc verba Quintiliani *lib. citato. In comœdia maximè claudicamus: licet & Varro dicat: Musas, Ælii Stolonis sententia, Plautino sermone loquuturas, si Latine loqui vellent: licet Cæcilium veteres laudibus ferant: licet Terentii scripta ad Scipionem Africanum referantur: quæ tamen sunt in hoc genere elegantissima: & plus adhuc habitura gratiæ si intra versus trimetros stetissent. Vix levem consequimur umbram: adeo ut mihi sermo ipse Romanus non recipere videatur illam solis concessam Atticis venerem: quando eam, ne Græci quidem in alio genere linguæ obtinuerunt. Togatis excellit Afranius,* cæt. Volcatii Sedigiti Iambi circumferantur de judicio comicorum, inepti sane, ut aliqui judicant. Apud Athenæum innumeri comici numerantur. *Opicos* vocat Politianus *lib.* 2. *Epist.* eos qui Græce nesciant, etiam si Latine non sint indocti. Juvenal.

Et

Et divina Opici rodebant carmina mures.

.699. *Mimos sed enim scripsere.*) Accedunt Mi-
d comœdiam: Nam sunt poëmata festiva, & jo-
, in quibus maxime valuit Sophron: quem nun-
ı Plato è manibus demittebat. Fuit obscurus:
ıs *lib.* 5. *silv. Sophronaque implicitum.* lego igi-
n Politia. *Implicitus Sophron, risuque Phil.*
ɔo. *Risuque Philistio.*) Hic Sardianus fuit, risu
iit, ut ait Suidas. Martial. *lib.* 2. *Mimos ridiculi*
stionis. Vide Epigram. Græca in Philistionem.
ɔı. *Hinc Laberj lascivia, multaque Publj,*) pro
rii, & Publii. Publius, & Laberius apud La-
Mimographi fuerunt: late de his agit Macrob.
. *cap.* 7. & Agellius *lib.* 17. *cap.* 14. & *lib.* 16.
7. Ovid. 2. *Trist.*

uid si scripsissem Mimos Oscena jocantes
Qui semper juncti crimen amoris habent?
quibus assidue cultus procedit adulter,
Verbaque dat stulto candida nupta viro..

ɔ3. *Pars quoque Sotadicos.*) Sotades Cretensis
onites multa scripsit, variisque versuum generi-
est usus. Duo fuere Sotades, de quibus late
næus, Strabo, & Agellius *lib.* 7. *cap.* 9.
d quia plurimum utebatur Ionico à majore, ut
Terentianus, versus ille Sotadicus dictus est.
nen est commatis incisum teste Fabio. Et quia
carmina retro currunt, cinœdica dicuntur. Mar-
Neque retro lego Sotadem cinœdum, & Auso-
Sotadicon cinœdum Ionicum utrinque, hujus-
i exemplum citat Quintil. *lib.* 9.

Messem area, classes mare, cœlum tenet astra:
stra tenet cœlum, mare classes, area messem.

t & Diomedes hoc, quod in hexametrum re-
it.

Pansa optime divos cole, si vis bonus esse.

egi ego animi gratia multa quæ variis modis re-
unt, nec tamen Sotadica ideo dicentur. Virgil.

Musa

Musa mihi causas memora, quo numine læso.
Læso numine quo memora causas mihi Musa.

Aliter, illud Philelphi recurrit in Pium Pontificem; laudans, & vituperans.

Laus tua, non tua fraus, virtus, non copia rerum
Scandere te fecit hoc decus eximium.

Et nos hoc imitantes sic lusimus.

Sollicitudinibus laxemus pectora, amici,
Pellamus curas, est procul invidulus.

Multa leges hujusmodi *lib. 6. Epigram. Græcorum*, unum accipe quod nos eodem sensu, & artificio vertimus,

Πηνελόπη τόδε σοὶ φᾶρος, καὶ χλαῖναν Ὀδυσσεὺς
Ἤνεγκεν, δολιχὴν ἐξανύσας ἀτραπόν.

Penelope, tibi has vestes tramittit Ulysses,
Distamus quoniam longo in exilio.

Quædam recurrunt non per dictiones, sed per literas, ut si invertas, *Roma*, *Amor*: tale est illud:

Signa te signa, temere me tangis, et angis,
Roma tibi subito motibus ibit amor.

℣. 704. *Pars tenues sparsere sales.*) Epigrammatum scriptores Latinos refert: quorum princeps est Martialis: deinde Ausonius Gallus, qui consul Romanus fuit. Hortensius orator secundas post Ciceronem tenuit: sed Plinius junior illum etiam inter Poëtas enumerat, & *Ovid. 2. Trist.*

Nec minus Hortensi, neque sunt minus improba Servj
Carmina, quis dubitet nomina tanta sequi.

De Valer. Catone poëta, & Grammatico multa Sueton. in libello *de claris Grammat.* ibi leguntur hi versiculi:

Cato Grammaticus Latina Siren,
Qui solus legit, ac fecit poetas.

Cornificius, & Cato hic, de quo agimus, scripserunt amatoria, referuntur ab Ovid. 2. *Trist. ele.* I.

Et leve Cornifici, parque Catonis opus:

Tici-

læ poetæ meminit Sueton. *loco citato*; & Ovi-*loco citato*: Item Apuleius *Apolog.* I. *Eadem* uit) *opera accusent C. Catullum, qui Lesbiam Clodia nominavit: & Ticidam similiter, quod Metella erat, Perillam scripserit.*

710. *Et Cinnam obscurum.*) Hic Cinna errore li fuit interfectus, quum cognominis esset uni iterfectoribus Cæsaris. Scripsit obscurum poë-'*myrna* vocatum: quod poëma Crassitius Gram-us, non sine multa laude, enarravit. Ca-:

tyrna mei Cinnæ nonam post denique messem
Quam cœpta est, nonamque edita post hyemem.

Ansere Poëta sic Ovidius.

ina quoque his comes est: Cinnaque procacior Anser.

r Antonii partes secutus fuit, & ab eo partem Falerni accepit: unde Cicero, *E Falerno pel-r Anseres.* Propert.

'c minor his animis, aut se minor ore canorus
Anseris indocto carmine cessit olor.

referendum illud Virgilii *in Bucolicis.*

m neque adhuc Vario videor, neque dicere Cinna
gna: sed argutos inter strepere Anser olores.

I. *Panmetron hic cecinit.*) Sensus est: Multos reo, quorum alii diversi generis epigrammata osuerunt: id enim significat Πανμετρον, apud os. Diogen. Laertius, ut ipse testatur in vitis sophorum, scripsit Πανμετρον. Alii Sillos de-. Sunt autem Silli Poemata amarulenta, & con-plena, a verbo Σιλλαινειν, carpere & convi-. Sillos Timonis citat Diog. Laërtius in Thi-Vide Agellium *lib.* 3. *cap.* 17.

2. *Loca miscellanea Menippeæ peræ.*) Dixit, sparsim multa tractaverit argumenta. Varro omento Menippeus: sic enim vocatur ab Athe-Menippus, quem sæpissime Lucianus exagitat, cus fuit: & ideo pera illi tribuitur, & baculus.

Ejus

Ejus libros salibus esse refertos testatur Laërtius in ejus vita. Vide Agellium *lib.* 3. *c.* 17.

℣. 713. *Satyros alius nudavit agrestes.*) Hoc non dixit propter satyricos scriptores: sed alludit ad illa Horatii verba in Arte poët. *Mox etiam agrestes Satyros nudavit.* Ubi loquitur Horatius de Episodiis in Tragediis, quod Hispane dicimus *Entremeses.* Ut docuimus in scholiis ad Artem poëticam.

720. *Nec tamen Aligerum.*) Dantem Aligerium, & Petrarcham populares egregiis poëtis adjungit. Petrarcha præter alia scripsit *Amoris triumphum:* sed, quia jam alius scripserat *Cupidinis triumphum* (ut ait Lactant. *lib.* 1. *cap.* 11.) dixit Politianus: *Repetit.* Joannes Bocatius multa scripsit prorsa oratione quæ extant: sed nihilominus poëtis annumeratur, quia multa carmina composuit, & ingenio poëtico fuit, ut ipse de se testatur *lib.* 15. *Genealog. Deor.*

724. *Et qui bis quinis centum.*) Id est centum *Novellas*, scripsit, qui liber Inscribitur: *Il Decamerone.*

725. *Obscuri qui semina.*) Inscribitur hic liber, *Labyrintho de Amore.*

SCHOLIA IN RUSTICUM.

QUoniam hujus Silvæ enarratio à Virgilio potissimum, & ab Hesiodo pendet, ab enarratoribus Georgicon petenda sunt quæ hic poterant negotium facessere. Ne igitur actum agamus, tantùm difficiliores locos percurramus.

℣. 79. *Scilicet, his Babylon.*) Babylonem non condidit Semiramis, ut omnes scriptores proclamant, sed Nemroth, ut ait D. Augustinus *lib.* 16. *de civitate Dei*, *cap.* 4. Semiramis autem coctilibus muris

ıxit urbem, & Tigrim atque Euphratem ſiccis re-
›nibus intulit, inde urbem ædificaſſe dicitur.
℣. 79. *Nabatheaque.*) Nabath, pars eſt Arabiæ,
ta à Nabaioth filio Iſmaëlis: omnes autem illi
nt paſtores, ut patet ex ſacris literis.
30. *Hic Mopſopio.*) Athenienſes dicebantur Αὐ-
,θωνες, id eſt, ejuſdem terræ non aliunde tra-
ıtes originem, unde credibile eſt in principio
ſe paſtores, qui Athenas cæperunt colere, ab
igitur fuerunt electi milites qui pugnam Mara-
:am vicerunt. Achemænia pars eſt Perſidis.
12. *Romula tellus.*) Livius abunde. *lib.* 1. quomodo
uerit originem à paſtoribus Roma, narrat.
[17. *Daulias & Getici.*) Hirundinem ſignificat,
e fuit ex Daulide Pandionis filia, hac veniente,
incipit.
'27. *Nec pictas lugubre.*) Plin. *lib.* 18. *cap.* 12.
hæ: faba Pythagorica ſententia damnata: ut alii
lidere quoniam mortuorum animæ ſunt in ea. Qua
cauſa parentando utique aſſumitur. Varro etiam
læc Flaminem ea non veſci tradit, & quoniam in
e ejus literæ lugubres reperiantur. Hec Plinius.
54. *Enſifer Orion.*) Orionis fabulam habes apud
dium *in Faſt.* hc autem capitur pro ſigno cæ-
quo ex oriente, maximæ conciantur tempeſta-
Arcturus, id eſt, cauda urſæ, eſt aliud ſidus
a polum. *Pallantias*, id eſt, Aurora.
80. *Vecta Meduſæo Tithonia.*) Tithonia quo ſic
tur Aurora, eò quod uxor fuerit Tithonis, qui
er fuit Priami, habet autem Aurora Pegaſum
um (ut ait Tzetzes in Lycophronem) quem pe-
à Jove poſt occaſum Bellerophontis.
83. *Idalio Pudibunda.*) Declarat hoc Politianus
Miſcel. cap. undecimo.
10. *Auricomæ jubare exorto.*) Heſiodus in Theo-
ia Jovis & Themidis filias facit Horas Irenen,
en, Eunomiam: alii ut refert Hyginus decem

posuere horas *Irene*, id est, pax. *Dice*. i. justitia. *Eunomia*. i. bene pascere.

ỿ. 292. *Si non Tænariis*.) Imitatio est Propertiana *lib*. 3. *eleg*. 2.

Quod non Tænariis domus est mihi fulta columnis.

Laconicum marmor viride erat, unde Statius in *Sil. Hic dura Laconum saxa virent*. Et Tenarus Laconiæ promontorium est, marmore laudatissimo abundans. Tibullus.

Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis,
Tænare, sive tuis, sive, Caryste, tuis.

294. *Asaroticum*.) Pavimentum dicitur illud quod verri non debeat, propterea quòd picturæ arte elaboratum sit, de quo plura Plin. *lib*. 36. *cap*. 25. De *Mauritaniæ mensis*, vide eundem Plin. *lib*. 13. *cap*. 15. de Myrone Plin.

298. *Aut bis in Herculea*.) Julius Pollux cujus verba vertit Bayfius in libello *de re vestiaria*, *Tirii* (inquit) *ferunt Herculem amore Nymphæ indigenæ, quæ Tyrus vocabatur, captum fuisse. Sectabatur autem Herculem canis, ut erat mos antiquus. Canis igitur Herculeus purpuram per scopulum adrepentem conspicatus, ipsius prominentem carunculam mordicus arripuit, & pro cibo usus est, cruorque labra canis colore phœniceo infecit. Ut verò rediit heros ad puellam, ipsa conspicata canis labra insueto colore infecta, negavit sibi quicquam posthac cum illo fore, nisi vestem canis labris speciosiorem afferret. Sic itaque Hercules concha illa inventa, cruorem collegit, munusque puellæ attulit, primus inventor, ut Tyrii perhibent, phœniceæ infecturæ*. Vide Plin. *lib*. 9. per multa capita.

302. *Quæ Pergamos*.) Attalus rex fuit Pergami preciosa supellectili ditissimus, quam post mortem donavit populo Romano. Attalicum textum *Hispanè Brocado* Memphis, Tyros, & Babylon in tincturis, purpura, & telis laudantur.

ỿ. 324.

. 324. *Silenique senes subdivallesque Ithyph.*) Si-
s nutritor fuit Bacchi, unde comites Bacchi vo-
ntur Ithyphalli qui in sacris Bacchi Phallum fe-
nt induti muliebri indumento. Vide adagi. *Ci-
us Bacchus Subdivales* i. nudi, aut qui sub diu
nt, nam, ut dicimus sub Dio, ita quoque sub
, unde Subdialis, vel subdivalis. *Pales* pasto-
dea.

5. *Et quo pastore Pheræi.*) Quomodo Apollo
s fuerit in pastorem habes. 2. *Metam.* Phere
n in Achaia est juxta Messenem.

6. *Mimallon.*) i. Baccha, nam Mimallonides
antur Bacchæ ab imitando, allusit autem ad
culum Ovidii,

ce Mimalonides sparsis per terga capillis.

1. *Quidque silens moveat.*) Vide Polit. in *Mis-
ap.* 100. quamvis mihi aliud videtur Luna si-
aliud tacita.

6. *Clangunt Naupliadæ.*) Nauplius Palamedis
fuit. Grues autem dicuntur Palamedis aves.
ialis.

rbabis versus, nec litera tota volabit.
Jnam perdideris si Palamedis avem.

MANTONEM SILVAM SCHOLIA.

Ontinet hæc Silva vaticinium, quod Manto ce-
cinit in Virgilii natali. Recensentur ordine om-
irgilii poëmata.

1. *Est Dea quæ.*) Nemesis Latinum nomen
abet, sed vertentes tamen dicimus, Indigna-
, à verbo *Nemesân*, id est indignari. Ari-
s *lib.* 2. ad *Theodectem* multa de ea disputat.
describit indignationem. Indignari est dolere,

quòd alicui prosperа indignè contingant. Vide adagium: *Adrastia Nemesis.* & Pausan. *in Attic.*

℣. 31. *Namque Siracosiis.*) Legitur hic versiculus bifariam, alia namque exemplaria legunt: *Quum vix assurgat*, alia verò *quamvis assurgat.* Politianus priorem lectionem probat in *Nutric.*

Virgilius, cui rure sacro, cui gramine pastor
Ascræus, Siculusque simul cessere volentes.

36. *Post Geticam superest chelyn.*) Sensus est: Quis mihi tribuat post Orphei lyram, etiam Sirenas cantu possem antè ire, dignè Maronem ut queam celebrare.

41. *Sic frondifera lignator in Ida.*) Pulchra similitudo ex Theocrito sumpta, sic latine sonat:

Arboribus densam veniens lignator in Idan
Unde opus incipiat dubitat, præsentia turbant.

56. *Dant Pandionias.*) Hoc est Philomelas, nam hæc fuit Pandionis filia. Vide Ovid. comparatur poëtis philomela propter cantus dulcedinem.

59. *Manto quæ juvenem filio.*) Manto filia fuit Tiresiæ vatis Thebani, quæ Ocnum peperit, qui Mantuam constituit à nomine matris. Virg. *Æneid.* 10.

Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris.
Fatidicæ Mantus, & Tusci filius amnis:
Qui muros, matrisque dedit tibi Mantua nomen.

73. *Aut mea qui Tyr.*) Manto, ut diximus, Thebana erat, porrò Thebani à Tyriis trahebant originem propter Cadmum. Amphion verò Thebanus cantu lyræ muros Thebanos construxit.

79. *Laurumque habitura secundam.*) Ascra patria Hesiodi, Arethusa fons in Siracusiis patria Theocriti, Smyrna Homeri. Sic autem sunt hæc verba distinguenda. Horreat tuos ortus tota Græcia, & Ascra habitura secundam laurum: Nam Maro primam tenet in Georgicis scribendis: sed Arethusa, & Smyrna suis colonis. i. Theocrito, & Homero metuant, nam cum illis de principatu certabit Maro.

℣. 100.

. 100. *Tuscus eques.*) Moecenas hic est, qui tan-
n mollis notabatur, quia discinctus viveret. Id-
volunt sensisse Horatium in Satyris:

Malchinus tunicis dimissis ambulat.

[10. *Jamque Phalantei, resonant pineta Galesi.*) Ga-
fluvius est Calabriæ propè Tarentum, sed de
nto, & Phalanto non ignobilis refertur historia.
ntum, (inquit Pausanias *in Phocicis*) *Lacedæ-
orum coloni sunt deducti. Princeps coloniæ Pha-
us fuit Spartanus. Misso autem in coloniam Pha-
responsum est Oraculo Delphico: Tum demum
urum eum regione, & civitate, cum pluvias sen-
in æthra, i. aëre splendido & cœlo sudo. Cum
e non privatim ipse oraculum consideraret, neque
interpretum aliquo communicaret: confestim na-
s in Italiam contendit. Sed quia devictis bar-
, neque oppidum expugnabat ullum, neque re-
potiebatur: recordatus est oraculi, & ea res-
a esse à Deo existimavit, quæ evenire non pos-
Nunquam enim fore, ut sudo, & sereno cœlo
iæ deciderent. Sic itaque quum esset quasi de-
ito animo, uxor (secuta enim erat domo) tum
amicè eum tractavit, tum ingenua reclinato ma-
capite, pediculos inquisivit. Ibi flevit mulier, cum
ret res ex mariti sententia non procedere. Quia
largius effundebat lacrimas, & Phalanti caput
abat, intellexit oraculum (mulieri enim Æthræ
en erat) atque ita nocte in sequenti Tarentum ce-
Urbem Barbarorum opulentissimam.*

21. *Sed majora vocant.*) Videtur hic Politianus
r intelligere versiculum illum,

Jam redit & virgo,

vulgo solet intelligi. Sumsit vero hanc interpre-
nem ab Eusebio de vita Constantini, de qua nos
choliis ad Bucolica Virgil. latius.

85. *Aspera Cinyphiæ.*) Cinyps seu Cinyphis flu-

vius eſt in Africa ut ait Pomponius: abundat hircis, quare Ovidius *in Ibin* dixit:

Qui ſimul impuræ matris prolapſus ab alvo,
Cyniphiam fœdo corpore preſſit humum.

℣. 196. *At tu quæ tellus.*) Subobſcurè apoſtrophen facit ad terram Heſiodi, ne moleſte ferat ſubmittere laurus noſtro poëtæ. Aſcra vero Heſiodi patria ſita eſt juxta Heliconem ut in *Ergis* inquit Heſiodus.

Haud Helicone procul miſeranda habitabat in Aſcra.
Qui malus ac gravis eſt, brumaque æſtateque vicus.

202. *Smyrna, Rhodos.*) Vide Gellium *lib.3. cap.11.* unde hæc ſumta ſunt.

201. *Quippe Biannoream.*) Ocnus Mantus filius de quo ſupra diximus, alio nomine dictus eſt *Bianor.* Vide Virg. in *Bucol.*

322. *Qualia nec caſtæ.*) Hoc ſumtum eſt ex Suida, cujus verba ſic Latinè ſonant. *Peplus velum erat Panathenaici templi, quod Athenienſes quarto quoque anno Minervæ offerebant: quo etiam pompam conſtituebant: à Ceramito uſque ad Eleuſinium. Peplum autem vocabant quia laneus erat. Depingebatur ibi Enceladus, quem interfecit Minerva; erat autem unus ex Gigantibus. Quando etiam vincebat Athenienſes peplum ferebant Minervæ, in quo viri ſtrenui depingebantur.* Ariſtote. hoc nomine commentarium ſcripſit, ubi ducum genealogiæ continebantur. Eſt item indumentum muliebre. Ad Athenienſium ritum alluſit Plautus cum dixit:

Nunquam ad civitatem ſenio niſi cum infertur peplum.

325 *Nec vetus immenſum.*) Septem orbis miracula enumerat. Sumſit autem hæc ex Græco epigrammate Antipatri Sidonii, unde etiam Martialis ſuum primum videtur ſumſiſſe. Sic verti Latine:

Mœnia

Mœnia mirabar Babylonis trita quadrigis,
Et juxta Alpheum templaque eburque Jovis:
Pendentesque hortos altè: Phœbique Colossum:
Et decora altarum barbara Pyramidum:
Et molem ingentem Mausoli: Sed tamen altam
Ut vidi Artemidos aëriamque domum.
Cætera sordescunt, nam dempto Phœbus Olympo
Nil quicquam illustrat pulchrius aut melius.

℣. 334. *Namque hæc aut.*) Imitatus est Propertium *lib.* 3. ubi ille sic loquitur *eleg.* 2.

Nam neque Pyramidum sumtus ad sidera ducti,
Nec Jovis Elei cœlum imitata domus,
Nec Mausolei dives fortuna sepulchri,
Mortis ab extrema conditione vacat.
Aut illis flamma, aut imber subducet honores,
Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quæsitum nomen ab ævo
Excidet: ingenio stat sine morte decus.

Neptuni quassa trid.) Neptunus multa sortitur apud æcos epitheta, ex illis est Εννοσιγαιος, id est terræ ıcussor, & Εννοσιχθων, quod idem est.

;35. *Aut telo, Sumane, tuo.*) Plin. *lib.* 2. *cap.* 52. uens de fulminum observatione sic ait: *Romani tantum ex iis servare: diurna attribuentes Jovi: lurna Sumano.* Hæc Plin. Est autem Sumanus m quod Pluto.

;50. *Serta comis triplici.*) Triplici dextra dixit a tres sunt Charites sive Gratiæ, de quibus in *blemat.* diximus. *Juvenalis, & juvenilis.* Idem ; sunt.

;70. *Quis talia cernens Reg. invid.*) Hæc retulit Plauti verba quæ sunt in *Curculione.*

Sibi sua habeant regna reges: sibi divitias divites:
Sibi honores: sibi virtutes: sibi pugnas: sibi prælia.
Dum mihi abstineant invidere, sibi quisque habeat quod suum est.

Tantum hinc procul esto malignum vulg. Ita Horatius *libro tertio carminum.*

Odi profanum vulgus & arceo.

ARGUMENTUM AMBRÆ.

JUpiter cum Æthiopum epulas de more adiisset, cumque Dii Deæque omnes festis conviviis adfuissent alacres, sola Thetis Achillis mortem lugens mœsta erat. Quæ cum ad Jovem querelas suas attulisset: Jupiter eam solari cupiens, promittit fore, ut Achillis gloria nunquam sit intermoritura. Nasciturum namque vatem, qui Achillis virtutes, & facta divino, & immortali carmine prosequeretur. Hic est Homerus, cujus opera omnia percurrit Politianus. Politianus in fontem Ambram Laur. Medicis.

Ut lasciva suo furtim daret oscula Lauro,
Ipsa sibi occultas repperit Ambra vias.

℣. 1. *Spicea si Cereris.*) Tibullus *lib.* 1.

Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat, ante fores.

℣. 53. *Tartaream Pallas galeam.*) Extat adagium *Orci galea.* Sed valde miror quid moverit nostrum Politianum, quid etiam doctissimum Erasmum, & alios ut Αιδῶς Κυνη Plutonis, sive *Orci galea* verterint. Nam nusquam credo legitur Plutonem galeam habuisse, & si habuerit, quis illi surripuerit, aut tradiderit Perseo nemo indicabit. Higynus *in poëtico Astronomico* loquens de Perseo sic ait: *A Mercurio talaria, & petasum accepit, præterea galeam, qua indutus, ex adverso non poterat videri. Itaque Græci* Αιδῶς *dixerunt esse, non ut quidam inscientissimè interpretantur, eum Orci galea usum, quæ res nemini docto potest* probari. Hæc ille. Politianus itaque Tartaream galeam, Plutonis intellexit.

Et

Phorcynida.) Medusa & reliquæ sorores filiæ nt Ph›rci: porrò caput Medusæ scuto infixum us dedit Palladi. Fabulam recenset Erasmus citato.

55. *Claviger in semet.*) De Jano loquitur, de nulta diximus in *Emblem.* Juvenalis *Satyr.* 10.

Atque suos jam dextra computat annos.

veterum numerandi rationem nos late in no- *Paradoxis* explicuimus.

Ad Saturnum lanea compes.) Jupiter per Mul- ım, id est Vulcanum, alligavit Saturnum in ro, ut inquit Ovid. 1. *Metam.* Vide adag. *aneos habent pedes.*

. *Genua Jovis.*) Exprimit gestus antiquæ sup- ionis, hoc autem sumtum est ab Homero *pri- 'iad.* ubi Thetis Jovem orans pro Achille, læva genua: dextra mentum apprehendit. Et Me- pud Euripidem.

l te per mentum hoc supplex obtestor tuum
Atque per genua tua, en humilis fio tibi.

rat hoc Plinius *lib.* 11. *cap.* 45. cùm inquit, *nis genibus quædam & religio inest, observa- gentium. Hæc supplices attingunt: ad hæc ma- endunt: hæc, ut aras, adorant, fortassis quia iis vitalitas. Namque in ipsa genu utriusque com- a, dextra lævaque à priore parte gemina quæ- buccarum inanitas inest: qua per fossa, ceu ju- spiritus fugit.* Et infrà. *Antiquis Græciæ in cando mentum attingere mos erat.* Ex his Pli- erbis intelligitur illud Maronis *Æneid.* 10.

genua amplectens, effatur talia supplex.

. *Non ego vincla tibi.*) Fabulam Homericam imo Iliad. ex scholiis ita verti. *Jupiter ne cepta lo gubernatione, ita efferebatur gloria, & per- ter multa faciebat; ut Neptunus, Juno, Apollo linerva conspirarent, ut eum in vincula conji- :. Cùm audisset Thetis à patre Nereo (erat*

enim

enim vates) *conjurationem hanc in Jovem, ad ipsum festinavit adducens secum simul Ægeona horribilem Diis conjuratis. Erat hic marinus dæmon qui patri Neptuno viribus antestabat. Audiens autem Jupiter quæ Thetis dixerat: Junonem ex eisdem vinculis suspendit, quæ Jovi parabantur: Neptunum autem, & Apollinem edicto jussit ad Laomedontem pro mercede exulare. Thetidi autem promisit se aliquando Achilli filio ingentem donaturum honorem.* Hæc Scholia. In quibus oportet notare verba illa (*erat enim vates*) id pleniorem declarationem eorumque diximus *in Nutric.* de Nereo.

℣. 105. *Anne etiam sobolem.*) Fabulam latè prosecuti sumus in *Scholiis Emblem.*

106. *Aut faciem Titani tuam.*) Titanis Lunam significat, ut Titan Solem.

125. *Siquidem transegit Opuntia.*) Sarpedon Lycius qui in auxilium Trojanorum venit, & Jovis filius erat, ut ait Homerus: interfectus fuit à Patroclo, qui Locrensis erat ex Opunte. eodem Homero teste *Iliad.* 16.

131. *Est etiam cui Memn.*) Memnon Auroræ filius venit in auxilium Trojanis, & cum Achille singulare certamen iniens ab illo est interfectus, ut ait Quintus Calaber. 2. *Paralipo.*

138. *Mutatis pulchram.*) Ex Lycophronis Cassandra hoc sumtum est, quo in loco interpres ait, Achillem apud inferos in insulis beatorum accepisse Medeam uxorem, quæ filia fuit Aetæ, & Idyiæ, regum Colchorum. Porrò Aeta Solis erat filius: Idyia verò Occeani insula est in Ponto Euxino Boristhenis ostio objecta, parva admodum, & quod ibi Achilles situs est, Achillea cognomine, hæc Mela Pomp. dicitur autem Leuce à candore.

146. *Alde, quod & pulchro.*) Hoc etiam est ex Lycoph. ubi Tzetzes ait, quinque habuisse maritos Helenam: Primus fuit Theseus, qui septennem illam

rapuit:

ait : alter Menelaus : tertius Alexander, qui & is: post Alexandri mortem ejus frater Deiphobus ter bellicam virtutem illam dono accepit: quin- Achilles, qui ante Deiphobum insomnis illam uit.

. 148. *Thalamis en sternuit.*) Aristoteles *in pri- de historia animal. c.* 11. loquens de naso sic ait: *nutamentum quoque eadem agitur parte, quod s universi eruptio est, signum augurale, & unum piritum omnium generibus sanctum & sacrum.* n. 33. *sectione, problemate* 7. disputat quare ster- tio pro numine habeatur? respondetque quoniam pite exit, ubi est ratio: aut quia cæteri spiritus nfirmitatibus generantur, hic non item. Idem toteles *eâdem Sect. prob.* 9. longius hæc eadem equitur, dicitque sacrum haberi caput, ideo spi- ab eo procedens sacer item est. vide locum, ophon. *lib.* 3. *Anabaseôn* maximè hoc declarat: verba Latinè recitabo. *Hæc cum dixisset, qui- sternuit. Militesque audientes simili omnes im- Deum adoraverunt. Et Xenophon dixit: Mihi ur, ô viri, quoniam nobis de salute loquentibus servatoris augurium oblatum est, huic Deo sup- idum esse, ut scilicet Soteria consecremus ubi m amicam regionem contigerimus, & cæteris pro facultate rem divinam faciamus.* Jam hinc unde traxerit originem noster mos aperiendi sternuentibus. Sed non qui sternuit, debet aperire, sed audientes quasi bonum augurium entes. Hæc quidem est vera origo. Sed Chri- qui non captamus auguria, retinuimus quidem n, sed non eodem fine, imò bene precantes i sternuerit, ducto principio, ut aiunt, à qua- peste, quæ Romæ grassata est, ubi exhalabant m cum oscitatione, aut sternutamento; unde à o Pontifice concessa est illis quædam gratia, ernutantibus Dei nomine faverent. Homerus,

qui

qui *lib.* 17. *Odysseæ* in ipso fine, Telemachum ad verba Penelopes inducit sternutantem, cujus ego carmina sic Latinè reddebam.

Si tamen in propriam patriam se ferret Ulysses,
Cum gnato pariter puniret facta Procorum.
Dixit: Telemachus sed valde sternuit, amplam
Concutiens aulam, risit tum Penelopeia,
Indeque ad Eumæum velocia verba locuta,
Vade age, ne cessa: quin huc mihi ducitur hospes?
Nonne vides verbis ut gnatus sternuit istis?
Certa procis igitur mors cunctis: nam neque fatum
Vitabit quisquam, tristive occumbere morti.

Plutarchus in libello *de Genio Socratis* refert ex opinione Terpsionis sternutamentum fuisse Socratis Genium.

℣. 151. *Utque tuos artus.*) Quemadmodum (inquit) Vulcanus duas uxores habet Venerem & unam Gratiarum, teste Homero *Iliad.* 18.

153. *Sic illum formosa Helene, formosa Cytæis.*) Lycophron Cytaicam vocat Medeam. Subdit interpres: Cytæa urbs est Colchidos, unde illam Cytaicam dixit.

172. *Quondam etiam nostro.*) Alexandrum magnum intelligit, qui Jovis filius dici voluit. *Hic* (ut ait Cicero pro Archia poëta) *cùm in Sigæo ad Achillis tumulum astitisset: O fortunate* (inquit) *adolescens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inveneris.*

215. *Prima tulit, pater Aonii.*) De patria Homeri non convenit, hic tamen Smyrnæum illum facit. Neque de patre Homeri constat, Politianus tamen sequitur hic opinionem Aristotelis, quam refert Plutarchus ex. 3. *de Arte poëtica, In Io,* inquit, *insula quo tempore Neleus Codri filius Ionicæ coloniæ dux erat, puellam quandam indigenam à Dæmone quodam illorum qui cum Musis versantur, fuisse compressam. Quæ propter ventris onus infamiam verita, abit in locum nomine Æginam. Ibi à latroni-*

bus

capta, in Smyrnam ducta est, Mæonique Ly-
um regi dono data. Ille puellæ venustate captus
n duxit uxorem. Quæ cùm aliquando juxta Me-
n fluvium spaciaretur, partus doloribus oppressa,
nerum apud fluvium peperit. Quem Mæon pro suo
:avit. Paucis post diebus Critheis moritur, &c.

r. 229. *Vosque Etheocleæ.*) Tres Gratias seu Cha-
; intelligit. Dicuntur autem Etheocleæ, quia (ut
Pausanias *in Bæoticis*) Etheocles primus Gratiis
ificavit, tresque illas esse constituit, & nomina
imposuit. De Gratiis multa diximus in *Scholiis*
Emblemata.

49. *Mæander sub humum.*) Mæander fluvius est
ygiæ, de quo multa Strabo *in fine lib.* 14. ubi
:it terram illam cavernosam esse mirum in mo-
ı, unde fit ut flumina abscondantur. Pausanias
Corinth. Mæandrum ex Celænis montibus per
ygiam, & Cariam manare ait, & circa Miletum
nare delapsum in Peloponnesum defluere: ibi-
Æsopi alveum efficere. Non invenio tamen
dicant Mæandrum subterraneum alveum agere,
Lycum qui in Mæandrum influit. Autor est hu-
ei Strabo *eodem loco*, & Herodotus *in* 7. Quod
abulam attinet quam hic narrat Politianus, nihil
ıc comperi. Plutarchus in *libro de fluminibus*
fabulas recitat, quas, quia non omninò huc
lrant, non apposui.

)o. *Tiresiæ magni.*) Tiresias, ut refert Callima-
in Hymnis, quia Minervam vidit in lavacro, cæ-
remansit, sed pro cæcitate, datum fuit illi vatici-
ı. Hoc latius tractat Politianus *Miscell. cap.* 80.

;7. *Anticlon Ortygidem.*) Dum essent inclusi
ai in equo Trojano, Helenaque voces imitari
'um cujusque cœpisset, cæteris tacentibus, An-
s voluit respondere: quod cùm animadvertisset
ſes, illum manibus impressis suffocavit. Vide
:ell. cap. 75.

V. 540.

ỳ. 540. *Tacitæ dux ille cohortis.*) Pythagoras quinquennale ſilentium imperabat diſcipulis.

541. *Ante ortus memor uſque.*) Apollonius Rhodius *lib.* 1. & ibi Scholia. Aiunt Æthalidem à Mercurio, cujus filius putabatur, accepiſſe, ut nunquàm amitteret memoriam, licet moreretur, quod cùm obtineret, tempore belli Trojani erat Euphorbus Panti filius, poſteà Pyrrhus Cretenſis, deinde Elius quidam cujus nomen non proditur. Tandem fuit Pythagoras. Hæc paulò aliter narrat Diogenes Laërtius *in vita Pythagoræ*.

564. *Quin & Apell.*) Vide Valer. Max. *lib.* 3. *cap.* 7. de Phidia. & expende carmina ibidem citata.

584. *Hunc & Sithonii.*) Zoilus qui contra Homerum ſcripſit & ejus ſtatuas verberabat, fuit Amphipolites, ut ait Suidas: eſt porrò Amphipolis inter Macedoniam & Thraciam in ſinu Strimonico; Thracia verò alio nomine dicta fuit Sithonia. Vide Virgilium in Gallo.

585. *Aſſeruit patrio.*) *Zoilus* hic contulit ſe in Ægyptum ad Ptolemæum ſperans aliquod præmium, ſed, ut aliqui affirmant, ab rege in cruce ſuffixus eſt. Vide hæc latiùs in Adagio *Zoili*.

586. *Hunc quoque captivo.*) Alexandro cùm eſſet oblatum pretioſiſſimum ſcrinium inter devicti Darii ſpolia repertum, conſultantibus amicis cuinam rei poſſet illud inſervire, dixit Alexander, *Huic optimè dabitur aſſervandus Homerus.*

INDEX

INDEX
RUM MEMORABILIUM,
Quæ in his Scholiis continentur.

Car-



POMPO-

POMPONII
MELÆ
DE SITU ORBIS
LIBRI TRES,

Per

RANCISCUM SANCTIUM
BROCENSEM,

Inclyta Salmanticensi Academia, Primarium Rhetorices, Græcæque Linguæ Doctorem, purgati, correcti, & emendati.

Juxta Exemplar Salmanticæ, anni 1598.

GENEVÆ MDCCLXV.



LICENCIA.

YO el Maestro Doctor Francisco Sanchez, Canonigo Magistral de la Santa Iglesia de Salamanca, Cathedratico de propriedad de Philosophia natural en su Universidad, Provisor e Vicario general en todo su Obispado, *sede Episcopali vacante*: por la presente doi licencia a Diego de Cusio, Impressor de libros desta ciudad, para que pueda imprimir un libro llamado *Pomponio Mela de situ Orbis*, attento que es libro profano, y se ha impresso diversas vezes, y no contiene cosa tocante, ni contraria à nuestra Sancta Fe Catholica. Fecha en Salamanca a 14. de Febrero 1598. años.

Maestro Doctor
Francisco Sanchez.

D. EMA-

EMANUELI SARMENTO

Doctori Theologo, viro optimo,

FRANCISCUS SANCTIUS BROCENSIS S. P. D.

Cur hac te præfatione appellaverim, AMICE MAGNE, *tuæ vitæ integritas*, *&* *labor in* [...]*imis disciplinis judipiscendis me impulerunt. Jactent suum genus*, *&* *majorum stemmata*, *quum tu in hac parte nulli cedas*, *semper id studuisti*, *in via virtutis*, *aliquid*, *quod proprium fecisse* [...]*es gloriari*, *nanciscereris.* Nam genus & proa[...], & quæ non fecimus ipsi, Vix ea nostra voco: [...]*uit poeta. Ego vero*, *ne vix quidem*, *nam ut* [...]*gicus Hispanus ait*, Aliena laudat, qui genus [...]dat suum. *Quid tu à pueritia usque ad conse*[...]*tam in sacra Theologia lauream feceris*, *effece*[...], *laboraveris*, *non meum est prædicare*: *res ipsa* [...]*uitur*, & fama loquetur anus, *& indefessa. Quum* [...]*ur tantorum laborum meritum præmium recepis*[...]: *vidi te paratum & accinctum ad nova certa*[...]*a capessenda*: *hoc est*, *ut totum te ad sacrorum* [...]*bliorum enodationem & interpretationem compara*[...]. *Hos tuos præclaros conatus*, *generosos animos*, *ardentes spiritus compressi*, *& retardavi. Nefas* [...]*m semper duxi*, *quemquam in sacrosancta utrius*[...] *Testamenti mysteria pedem penetrare*, *cui desit* [...]*quid eorum*, *quibus D. Hieronymus fuit exornatus*, *instructissimus. Ille Græcos & Latinos Poetas* [...]*nes*, *atque etiam historicos*, *& oratores trivit.* [...]*c enim solum Job & Psalmi*, *& Cantica Canti*[...]*um divinam poësim redolent*, *sed & omnes Pro-*

 phetæ

phetæ, & Salomonis Parabolæ poëticis figuris, similitudinibus & suavissimis modulis resonant, & exornantur. Sedit tunc tibi hæc sententia: & intra paucos menses hujus immensi laboris præclarum, & admirandum specimen præbuisti. Non enim raptim poëtas, tanquam canis è Nilo, degustasti: sed ita Hippocrenen ructabas, ut metueremus ne relicta Dominæ Sapientiæ domo cum ancillis, quæ ad fontem sedent, choreas esses ducturus. Has ignotas ante vias brevi tempore te docuit Pomponius Mela, quem fidum & dulcem comitem tantæ peregrinationis accepisti. Hunc tu quum me præeunte diligenter evolveres, multa intellexisti, quæ ab aliis aut intellecta parum aut perperam emendata circumferuntur. Cepisti tunc volentem incitare, ut ederem in vulgum, quæ post Hermolaum, & Pincianum doctissimos viros in Pomponium adnotassem. Promisi verbis facilius, quam re præstare possim. Tot enim prælectionibus & publicis & privatis (ut alia multa præteream) impedior, ut vix aliquis respirandi concedatur locus aut occasio. Nec tamen proinde à te postulo ut me promissis exsolvas: imo vero stabo promissis, & tarditatem majori fœnore compensabo. Interim tibi Pomponium mitto, dico, consecro nudum, & sine notis, sed emendatiorem, & nitidiorem illo, quem aut Hermolaus Alexandro VI. Pontifici max. dicavit: aut post Hermolaum noster Pincianus expolivit. Sed & ut gustum aliquem in hac tua epistola nostrarum lucubrationum lector accipiat: paucas, sed insignes emendationes, easque nudas subjiciam.

Ac primum Pomponium Melam non ab oppido Mellaria deduco: sic enim Mellarias, sive Mellariensis diceretur. Mela, nomen Romanum fuit, ut Valla. Mela igitur ex urbe Tartesso, quam postea dixere Carteiam, nunc Algeziram, *oriundus fuit. Locus corruptus lib. 2. cap. 6. dedit ansam errandi. Antiqua* lectio sic habebat: Carteia, ut quidam pu-

tant,

, aliquando Tarteſſos, & quam tranſvecti ex
a Phœnices habitant, atque unde nos ſumus
enteratum, Mellaria, & Bello *Hermolaus pro*
enteratum, Cingente freto *emendabat*. Pincia-
expunxit Cingenteratum, *& ſic legit*: atque
nos ſumus, Mellaria. *Elias Vinetus Santo ſic.*
e unde nos ſumus, Tingentera: tum Melaria.
vero: Atque unde nos ſumus ex gente ea:
Mellaria.

Procemio. *Eademque in duo latera.* lego, *Eo-*
ue, hoc eſt, eodem oceano. ex Macrob. &
cap. 9. *de Nilo*. Hic locus olim magnos vi-
xercuit.

b. I. c. 2. lego, *eædem gentes interiora tenent.*
legebatur, *interiora littora tenent.* & ſtatim
atur: *ſuper hunc ſunt Parthi, Aſſyrii, & Ba-*
i: ſuper illum, alterum Arabes: & ſuper Æthio-
Ripis Nili amnis & mari proxima iidem Ægyptii
ent.

o. I. c. 9. legebatur: *Et ſupra tredecim mil-*
annorum ætates certis annalibus referunt. Man-
que literis ſervant, dum Ægyptii ſunt quater
, ſuos vertiſſe ſydera, ac ſolem bis. cæt. ego
erod. *lib*.2. locum reſtitui, & ex obſcuriſſimo
m feci.

. I. c. 13. legebatur: *Ibi ingens amnis ingenti*
ſe extol. reſtitui, *fonte* ex Herod.

. I. c. 18. legebatur: *Iſthmos parvis urbibus.*
nullus fuit Iſthmos. lego: *Is mox, is deinde*

. II. c. 3. legebatur. *Tum Macedonum populi,*
urbes habitant? Pincianus aliter, atque aliter.

. II. c. 6. Olim ſic: *Tulcis eam modicus am-*
uper, ingens Iberus deorſum attingit. peſ-

. III. c. 1. Olim, *ut doctioribus placet, unum*
l eſt. reſtitui ex Ovidio, & aliis, *vivum animal.*

Lib.

Lib. III. c. 7. Olim, *Notiſſima India*: Pinciano diſplicebat vox (*Notiſſima*) & dixit mihi, & aliis diſcipulis ſcribendum (*Noviſſima*:) ego poſtea ex Commentariis Græcis in Dionyſ. *de Situ Orbis* elegantiſſime locum correxi.

Ibid. *Taurus attollit, collis utriuſque maris angulus.* Suſpicor in membranis fuiſſe ſcriptum *Côis*, unde Typograph. exſcripſit, *collis*: ego, *communis*, id eſt, Tabis eſt communis angulus utriuſque maris.

Ibid. Olim: *Inter ipſa oſtia rara tenet regio.* Pincianus dicebat minus male poſſe legi: *rara viret regio.* Ego ex ductu literarum, & ex omnibus Coſmographis ſubſtitui: *Patalene regio.*

Lib. III. c. 11. Olim: *in arenis mons eſt ſatis de ſe conſurgens.* hunc locum fœliciſſime, ut multa alia, Pincianus emendavit, *in harenis mons eſt Atlas denſe conſurgens.*


De his & aliis in amplioribus commentariis ratio à nobis reddetur. Vale.

NDEX CAPITUM

LIBER PRIMUS.

LIBER SECUNDUS.

LIBER TERTIUS.



POMPONII MELÆ DE SITU ORBIS, LIBER PRIMUS.

PROOEMIUM.

ORBIS situm dicere aggredior, impeditum opus, & facundiæ minime capax, (Constat enim fere ex gentium locorumque nominibus, & eorum perplexo satis ordine, quem persequi longa est magis, quàm ;na materia) verum aspici tamen, cognoscique ssimum: & quod si non ope ingenii orantis, sa sui contemplatione precium operæ attenden- absolvat. Dicam autem alias plura & exactius. : autem, ut quæque erunt clarissima, & stri- Ac primo quidem quæ sit forma totius, quæ mæ partes, quo singulæ modo sint, utque entur, expediam. Deinde rursus oras omnium ttora, ut intrà extraque sunt, atque ut ea subit ircumluit pelagus, additis quæ in natura regio- incolarumque memoranda sunt, id quòd faci- sciri possit atque accipi, paulo altius summa tetur.

CAPUT

CAPUT I.

Mundi in quatuor partes divisio.

OMne igitur hoc, quicquid id est, cui mundi cœlique nomen indidimus, unum est & uno ambitu se cunctaque amplectitur. Partibus differt. Unde sol oritur, oriens nuncupatur, aut ortus: quò demergitur, occidens vel occasus: quà decurrit, meridies: ab adversa parte, septentrio. Hujus medio terra sublimis cingitur undique mari, eodemque in duo latera, quæ hemisphæria nominantur, ab oriente divisa ad occasum, Zonis quinque distinguitur. Mediam æstus infestat, frigus ultimas. Reliquæ habitabiles, paria agunt anni tempora, verum non pariter. Antichthones alteram, nos alteram incolimus. Illius situ ob ardorem intercedentis plagæ incognito, hujus dicendus est. Hæc ergo ab ortu porrecta ad occasum: & quia sic jacet aliquanto quàm ubi latissima est, longior, ambitur omnis Oceano, quatuorque ex eo maria recipit. Unum à septentrione, à meridie duo, quartum ab occasu. Suis locis illa referentur. Hoc primum angustum nec amplius decem millibus passuum patens, terras aperit, atque intrat. Tum longe latèque diffusum, abigit vastè cedentia littora, iisdemque ex diverso propè coeuntibus, adeò in arctum agitur, ut minus mille passibus pateat. Inde se rursus, sed modicè admodum laxat: rursusque etiam quam fuit arctius exit in spatium. Quo cum est acceptum, ingens iterum magnæ paludi (cæterum exiguo ore) conjungitur. Id omne quam venit, quaque dispergitur, uno vocabulo nostrum mare dicitur. Angustias, introitumque venientis, nos fretum, Græci Πορτμον appellant. Quà diffunditur, alia aliis locis cognomina acceptat. Ubi primum se coarctat Hellespontus vocatur Propontis ubi expandit: ubi iterum pressit, Thracius Bosphorus:

ubi iterum effundit Pontus Euxinus: qua pa-
committitur, Cymmerius Bosphorus: palus ipsa
otis: Hoc mari & duobus inclytis amnibus, Ta-
Nilo, in tres partes universum dividitur. Ta-
à septentrione ad meridiem vergens, in mediam
Mœotida defluit: & ex diverso Nilus in pelagus.
l terrarum jacet à freto ad ea flumina, ab al-
latere Africam vocamus: ab altero, Europen:
Nilum, Africam; ad Tanaim, Europen. Ultra
uid est, Asia est.

CAPUT II.

Summa Asiæ descriptio.

Ribus hanc è partibus tangit Oceanus, ita no-
minibus ut locis differens. Eous ab oriente,
ridie Indicus, à septentrione Scythicus. Ipsa
ti ac perpetua fronte versa ad orientem, tantum
in latitudinem effundit, quantum Europa &
a, & quod inter ambas pelagus immissum est,
cum aliquatenus solida processit, ex illo Oceano
Indicum diximus, Arabicum mare & Persi-
, ex Scythico Caspium recipit: & ideo, quà
t angustior. Rursus expanditur, & fit tam lata
fuerat. Deinde cum jam in suum finem, alia-
ue terrarum confinia devenit, media nostris
ribus excipitur: reliqua altero cornu pergit ad
n, altero ad Tanaim. Ora ejus cum alveo
amnis ripa descendit in pelagus: & diu, sicut
incedit, ita sua littora porrigit. Deinde fit ve-
obviam, & primum se ingenti ambitu incur-
post se ingenti fronte ad Hellespontticum fre-
extendit: ab eo iterum obliquat ad Bosphorum.
nque ad Ponticum latus curva aditum Mœoti-
ransverso margine attingit. Inde eam gremio
anaim usque complexa fit ripa, qua Tanais est.
primos hominum accepimus ab oriente Indos,
Se-

Seres, & Scythas. Seres media ferme Eoæ partis incolunt. Indi & Scythæ ultima: ambo late patentes, neque in hoc tantum pelagus effusi. Spectant enim etiam meridiem Indi: Oramque Indici mares (nisi ubi æstus inhabitabilem efficit) diu continuis gentibus occupant. Spectant & septentrionem Scythæ: ac litus Scythicum (nisi unde frigoribus arceantur) usque ad Caspium sinum possident. Inde proxima est Ariane, deinde Aria, & Gedrosis, & Persis, ad sinum Persicum. Hunc populi Persarum ambiunt, illum alterum Arabes. Ab iis, quod in Africam restat, Æthiopum est. Illic Caspiani Scythis proximi, sinum Caspium cingunt. Ultra, Amazones, ultràque eas Hyperborei esse memorantur. Interiora terrarum multæ variæque gentes habitant, Candari, & Paricani, & Bactri, Susiani, Pharmacotrophi, Bomarei, Coamani, Rophanes, *Dahæ*. Super Scythas Scytharumque deserta, ac super Caspium sinum, Comari, Massagetæ, Cadusii, Hyrcani, Hiberi. Super Amazonas & Hyperboreos, Cimmerii, Scythæ, Eniochi, Georgi, Moschi, Corsitæ, Phoristæ, Riphaces: atque, ubi in nostra maria tractus excedit, Mardi, Antibarani: & notiora jam nomina, Medi, Armenii, Comageni, Murrani, Vegeti, Cappadoces, Gallogræci, Licaones, *Phryges*, Pisidæ, Isauri, Lydi, Syrocilices. Rursus ex iis, quæ meridiem spectant, eædem gentes interiora tenent, usque ad sinum Persicum. Super hunc sunt Parthi, Susii, & Babylonii: super illum alterum, Arabes: & super Æthiopas Ægyptii. Ripis Nili amnis & mari proxima iidem Ægyptii possident. Deinde Arabia angusta fronte sequentia littora attingit. Ab ea, usque ad flexum illum quem suprà retulimus, Syria: & in ipso flexu, Cilicia: extra autem Lycia, & Pamphilia, Caria, Ionia, Acolis, Troas usque ad Hellespontum. Ab eo Bithyni sunt ad Thracium Bosphorum. Circa Pontum aliquot populi, alio alio-

que

fine, omnes uno nomine Pontici dicuntur: Ad m, Mœotici: ad Tanain, Sauromatæ.

CAPUT III.

Summa Europæ descriptio.

Uropa terminos habet, ab Oriente Tanaim, & Mœotida, & Pontum: à Meridie, reliqua nostri s: ab Occidente Atlanticum: à Septentrione Bri-cum Oceanum. Ora ejus, forma littorum: à ii ad Hellespontum, quà ripa est dicti amnis, lexum paludis ad Bosphorum redigit, quà Pon-Propontidi, & Hellesponti latere adjacet, con-s littoribus Asiæ non opposita modo, verum i similis est. Inde ad fretum nunc vastè retra-nunc prominens, tres maximos sinus efficit, emque in altum se magnis frontibus evehit. Ex-etum ad occidentem inæqualis admodum, præ-media, quà procurrit ad septentrionem, nisi emel, iterumque grandi recessu abducitur, pe-it directo limite extenta est. Mare quod primo accipit, Ægæum dicitur: quod sequenti, in ore m: Adriaticum interius: quod ultimo, nos cum, Graii, Tyrrhenum perhibent. Gentium est Scythia, alia quam dicta est: à Tanai ad ferme Pontici lateris, hinc in Ægæum mare iens, Thracia, huic Macedonia adjungitur. Græcia prominet, Ægæumque ab Ionio mari t. Adriatici latus Illyris occupat. Inter ipsum ticum & Thuscum Italia procurrit. In Thusco Gallia est ultra, Hispania est. Hæc in occi-n, denique etiam ad septentrionem diversis ius vergit. Deinde rursus Gallia est longe, & ris littoribus hucusque promissa. Ab ea Ger-ad Sarmatas porriguntur, illi ad Asiam. Hæc iropa.

CAPUT IV.

Summa Africæ descriptio.

AFrica ab orientis parte Nilo terminata, pelago à cæteris: brevior est quidem quam Europa, quia nec usquam Asiæ, & non totius hujus littoribus obtenditur. Longior tamen ipsa, quàm latior, & qua ad fluvium attingit, latissima. Utque inde procedit, ita media præcipue in juga exurgens, pergit in curva ad occasum, fastigiatque se molliter, & ideo ex spatio paulatim adductior. Ubi finitur, ibi maxime angusta est. Quantum incolitur, eximie fertilis. Verum quod pleraque ejus inculta, & aut harenis sterilibus obducta, aut ob sitim cœli terrarumque deserta sunt, aut infestantur multo ac malefico genere animalium, vasta est magis quàm frequens. Mare quo cingitur à septentrione, Libycum: à meridie, Æthiopicum: ab occidente, Atlanticum dicimus. Ab ea parte, quæ Libyco adjacet, proxima est Nilo provincia quam Cyrenas vocant. Deinde, cui totius regionis vocabulo cognomen inditum est, Africa. Cætera Numidæ & Mauri tenent. Sed Mauri in Atlanticum pelagus expositi. Ultra Nigritæ sunt, & Pharusii, usque ad Æthiopas. Hi & reliqua hujus, & totum latus quod meridiem spectat, usque in Asiæ confinia possident. At super ea quæ Libyco mari abluuntur, Libyes Ægyptii sunt, & Leucoæthiopes: & natio frequens multiplexque Getuli. Deinde latè vacat regio perpetuo tractu inhabitabilis. Tum primos ab oriente Garamantas, post Augilas & Troglodytas, & ultimos ad occasum Atlantas audimus. Intra (si credere libet) vix jam homines, magisque semiferi Ægypanes & Blemmyæ & Gamphasantes, & Satyri sine tectis passim ac sedibus vagi habent potius terras, quam habitant. Hæc summa nostri orbis, hæ maximæ partes, hæ formæ gentesque partium. Nunc

actius oras situsque dicturo, inde est commodissi-
im incipere, unde terras nostrum pelagus ingre-
ur. Et ab iis potissimum, quæ influenti dextra
it. Deinde stringere littora ordine quo jacent,
ragratisque omnibus quæ mare attingunt, legere
am illa quæ cingit Oceanus, donec cursus incepti
eris intra extraque circumvectus orbem, illuc un-
cæperit redeat.

CAPUT V.

Particularis Africæ descriptio.

MAURITANIA.

DIctum est Atlanticum esse Oceanum, qui terras ab occidente contingeret. Hinc in nostrum re pergentibus, læva Hispania, Mauritania dextra Primæ partes illæ Europæ, hæ Africæ. Ejus e finis Mulucha: caput atque exordium est pro-ntorium, quod Græci Ampelusiam, Afri aliter, idem significante vocabulo, appellant. In eo est cus Herculi sacer, & ultra specum Tingi oppi-n pervetus, ab Antæo (ut ferunt) conditum. tat rei signum, parma elephantino tergore execto, ens, & ob magnitudinem nulli nunc usuro habi-quam locorum accolæ ab illo gestatam pro vero ent, traduntque, & inde eximiè colunt. Deinde mons præaltus, ei quem ex adverso Hispania ollit objectus, hunc Abylam, illum Calpen vocant, umnas Herculis utrumque. Addit fama nomini ulam: Herculem ipsum junctos olim perpetuo io diremisse colles, atque ita exclusum antea mole ntium Oceanum, ad quæ nunc inundat admissum. nc jam mare latius funditur, summotásque vastius as magno impetu inflectit. Cæterum regio igno-s, & vix quicquam illustre sortita, parvis oppi-di

dis habitatur, parva flumina emittit, solo quam viris melior, & segnitiæ gentis obscura. Ex iis tamen quæ commemorare non piget, montes sunt alti, qui continenter, & quasi de industria in ordinem expositi, ob numerum septem, ob similitudinem fratres vocantur. Tamuada fluvius, & Rusicada, & Siga parvæ urbes: & portus, cui Magno est cognomen ob spatium. Mulucha ille quem diximus amnis est, nunc gentium, olim regnorum terminus, Bocchi Jugurthæque.

CAPUT VI.

NUMIDIA.

AB eo Numidia ad ripas exposita fluminis Ampsagæ, spatio quidem quàm Mauritania angustior est, verum & culta magis, & ditior. Urbium, quas habet, maximæ sunt Cyrrha procul mari, nunc Sittianorum colonia, quondam regum domus Jubæ & Siphacis, cum foret opulentissima, Iol ad mare, aliquando ignobilis, nunc quia Jubæ regia fuit, & quod Cæsarea vocitatur, illustris. Citra hanc (nam in medio ferme littore sita est) Cartenna & Arsenaria sunt oppida, & Ampsa castellum, & Laturus sinus, & Sardabale fluvius. Ultra, monumentum commune regiæ gentis Icosium, deinde Uthisia urbes, effluentes inter eas Ancus, & Nabar, aliaque quæ taceri nullum rerum famæve dispendium est: Interius, & longe satis à littore (si fidem res capit) spinæ piscium muricum ostreorumque fragmenta, saxa attrita (uti solent) fluctibus, & non differentia marinis, infixæ: Alia & hujusmodi signa atque vestigia effusi olim usque ad ea loca pelagi, in campis nihil alentibus esse invenirique narrantur.

CAPUT VII.

AFRICA MINOR.

REgio quæ ſequitur à promontorio, Metagonio ad aras Philenorum proprie nomen Africæ uſur-:. In ea ſunt oppida, Hippo regius, & Ruſi-le, & Tabraca. Deinde tria promontoria, Can-lum, Apollinis, Mercurii, vaſte projecta in al-n, duos grandes ſinus efficiunt. Hipponenſem vo-it proximum ab Hippone Diarrhyto, quod lit-i ejus appoſitum eſt. In altero ſunt caſtra Lælia, tra Cornelia, flumen Bagrada, Utica & Cartha-, ambæ inclytæ, ambæ à Phœnicibus conditæ. ı fato Catonis inſignis: hæc ſuo, nunc populi Ro-ni colonia, olim imperii ejus pertinax æmula, ı quidem iterum opulenta, etiam nunc tam prio-n excidio rerum, quàm ope præſentium clarior. ıdrûmentum, Leptis, Clupea, Abrotonum, Ta-'æ, Neapolis hinc ad Syrtim adjacent, ut inter obilia celeberrimæ. Sirtis ſinus eſt centum fere lia paſſuum, qua mare accipit, patens: trecenta ı cingitur. Verum importuoſus atque atrox, & 'adorum frequentium brevia, magiſque etiam ob 'rnos motus pelagi affluentis & refluentis infeſtus. ıer hunc ingens palus amnem Tritona recipit, . Tritonis: unde, & Minervæ cognomen inditum ı ut incolæ arbitrantur, ibi genitæ: faciuntque ei ılæ aliquam fidem, quòd quem natalem ejus ant, ludicris virginum inter ſe decertantium cele-nt. Ultra eſt Oea oppidum, & Cinyps fluvius uberrima arva decidens. Tum Leptis altera, & tis, nomine atque ingenio par priori: cæterum ro fere ſpacio qua dehiſcit, quaque flexum agit, ılior. Ejus promontorium, eſt Borion, ab eoque piens ora, quam Lotophagi tenuiſſe dicuntur, ue ad Phycunta (& id promontorium eſt) impor-

tuoſo littore pertinax. Aræ ipſæ nomen ex Philænis fratribus traxere, qui contra Cyrenaicos miſſi Carthagine ad dirimendum conditione bellum, diu jam definibus, & cum magnis amborum cladibus geſtum, poſtquam in eo quod convenerat non manebatur, ut ubi legati concurrerent, certo tempore utrinque dimiſſi, ibi termini ſtatuerentur: pacti de integro, ut quicquid citra eſſet, popularibus cederet, mirum & memoria digniſſimum facimus, hic ſe vivos obrui pertulerunt.

CAPUT VIII.

CYRENAICA.

INde ad Catabathmon Cyrenaica provincia eſt, in eaque ſunt Ammonis oraculum, fidei inclytæ: & fons, quem Solis appellant: & rupes quædam Auſtro ſacra. Hæc cum hominum manu attingitur, ille immodicus exurgit, harenaſque quaſi maria agens, ſic ſævit, ut æquor fluctibus. Fons media nocte fervet, mox & paulatim tepeſcens, fit luce frigidus, tunc ut ſol ſurgit ita frigidior, ſubinde per meridiem maxime riget. Sumit deinde tepores iterum, & prima nocte calidus, atque ut illa procedit, ita calidior: rurſus cum eſt media, perfervet. *In littore* promontoria ſunt Zephyrion, & Naſtachmos, portus Paretonius. Urbes Heſperia, Apollonia, Ptolomais, Arſinoe, atque (unde terris nomen eſt) ipſa Cyrene. Catabathmos vallis devexa in Ægyptum, finit Africam. Oræ ſic habitantur, ad noſtrum maxime ritum moratis cultoribus, niſi quòd quidam linguis differunt, & cultu deorum quos patrios ſervant, ac patrio more venerantur. Proximis nullæ quidem urbes ſtant, tamen domicilia ſunt, quæ Mapalia appellantur: victus aſper, & munditiis carens. Primores ſagis velantur, vulgus beſtiarum pecudumque pellibus, humi quies epulæque capiuntur. Vaſa

gno fiunt, aut cortice. Potus est lac succusque baccrum. Cibus est caro, plurimum ferina. Nam gregbus (quia id solum optimum est) quoad potest, ırcitur. Interiores etiam incultius. Sequuntur vagi ecora, utque à pabulo ducta sunt, ita se, ac tuıria sua promovent: atque ubi dies deficit, ibi noem agunt. Quanquam in familias passim, & sine ge dispersis nihil in commune, consultant tamen, quòd singulis aliquot simul conjuges, & plures id liberi, agnatique sunt, nusquam pauci degunt. c his qui ultra deserta esse memorantur Atlantes, lem execrantur, & dum oritur & dum occidit, ut is agrisque pestiferum. Nomina singuli non hant, non vescuntur animalibus, neque illis in quiete ıalia cæteris mortalibus visere datur. Troglodytæ llarum opum domini, strident magis quam lountur, specus subeunt, aluntur que serpentibus. menta habent, quæ obliqua cervice pascuntur, m pronis directa in humum cornua officiunt. Apud ıramantas etiam armenta sunt, quæ retro ambuıtia pascuntur. Apud Ausenses nulli certa uxor . Ex his qui tam confuso parentum coitu passim ertique nascuntur, quos pro suis alant, formæ ıilitudine agnoscunt. Augilæ manes tantum deos tant, per eos deierant, eos ut oracula consulunt, ecatique quæ volunt, ubi tumulis incubuere, pro ponsis ferunt somnia. Fœminis eorum solenne est, ete, qua nubunt, omnium stupro patere, qui cum ınere advenerint, & tum cum plurimis concuisse maximum decus, in reliquum pudicitia insiis est. Nudi sunt Gamphasantes, armorumque omım ignari: nec vitare sciunt tela, nec jacere, ideoe obvios fugiunt, neque aliorum, quam quibus m ingenii est, aut congressus, aut colloquia pantur. Blemmyis capita absunt, vultus in pectore . Satyris præter effigiem, nihil humani. Ægipan quæ celebratur, ea forma est. Hæc de Africa.

CAPUT IX.

Particularis Asiæ descriptio.

ÆGYPTUS.

ASiæ prima pars Ægyptus inter Catabathmon, & Arabas, ab hoc littore penitus immissa, donec Æthiopiam dorso contingat, ad meridiem refugit. Terra expers imbrium, mire tamen fertilis, & hominum aliorumque animalium perfœcunda generatrix. Nilus efficit, amnium in nostrum mare permeantium maximus. Hic ex desertis Africæ missus, nec statim navigari facilis, nec statim Nilus est: & cum diu simplex sævusque descendit, circa Meroën late patentem insulam, in Æthiopiam diffunditur, alteraque ex parte Astaboras, altera Astapus dictus est. Ubi rursus coit, ibi nomen hoc capit. Inde partim asper, partim navigia patiens, in immanem lacum devenit: ex quo præcipiti impetu egressus, & Tachempso alteram insulam amplexus, usque ad Elephantinem urbem Ægyptiam atrox adhuc, ferversque decurrit. Tum demum placidior, & jam pene navigabilis, primum juxta Cercasorum oppidum triplex esse incipit. Deinde semel iterumque divisus it per omnem Ægyptum vagus atque dispersus, ac Delta medium, septemque in ora se scindens, singulis tamen grandis evolvitur. Non pererrat autem tantum eam, sed æstivo sidere exundans etiam irrigant, adeò efficacibus aquis ad generandum alendumque, ut præter id quòd scatet piscibus, quod Hippopotamos, Crocodilosque vastas belluas gignit, glebis etiam infundat animas, ex ipsaque humo vitalia effingat. Hoc eo manifestum est, quod ubi sedavit diluvia, ac se sibi reddidit, per humentes campos quædam nondum perfecta animalia, sed tum primum accipientia spiritum, & ex parte jam formata, ex

parte

rte adhuc terrea, visuntur. Crescit porro, sive od solutæ magnis æstibus nives, ex immanibus thiopiæ jugis largius quam ripis accipi queant, luunt: sive quòd sol hyeme terris propior, & id fontem ejus minuens, in æstate tunc altius t, sinitque integrum, & ut est plenissimus, sur-e: sive quòd per ea tempora flantes Etesiæ, aut as à septentrione in meridiem nubes super prin-ia ejus imbre præcipitant, aut venienti obvii ad-so spiritu, cursum descendentis impediunt: aut enis, quas cum fluctibus littori applicant ostia ob-unt: fitque major, vel quòd nihil ex semet amit-vel quòd plus quam solet accipit: vel quod mi-quàm debet emittit. Quod si est alter orbis, tque oppositi nobis à meridie Antichthones, ne d quidem à vero nimium abscesserit, in illis ter-ortum amnem, ubi subter maria cæco alveo pe-averit, in nostris rursus emergere, & hac re licio accrescere, quod tum hyems sit unde oritur. a quoque in his terris mira sunt. In quodam la-Chemnis insula lucos sylvasque & Apollinis gran-sustinens templum, natat: & quocunque venti nt, pellitur. Pyramides tricenum pedum lapidi-extructæ, quarum maxima (tres namque sunt) tuor fere soli jugera, sua sede occupat: totidem altitudinem erigitur. Mœris aliquando campus c lacus, viginti millia passuum in circuitu pa-, altior quam ad navigandum magnis, onustisque ibus satis est. Psammetichi opus Labyrinthus, ıos ter mille, & regias duodecim perpetuo parie-ımbitu amplexus, marmore extructus ac tectus, m in se descensum habet, intus pene innumera-s vias, multis ambagibus huc & illuc remeanti-: sed continuo anfractu, & sæpe revocatis porti-s ancipites, quibus subinde alium super alios em agentibus, & subinde tantum redeunte flexu, ıtum processerat, magno & inexplicabili tamen

errore

errore perplexus est. Cultores regionum multo aliter à cæteris agunt. Mortuos fimo obliti plangunt, nec cremare, aut fodere fas putant: verum arte medicatos intra penetralia collocant. Suis literis perverse utuntur. Lutum inter manus, farinam calcibus subigunt. Forum ac negotia, fœminæ: viri, pensa ac domos curant: onera illæ humeris: hi capitibus accipiunt. Parentes cum egent, illis necesse, his liberum est alere. Cibos palam & extra sua tecta capiunt: obscœna intimis ædium reddunt. Colunt effigies multorum animalium, atque ipsa magis animalia, sed alii alia: adeo ut quædam eorum etiam per imprudentiam interemisse, capitale sit. Et ubi morbo aut sorte extincta sint, sepelire ac lugere solenne fit. Apis populorum omnium numen est: bos niger, certis maculis insignis, & cauda linguaque dissimilis aliorum: raro nascitur, nec coitu pecoris (ut aiunt) sed divinitus & cœlesti igne conceptus, diesque quo gignitur genti maxime festus est. Ipsi vetustissimi (ut prædicant) hominum, trecentos & triginta reges ante Amasim: & supra totidem, hominum ætates, certis annalibus referunt: mandatumque literis servant, dum Ægyptii sunt, quater cursus suos vertisse solem ac bis jam occidisse, unde nunc oritur. Viginti millia urbium Amasi regnante habitarunt, & nunc multas habitant. Earum clarissimæ procul à mari, Says, Memphis, Syene, Bubastis, Elephantis, & Thebæ, utique (ut Homero dictum est) centum portas, sive (ut alii aiunt) centum aulas habent, totidem olim principum domos, solitasque singulas, ubi negotium exegerat, ducentos armatos milites effundere. In littore Alexandria Africæ contermina. Pelusium Arabiæ ipsas oras secat. Canopicum, Bolbiticum, Sebeniticum, Mendesium, Pathmiticum, Tanicum, Pelusiacum, Nili ostia.

CAPUT

CAPUT X.

ARABIA.

·Rabia hinc ad Rubrum mare pertinet, sed illic magis læta & ditior, thure atque odoribus idat: hic, nisi qua Cassio monte attollitur, a sed sterilis, portum admittit Azotum, suarum cium emporium, quà in altum abit, adeo ædi- ut ex summo vertice à quarta vigilia ortum so- stendat.

CAPUT XI.

SYRIA.

ria late littora tenet, terrasque etiam latius in- trorsus, aliis aliisque nuncupata nominibus. Nam œle dicitur, & Mesopotamia, & Damascene, & abene, & Babylonia, & Judæa, & Sophene. c Palestina est, qua tangit Arabas, cum Phœ- : & ubi se Ciliciæ committit, Antiochia. Olim, iu potens, sed cum eam regno Semiramis te- , longe potentissima. Ex operibus certe ejus in- ia multa sunt. Duo maximè excellunt constituta miræ magnitudinis Babylon, ac siccis olim re- ibus Euphrates & Tygris immissi. Cæterum in stina est ingens & munita admodum Gaza (sic æ ærarium vocant) & inde nomen est, quòd Cambyses armis Ægyptum peteret, huc belli pes, & pecuniam intulerat. Est non minor As- n. Est Jope ante diluvium (ut ferunt) condita: Cephea regnasse eo signo accolæ affirmant, quod um ejus fratrisque Phinei, veteres, quædam aræ religione plurima retinent: quin etiam rei ce- atæ carminibus ac fabulis, servatæque à Perseo romedæ clarum vestigium, belluæ marinæ ossa iania ostentant.

CAPUT

CAPUT XII.

PHŒNICIA.

PHœnicen illustravere Phœnices, solers hominum genus, & ad belli pacisque munia eximium. Literas, & literarum operas, aliasque etiam artes, maria navibus adire, classe confligere, imperitare gentibus, regnum præliumque commenti. In ea est Tyros, aliquando insula, nunc annexa terris ab impugnante quondam Alexandro jacto opere. Vici tenent ulteriora: & adhuc opulenta Sidon, antequam à Persis caperetur, maritimarum urbium maxima. Ab ea ad promontorium Theuprosopon duo sunt oppida, Byblos & Botris. Ultrà tria fuerunt, singulis inter se stadiis distantia, locus ex numero *Tripolis* dicitur. Tum Simyra castellum, & urbs non obscura Marathos. Inde jam non obliqua pelago, sed adversa adjacens, à terra grandem sinum inflexo tractu littoris accipit. Populi divites circumsident, situs efficit: quia regio fertilis, crebris & navigabilibus alveis fluminum pervia, diversas opes maris atque terrarum facili commercio permutat ac miscet. In eo prima est reliqua pars Syriæ, cui Antiochiæ cognomen additur. Et in ora ejus urbes *Seleucia*, Paltos, Beritos, Laodicea, Arados, amnesque inter eas eunt Lycos & Hypatos, & Labotas & Orontes. Tum mons Amanus, & ab eo statim, Myriandros & Cilices.

CAPUT XIII.

CILICIA.

EJus in recessu intimo locus est magni aliquando discriminis, fusorum ab Alexandro Persarum, fugientisque Darii spectator, ac testis. Nunc ne minima

a quidem, tunc ingenti urbe celebris, Issos fuit,
ac re sinus Issicus dicitur. Procul inde Amanoi-
promontorium inter Pyramum Cydnumque flu-
jacet. Pyramus Isso propior Mallon præter-
Cydnus ultra per Tarsum exit. Deinde urbs
olim à Rhodiis, Argivisque, post Piratis Pom-
assignante possessa, nunc Pompeiopolis, tunc
:. Juxta in parvo tumulo Arati poetæ monu-
:um, ideo referendum, quia ignotum quam ob
m jacta in id saxa dissiliunt. Non longe hinc
'cos oppidum, portu, saloque incingitur, an-
tergore continenti adnexum. Suprà specus est,
ne Corycius, singulari ingenio, ac suprà quàm
escribi facile possit eximius. Grandi namque
patens, montem littori appositum, & decem
orum clivo satis arduum, ex summo statim ver-
aperit. Tunc altè demissus, & quantum demit-
amplior, viret lucis pubentibus undique, & to-
se nemoroso laterum orbe complectitur: adeo
cus, ac pulcher, ut mentes accedentium primo
tu consternat: ubi contemplati duravere, non
Unus in eum descensus est, angustus, asper,
entorum & mille passuum, per amænas um-
& opaca sylvæ quiddam agreste resonantis,
hinc atque illinc fluitantibus. Ubi ad ima per-
m est, rursus specus alter aperitur, ob alia di-
is. Terret ingredientes sonitu cymbalorum, di-
s & magno fragore crepitantium. Deinde ali-
liu perspicuus, mox & quo magis subitur
rior, ducit ausos penitus, alteque quasi cuniculo
tit. Ibi ingens amnis ingenti fonte se extol-
tantummodo se ostendit, & ubi magnum im-
i brevi alveo traxit, iterum demersus abscon-
Intrà spatium est, magis quam ut progredi
am ausit horribile, & ideo incognitum. Totus
augustus & verè sacer, habitarique à diis &
s *& creditus.* Nihil non venerabile, & quasi
cum

cum aliquo numine se ostentat. Alius ultrà est, quem Typhoneum vocant, ore angusto, & multum (ut experti tradidere) pressus, & ob id assidua nocte suffusus, neque unquam perspici facilis, sed quia aliquando cubile Typhonis fuit, & quia nunc demissa in se confestim exanimat, natura fabulaque memoriandus. Duo deinde promontoria sunt, Sarpedon, finis aliquando regni Sarpedonis: & quod Ciliciam à Pamphilia distinguit Anemurium. Interque ea Celendris, & Natidos Samiorum coloniæ: sed Celendris Sarpedoni proprior.

CAPUT XIV.

PAMPHILIA.

IN Pamphilia est Melas, navigabilis fluvius. Oppidum Syda, & alter fluvius Eurymedon. Magna apud eum Cynonis, Atheniensium ducis adversus Phœnicas & Persas navalis pugna, atque victoria fuit. Mare, quo pugnatum est, ex edito admodum colle prospectat Aspendos, quam Argivi condiderant, possedere finitimi. Deinde alii duo validissimi fluvii, Oestros, & Cataractes. Oestros navigari facilis hic qua se præcipitat, ita dictus. Inter eos Perga est oppidum, & Dianæ, quam ab oppido Pergeam vocant, templum. Trans eosdem mons Sardemisos, & Phaselis à Mopso condita, finis Pamphiliæ.

CAPUT XV.

LYCIA.

LYcia continuo, cognominata à Lyco rege Pandionis filio, atque (ut ferunt) infestata olim Chymæræ ignibus: Sydæ portus, & Tauri promontorio grandem sinum claudit. Taurus ipse ab Eois littoribus exurgens, vaste satis attollitur. Deinde

dex-

tro latere ad septentrionem, sinistro ad meridiem ;us, it in occidentem rectus, & perpetuo jugo ;narumque gentium, quà dorsum agit, terminatus. terras dirimit exit in pelagus. Idem autem & ırus ut dictum est, dicitur, quà spectat Orientem, ıaus. Deinde Hæmodes, & Caucasus, & Paro- ısus. Tum Caspiæ pylæ, Niphates, & Arme- pylæ: & ubi jam nostra maria contingit, Tau- ıterum. Post ejus promontorium flumen est Ly- ı, & eodem nomine civitas: atque ut multa op- , sic præter Patara non illustria. Illam nobilem delubrum Apollinis, quondam opibus, & ora- fide, Delphico simile. Ultra Xanthus flumen, Xanthos oppidum, mons Cragus, & quæ Ly- ı finit, urbs Telmisos.

CAPUT XVI.

CARIA.

Aria sequitur. Habitatores incerti Aborigines. Alii indigenas, sunt qui Pelasgos, quidam Cre- existimant: genus usque eò quondam armorum ıæque amans ut aliena etiam bella mercede age- Hic castella aliquot sunt. Deinde promonto- luo, Pedalium & Cria: & secundum Calbin em Caunus oppidum valetudine habitantium in- :. Inde ad Halicarnasson hæc adjacent, Rho- um aliquot coloniæ, portus duo, Gelos, & ex urbe quam amplectitur Thissamissa cogno- est. Inter eos oppidum Larumna, & Pandion s in mare emissus. Tum tres ex ordine sinus, mnias, Schenus. Bubessus. Thymniæ promon- ım Aphrodisias est: Schenus ambit Hilam: Bu- ıs Cynotum: Gnidus in cornu peninsulæ. In- ıe eam & Ceramicum sinum in recessu posita ıane. Halicarnassos Argivorum colonia est: & *memoranda sit*, præter conditores, Mausolæum effici

efficit regis Mausoli monumentum, unum de miraculis septem, Artemisiæ opus. Trans Halicarnasson illa sunt, littus Leuca: urbes, Mindus, Aryanda, Neapolis, sinus Iasius, & Basilicus, in Iasio est Bargylia.

CAPUT XVII.

IONIA.

POst Basilicum Ionia aliquot se ambagibus sinuat. Et primum à Possidio promontorio inflexum inchoans, cingit oraculum Apollinis, dictum olim Branchidæ, nunc Dydimi: Miletum, urbem quondam Ioniæ totius belli pacisque artibus principem, patriam Thaletis astrologi & Timothei musici, & Anaximandri physici, aliorumque civium inclytis ingeniis, merito inclytam, utcunque Ioniam vocant: Urbem Hippin, amnis Mæandri exitum, Latmum montem, Endymionis à Luna (ut ferunt) adamati fabulæ nobilem. Deinde rursus inflexa cingit urbem Prienen, & Gessi fluminis ostium: moxque ut majore circuitu, ita plura complectitur. Ibi est Panionium sacra regio, & ob id eo nomine appellata, quòd eam communiter Iones colunt. Ibi à fugituris (ut aiunt) condita (nomen famæ annuit) Phygela. Ibi Ephesus, & Dianæ clarissimum templum, quod Amazones Asia potitæ consecrasse traduntur. Ibi Caystros amnis. Ibi Lebedos, Clariique Apollinis fanum, quod Manto Tiresiæ filia, fugiens victores Thebanorum Epigonos, & Colophon, quam Mopsus ejusdem Mantus filius statuit, ad promontorium quo sinus clauditus, quod altera parte alium quem Smyrnæum vocant, efficit, angustisque cervicibus reliqua extendit. Inde latius abit in peninsulæ faciem: super angustias, hinc Teos, illic Clazomena: & quia terga jungunt confinio adnexæ muris diversis frontibus diversa maria prospectant. In ipsa peninsula

est Smyrna. In sinu Smyrnæo est Hermus am-, & urbs Leuca: Extra eum, Phocis Ionia na.

CAPUT XVIII.

ÆOLIS.

Roxima regio, ex quo ab Æolis incoli cœpit Æolis facta, ante Mysia, & quà Hellespontum git Trojanis possidentibus, Troas fuit. Primam m à Myrino conditore Myrinam vocant. Se- tem Pelops statuit, victo Œnomao reversus ex cia: Cymen nominavit, pulsis qui habitarant, Amazonum Cyme. Supra, Caycus inter Eleam rrit, & Pytanem illam, quæ Archesilam tulit, ni- ffirmantis Academiæ clarissimum antistitem. Tum romontorio est Canna oppidum, quod præter s sinus excipit, non parvus, sed longe ac mol- flexus, retrahensque paulatim oras usque ad ima is Idæ. Is mox parvis urbibus aspersus est, qua- clarissima est Cistena. Gremio interiore campus e nomine, Adramittion, Astyram, Chrysam la, eodem quo dicta sunt ordine adjacentia con- In altero latere Antandrum. Duplex causa no- jactatur. Alii Ascanium Æneæ filium cum ibi ret, captum à Pelasgis ea se redemisse comme- nt: Alii ab iis putant conditam, quos ex An- nsula vis & seditio exegerat. Hi Antandrum pro Andro, illi quasi pro viro accipi volunt. ens tractus tangit Gargara, & Asson, Æolum ias. Tunc sinus alter Ἀχαιῶν λιμὴν non longè ab ittora incurvat, urbe, bello, excidioque clarissi- Hic Sigæum fuit oppidum. Hic Archivorum ellantium statio. Huc ab Idæo monte demissus ander exit & Simois, fama quàm natura majora na. Ipse mons vetere divarum certamine, & ju- Paridis memoratus, orientem solem aliter, quàm

in aliis terris solet aspici, ostentat. Namque ex summo vertice ejus speculantibus, penè à media nocte sparsi ignes passim micare, & ut lux appropinquat, ita coire, ac se conjungere videntur, donec magis magisque collecti, pauciores subinde, & una ad postremum flamma ardeant. Ea cum diu clara & incendio similis effulsit, cogit se, ac rotundat, & fit ingens globus. Diu is quoque grandis, & terris adnexus apparet: deinde paulatim decrescens, & quanto decrescit, eò clarior: fugat novissime noctem & cum die jam sol factus, attollitur. Extra sinum sunt Rhetæa littora, Rhætæo & Dardania claris urbibus: Ajacis tamen sepulchro maxime illustria. Ab his fit arctius mare, nec jam abluit terras, sed rursus dividens angusto Hellesponti, freto littus obvium facit, ut iterum terræ, quà fluit, làtera sint.

CAPUT XIX.

BITHYNIA.

INterius Bythyni sunt, & Mariandynei: In ora Graiæ urbes, Abydos, & Lampsacus, Parion, & Priapos. Abydos magni quondam amoris commercio insignis est. Lampsacus Phocæis appellantibus nomen ex eo traxit, quòd consulentibus, in quasnam terras potissimum tenderet, responsum erat, ubi primum fulsisset, ibi sedem capesserent. Tum rursus fit apertius mare Propontis. In id Granicus effunditur, pugna quæ primum inter Persas, & Alexandrum fuit, nobilis. Trans amnem sedet in cervice peninsulæ Cyzicum, nomen Cyzicus indidit, quem à Minyis imprudentibus, cum Colchos peterent, fusum acie cæsumque accipimus. Post Placia, & Scylace, parvæ Pelasgorum coloniæ. Quibus à tergo imminet mons Olympus, ut incolæ vocant, Mysius: is flumen Rhyndacum in ea quæ

sequun-

quuntur emittit. Circa, angues nascuntur imma-
es, neque ob magnitudinem modo, sed ob id
iam mirabiles, quod ubi in alveum ejus æstus,
lemque fugerunt, emergunt atque hiant: super-
)lantesque aves, quamvis altè & perniciter feran-
r, absorbent. Trans Rhyndacum est Daschylos,
quam Colophonii collocavere Myrlea. Duo sunt
de modici sinus. Alter sine nomine Cion amplecti-
r, Phrygiæ haud longe jacentis opportunissimum
nporium: Alter Olbianos, in promontorio fert
eptuni fanum, in gremio Astacum, à Megaren-
ous conditam. Deinde priores terræ iterum ja-
nt, exiturique in Pontum pelagi canalis angustior.
iropam ab Asia stadiis quinque disterminat Thra-
is (ut dictum est) Bosphorus. Ipsis in faucibus
)pidum, in ore templum est: oppidi nomen Chal-
don: auctor Archias Megarensium princeps. Tem-
i numen Jupiter, conditore Jasone. Hinc jam
e ingens Pontus aperit (nisi qua promontoria
nt) huc atque illuc, longo rectoque limite ex-
itus, sinuatus cætera. Sed qua contrahitur, qua
lævam & dexteram abscessit, mollibus fastigiis,
nec angustos utrumque angulos faciat, inflectitur,
formam Scythici arcus, maximè incurvus, bre-
bus atrox, nebulosus, raris stationibus, non mol-
, neque arenoso circundatus littore, vicinus aqui-
nibus, & quia non profundus est, fluctuosus at-
ie fervens. Olim excolentium sævo admodum in-
enio Axenus, post commercio aliarum gentium
ollitis aliquantum moribus, dictus Euxinus: In eo
imum Mariandynei urbem habitant, ab Argivo
it ferunt) Hercule datam, Heraclæa vocitatur.
l famæ fidem adjecit: juxta specus est Acherusia,
l Manes (ut aiunt) pervius, atque inde extractum
erberum existimant.

 CAPUT

CAPUT XX.

PAPHLAGONIA.

TUm Tios oppidum, Milesiorum quidem colonia, sed jam soli gentisque Paphlagonum. Quorum in littoribus penè mediis, promontorium est Carambis. Citra Parthenius amnis, urbesque Sesamus, & Cronna, & à Cythoro Phrixi filio posita Cythoros: Tum Cimolis accolitur: & quæ Paphlagoniam finit Armene.

CAPUT XXI.

CHALYBES.

CHalybes proximi clarissimas habent Amyson, & Synopen, Cynici Diogenis patriam, Amnes, Halyn, & Thermodonta. Secundum Halyn urbs est Lycasto: à Thermodonte campus, in eo fuit Themiscyrum oppidum, fuere & Amazonum castra. Ideo Amazonum vocant. Tibareni Chalybas attingunt, quibus in risu lusuque summum bonum est. Ultra Carambim Mossynœci, turres ligneas subeunt, notis corpus omne persignant, propatulo vescuntur, promiscue concumbunt. Et palam reges suffragio deligunt, vinculisque & arctissima custodia tenent: atque ubi culpam prave imperando meruere, inedia diei totius afficiunt. Cæterum asperi, inculti, pernoxii appulsis: deinde minus feri. Verum & hi inconditis moribus, Macrocephali, Discheri, Buxedi. Raræ urbes, Cerasus & Trapezus maximè illustres. Inde is locus est, ubi finem ductus à Bosphoro tractus accipit, atque inde se in sinum adversi littoris flexus attollens, angustissimum Ponti facit angulum. Hic sunt Colchi. Hinc Phasis erumpit.

Hic

Hic eodem nomine quo amnis est, à Themista-ora Milesio deductum oppidum. Hic Phryxi tem-lum, & lucus, fabula vetere pellis aureæ nobilis. Iinç orti montes, longo se jugo, & donec Rhi-hæis conjungantur exporrigunt: qui altera parte in uxinum & Mœotida & Tanain, altera in Caspium elagus obversi, Ceraunii dicuntur. Iidem alicubi 'aurici, Moschi, Amazonici, Caspii, Coraxici, aucasi ut aliis aliisque appositi gentibus, ita aliis iisque dicti nominibus. At in primo flexu jam ırvi littoris oppidum est, quod Græci mercatores onstituisse, & quia cum cæca tempestate ageren-ır, ignaris quæ terræ esset, Cygni vox notam de-erat, Cygnum appellasse dicuntur. Reliqua ejus, ræ incultæque gentes, vasto mari assidentes tenent. Ielanchlæni, Coraxi, Phthirophagi, Heniochi, chæi, Cercetici. Et jam in confinio Mœotidis yndi. In Heniochorum finibus, Dioscurias, à 'astore & Polluce pontum cum Jasone ingressis: yndos, in Syndonum, ab ipsis terrarum cultori-ıs condita est. Obliqua tunc regio, & in latum odicè patens, inter Pontum paludemque ad Bos-ıorum excurrit, quæ duobus alveis in lacum & mare profluens, Corocondamam peninsulam red-t. Quatuor urbes ibi sunt, Hermonassa, Cepœ, hanagoria, & in ipso ore Cimmerium. Hac in-ressos lacus accipit longe lateque diffusus, quà rras tangit, incurvo circundatus littore, qua mari copior est (nisi ubi aperitur) quasi margine ob-ıctus, citra magnitudinem, prope Ponto si-ıilis Oram quæ à Bosphoro ad Tanaim usque eflectitur, Mæotici incolunt Toreatæ, Arrichi, hicores, & ostio fluminis proximi Iaxamathæ. .pud eos easdem artes fœminæ quas viri exer-ent, adeo, ut nè militia quidem vacent. Viri pedi-us inhærent sagittisque depugnant: illæ equestre rælium ineunt. Nec ferro dimicant, sed quos laque

laqueis intercepere, trahendo conficiunt. Nubunt tamen, verum ut nubiles habeantur, non in ætate modus est: Nisi quæ hostem interemere, virgines manent. Ipse Tanais ex Riphæo monte dejectus, adeò præceps ruit, ut cum vicina flumina, tum Mœotis & Bosphorus, tum Ponti aliqua, brumali rigore durentur, solus æstus hyememque juxta ferens, idem semper, & sublimis incitatusque decurrat. Ripas ejus Sauromatæ, & ripis hærentia possident. Una gens, aliquot populi, & aliquot nomina. Primi Mœtiti γυναικοκρατούμενοι Regna Amazonum: fœcundos pabulo, ad alia steriles nudosque campos tenent Budini. Geloni urbem ligneam habitant. Juxta Thyrsagetæ, Turcæque vastas sylvas occupant, aluntur que venando. Tum continuis rupibus, late aspera & deserta regio ad Arymphæos usque permittitur: His justissimi mores: Pro domibus nemora, alimenta baccæ, & maribus & fœminis nuda sunt capita. Sacri itaque habentur, adeoque ipsos nemo de tam feris gentibus violant, ut aliis quoque ad eos confugisse pro Asylo sit. Ultra surgit mons Rhiphæus, ultraque eum jacet ora, quæ spectat oceanum.

POMPONII MELÆ

DE SITU ORBIS, LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

SCYTHIA EUROPÆA.

ASiæ in nostrum mareTanaimque vergentis, quem dixi, finis ac situs est. At per eundem amnem in Mœotida remeantibus, ad dexteram Europa est, modo sinistro latere in navigantium apposita, ac Rhiphæis montibus (nam & huc illi pertinent) proxima cadentes assiduè nives adeo invia efficiunt, ut ultrà ne visum quidem intendentium admittant. Deindè est regio ditis admodum soli, inhabitabilis tamen: quia Gryphi sævum & pertinax ferarum genus, aurum terra penitus egestum mire amant mireque custodiunt, & sunt infesti attingentibus. Hominum primi sunt Scythæ: Scytharumque, queis singuli oculi esse dicuntur, Arimaspi. Ab eis Essedones usque ad Mœotida. Hujus flexum Hyrgis amnis secat. Agathyrsi & Sauromatæ ambiunt: quia pro sedibus plaustra habent, dicti Hamaxobitæ. Obliqua tunc ad Bosphorum plaga excurrens, Ponto ac Mœotide includitur. In paludem vergentia Satarchæ tenent. In Bosphorum Cimmericum oppida, Myrmecion, Panticapæum, Theodosia, Hermisium. In Euxinum mare, Taurici: super eos sinus portuosus, & ideo Καλὸς λιμὴν appellatus, promontoriis duobus *includitur*. Alterum, Κριοῦ μέτωπον vocant, Carembico

bico, quod in Asiæ diximus parte adversum: Parthenion alterum. Oppidum adjacet Cheronesus à Diana (si credatur) conditum, & Nymphæo specu, quod in arce ejus Nymphis sacratum est, maxime illustre. Subit tum ripam mare, & donec quinque millia passuum absit à Mœotide, refugientia usque subsequens littora, quæ Saterchæ & Taurici tenent, peninsulam reddit. Quod inter paludem, & sinum est, Taphræ nominatur. Sinus Carcinites. In eo urbs est Carcine, quam duo flumina, Gerros & Hypacyris, uno ostio effluentia attingunt: verum diversis fontibus, & aliunde delapsi. Nam Gerros inter Basilidas, & Nomadas evolvitur. Sylvæ deinde sunt, quas maximas hæ terræ ferunt, & Panticapes, qui Nomadas Georgosque disterminat. Terra tum longè distenta excedens, tenui radice littori adnectitur. Post spaciosa modice, paulatim se ipsa fastigat, & quasi in mucronem longa colligens latera, facie positi ensis allecta est. Achilles infesta classe mare Ponticum ingressus, ibi ludicro certamine celebrasse victoriam, & cum ab armis quies erat, se ac suos cursu exercitavisse memoratur, Ideo dicta est δρόμος ἀχίλλειος. Tum Borysthenes gentem sui nominis abluit, inter Scythiæ amnes amœnissimus, turbidis aliis, liquidissimus defluit, placidior quam cæteri, potarique pulcherrimus. Alit lætissima pabula magnosque pisces, quibus & optimus sapor, & nulla ossa sunt. Longe venit, ignotisque ortus è fontibus, quadraginta dierum iter alveo stringit: tantoque spacio navigabilis, secundum Borysthenida & Olbida Græca oppida egreditur. Callipidas Hypanis includit: ex grandi palude oritur, quam Matrem ejus accolæ appellant: & diu qualis natus est defluit tandem non longe à mari, ex parvo fonte cui Exampæo cognomen est, adeò amaras aquas accipit, ut ipse quoque jam sui dissimilis, & non dulcis hinc defluat. Axiaces proximus intra Callipidas Axiacasque descendit.

Hos

ɔs ab Istricis Tyra separat, surgit in Neuris: qua it, sui nominis oppidum attingit. At ille qui Scyæ populos à sequentibus dirimit, apertis in Gernia fontibus, alio quam desinit nomine exoritur. m per immania magnarum gentium diu Danus est: Deinde aliter appellantibus accolis, Ister acceptisque aliquot amnibus, ingens jam, & um qui in nostrum mare decidunt, tantum Nilo or, totidem quot ille ostiis, sed tribus tenui-, reliquis navigabilibus, effluit. Ingenia culque gentium differunt. Essedones funera paren laeti, & victimis, ac festo coitu familiarium ebrant. Corpora ipsa laniata, & cæsis pecorum eribus immista epulando consumunt. Capita ubi rè expolivere, auro cincta pro poculis gerunt. c sunt apud eos ipsos pietatis ultima officia. atyrsi ora artusque pingunt: ut quique majoripræstant: ita magis vel minus. Cæterum iis omnes notis, & sic ut ablui nequeant. Saræ auri & argenti, maximarum pestium ignari, rerum, commercia exercent. Atque ob sæva mis admodum assiduæ demersis in humum sedi-, specus aut suffossa habitant, totum braccati ous: & nisi qua vident, etiam ora vestiti. Tauri igeniæ, & Orestis adventu maxime memorati: ıanes sunt moribus, immanemque famam hat, solere pro victimis advenas cædere. Basilidis Hercule, & Echidna generis principia sunt: es regii, arma tantum sagittæ. Vagi Nomades ɔrum pabula sequuntur, atque ut illa pecori du-, ita diu statam sedem agunt. Colunt Georgi, centque agros. Axiacæ furari quid sit, ignoideoque nec sua custodiunt, nec aliena conunt. Interius habitantium ritus asperior, & ltior regio est. Bella cædesque amant, mosest bellantibus, cruorem ejus, quem primum remerunt, ipsis è vulneribus ebibere. Ut quisque plures

plures interemerit, ita aput eos habetur eximius. Cæterum expertem esse cædis, inter opprobria vel maximum. Ne fœdera quidem incruenta sunt. Sauciant se qui paciscuntur, exemptumque sanguinem, ubi permiscuere, degustant. Id putant mansuræ fidei pignus certissimum. Inter epulas, quot quisque interfecerit referre, lætissima mentio: binisque poculis, qui plurimos retulere, perpotatis interloquantur: is honos præcipuus est. Pocula ut Essedones parentum, ita inimicissimorum capitibus expoliunt. Apud Anthropophagos ipsæ etiam epulæ visceribus humanis apparantur. Geloni, hostium cutibus equos seque velant. Illos reliqui corporis, se capitum. Melanchlænis atra vestis, & ex ea nomen. Neuris statum singulis tempus est, quo si velint, in lupos, iterumque in eos qui fuere, mutentur. Mars omnium deus. Et pro simulachris enses & tentoria dedicant: hominesque pro victimis feriunt. Terræ latè patent, & ob excedentia ripas suas plerumque flumina, nusquam non ad pabula fertiles. Alicubi usque adeo steriles ad cætera, ut qui habitant, lignorum egentes, ignes ossibus alant.

CAPUT II.

THRACIA.

HIs Thracia proxima est, eaque à Pontici lateris fronte usque in Illyricos penitus immissa, quà latera agit, Istro pelagoque contingitur. Regio nec cœlo læta, nec solo: & nisi qua mari propior est, infœcunda, frigida, eorumque quæ feruntur, maligne admodum patiens. Raro usquam pomiferam arborem, vitem frequentiùs tolerat: sed nec ejus quidem fructus maturat ac mitigat, nisi ubi frigora objectu frondium cultores arcuere. Viros benignius alit, non ad speciem tamen: nam &

asper atque indecens corporum habitus est, erum ad ferociam, & numerum, ut multi immique sint, maxime ferax. Paucos amnes qui in ıgus evadunt, verum celeberrimos Hebrum, ꞁon, & Strymona emittit. Montes interior attol- Hæmon & Rodopen, & Orbelon, sacris Li- patris, & cœtu Mænadum Orpheo primum ante celebratos. E quibus Hæmus in tantum- udinis abit, ut Euxinum, & Adriam ex summo ice ostendat. Una gens Thraces habitant, aliis ꞁue præditi & nominibus, & moribus: quidam sunt, & ad mortem paratissimi, Getæ utique: varia opinio perficit. Alii rediturąs putant ani- obeuntium: Alii etsi non redeant, non extingui en, sed ad beatiora transire. Alii emori quidem, id melius esse, quam vivere. Itaque lugentur l quosdam puerperia, natique deflentur: Funera rà festa sunt, & veluti sacra, cantu, lusuque brantur. Ne fœminis quidem segnis est animus, r mortuorum virorum corpora interfici, simul- sepeliri, votum eximium habent: & quia plu- simul singulis nuptæ sunt, cujus id sit decus, l judicaturos magno certamine affectant: mori- datur, estque maximè lætum, cum in hoc con- itur, vincere. Mœrent aliæ vocibus, & cum bissimis planctibus efferunt. At quibus consolari animus est, arma opesque ad rogos deferunt, tique (ut dictitant) cum fato jacentis, si detur nanus, vel pacisci, vel decernere, ubi nec pu- , nec pecuniæ locus sit, mœrendo minus pro- Nupturæ virgines non apparentibus viris tra- tur, sed publicè aut locantur ducendæ, aut va- ıt. Utrum fiat ex specie & moribus causa est. ɔæ formosæque in precio sunt: cæteras qui ha- ıt, mercede quæruntur. Vini usus quibusdam ıtus est: epulantibus tamen ubi super ignes quos *ınsident*, quædam semina ingesta sunt, similis ebrie-

ebrietati hilaritas ex nidore contingit. In littoribus Istro proxima est Istropolis, deducta à Milesiis, deinde Galatis, & Tritonice, & portus Caria, & Tiristris promontorium, quod prætervectos alter Ponti angulus accipit, adversus Phasiaco, & nisi amplior foret, similis fuit. Hic Bizone motu terræ intercidit. Est portus Crunos: urbes, Dionysiopolis, Odessos, Messembria, Anchialos: & intimo in sinu, atque ubi Pontus alterum sui flexum angulo finit, magna Apollonia. Recta dehinc ora, nisi quod media ferme in promontorium, quod Thinniam vocant, exit, & incurvis contra se littoribus obtenditur, urbemque sustinet Halmidesson, & Phileas, & Phinopolin. Hactenus Pontus, deinde est Bosphorus, & Propontis. In Bosphoro Byzantium: in Propontide Selymbria, Perinthus: amnesque qui interfluunt Bathynis, Erginus & Atyras. Tum Rheso regnata quondam pars Thraciæ, & Bysanthe Samiorum, & ingens aliquando Cypsella. Post locus, quem Graii Μακρουτεῖχος appellant, & in radice magnæ peninsulæ sedens Lysimachia. Terra, quæ sequitur, nusquam lata, atque hic arctissima inter Hellespontum Ægæumque procurrit. Angustias Isthmon, frontem ejus Mastusiam, totam Chersonesum appellant. Ob multa memorabilis est. In ea flumen Ægos, naufragio classis Atticæ insigne. Est & Abydo objacens Sestos Leandri amore pernobilis. Est & regio in qua Persarum exercitus, divisas Hellesponti pelago terras, ausus pontibus jungere (mirum atque ingens facinus) ex Asia in Græciam pedes, & non navigata maria transgressus est. Sunt Protesilai ossa consecrata delubro. Est & portus Cœlos, Atheniensibus & Lacedæmoniis navali acie decernentibus, Laconicæ classis signatus excidio. Est Cynosema, tumulus Hecubæ, sive ex figura canis, in quam conversa traditur, sive ex fortuna in quam deciderat, humili nomine accepto. Est Macidos, est

us, quæ finit Hellespontum. Ægæum statim pe-
is vastè longum littus impellit summotasque ter-
hinc ad promontorium quod Sunium vocatur,
no ambitu, mollique circumagit. Ejus tractum
ntibus, prævectisque Mastusiam, tum sinus in-
dus est, qui alterum Chersonesi latus abluens,
o muro Macrutichus includitur, & ex fluvio,
n accipit, Melas dictus, duas urbes amplecti-
Alopeconesum, & in altero Isthmi littore si-
Cardiam. Eximia est Ænos, ab Ænea pro-
condita. Circa Hebrum Cicones. Trans eun-
Doriscos, ubi Xerxem copias suas, quia nu-
non poterat, spacio mensum ferunt. Deinde
nontorium Serrium, ex quo canentem Orphea
ta narrantur nemora, & Zone. Tum Scœnos
us, & ripis ejus adjacens Maronia. Regio ul-
r Diomedem tulit, immanibus equis manden-
solitum objectare advenas, & iisdem ab Her-
objectum. Turris, quam Diomedis vocant,
im fabulæ remanet, & urbs quam soror ejus
nomine nominavit, Abdera: sed ea magis id
orandum habet, quod Democritum Physicum
quàm quod ita condita est. Ultrà Nestos fluit,
que eum & Strymona, urbes sunt Philippi,
lonia, Amphipolis. Inter Strymonia, & Athon,
ros clara alumno, & portus Capru, urbs Acan-
& Oesyma. Inter Athon & Pallenem, Cleona
lynthos. Strymon (sicut diximus) amnis est,
que ortus, & tenuis, alienis subinde aquis fit
or, & ubi non longe à mari lacum fecit, ma-
quam venerat alveo erumpit. Athos mons est
elatus, ut credatur altius quàm unde imbres
it, surgere. Capit opinio fidem, quia de aris,
in vertice sustinet, non abluitur cinis, sed
relinquitur aggere manet. Cæterum non pro-
orio, ut alii, verum totus est, totoque longe
procedit in pelagus: qua continenti adhæret,

à Xerxe in Graios tendente perfossus, transnavigatusque, & factus freto navigabili pervius. Ima ejus tenent parvæ Pelasgorum coloniæ. In summo fuit oppidum Acroathon, in quo (ut ferunt) dimidio longior, quam in aliis terris ætas habitantium erat. Pallene solutam patentis, ut quinque urbium sedes sit atque ager, tota in altum abit, angusta satis unde incipit. Ibi est Potidæa. At ibi laxius patet, Mende, Scioneque referendæ: illa ab Eretriis, hæc ab Achivis capto Ilio remeantibus posita.

CAPUT III.

MACEDONIA.

TOt Macedonum populi, quot urbes habitant, quarum Pellam maxime illustrem alumni efficiunt, Philippus Græciæ domitor, Alexander etiam Asiæ. In littore flexus Mecybernæus inter promontoria Derrin & Canastreum, & portum qui Copos dicitur: urbes Toronen & Physcellam, atque unde ipsi nomen est, Mecybernam incingit. Canastreo promontorio Scione proxima est. Mecybernæus autem in medio qua terra dat gremium, modice in littora ingreditur. Cæterum longis in altum immissis lateribus, ingens hinc Termaicus sinus est. In eum Axius per Macedonas, & jam per Thessalos Peneus excurrit. Ante Axium Thessalonice est: inter utrumque Cassandria, Cydna, Aloros, Ichne: à Peneo Sepias, Cordynia, Meliboea, Castanea, pares ad famam, nisi quod Philoctetes alumnus Meliboeam illuminat. Terræ interiores claris locorum nominibus insignes, pene nihil ignobile ferunt. Hinc non longe est Olympus, hic Pelion, hic Ossa, montes gigantum fabula belloque memorati: hic musarum parens domusque Pieria: hic novissime calcatum Graio Herculi solum, saltus Oeteus: hic sacro ne-

more

re nobilia Tempe: hic Libethra, carminumque tes objacent. Tum jam vaste & multum pro- iens Græcia, & dum Myrthoum pelagus attin- , à septentrione in meridiem vecta, qua sol ori- , Ægæis, qua occidit, Ioniis fluctibus objacet: proxime spaciosa est Hellas nomine, grandi fronte cedit: mox mari utroque, sed Ionio magis, la- ı ejus intrante, donec quinque millia passuum pa- ; media ferme propè inciditur. Deinde rursum is huc se & illuc, verum in Ionium mare ma- expandentibus progressisque in altum, non tam quam cœperat, ingens tamen iterum & quasi insula extenditur, vocaturque Peloponnesos, ob ıs & promontoria, queis ut fibris littora ejus in- sunt, simul quod tenui tramite in latum effun- ır, platani folio simillima. In Macedonia prima Thessalia, deinde Magnesia, Phthiotis: in Græ- Doris, Locris, Phocis, Bœotis, Attis, Megaris, omnium Attis clarissima. In Peloponneso Argo- Laconice, Messenia, Achaia, Elis, Arcadia: ultrà olia, Acarnania, Epiros usque in Adriam. De s, atque urbibus, quæ mare non abluit, hæc ma- ıe memoranda sunt: in Thessalia Larissa, aliquando cos: in Magnesia Antron: in Phthiotide Phthia: Doride Pindus, & juxta situm Erineon: in Lo- le Cynos & Calliaros: in Phocide Delphi, & ns Parnassus, & Apollinis fanum atque oraculum: Bœotia Thebæ, & Cythæron fabulis carminibus- : celeberrimus: in Attide Eleusin Cereri conse- ta: & clariores quam ut indicari egeant, Athenæ. Megaride unde regioni nomen est, Megara: at in golide Argos & Mycenæ, & templum Junonis, ustate & religione percelebre. In Laconide Te- ne, Lacedæmon, Amyclæ, mons Taygetus. In ssenia Messene & Methone. In Achaia atque Eli- quondam Pisæ Oenomai, Elis & numen delu- ımque Olympii Jovis, certamine Gymnico, &

singu-

ſingulari ſanctitate, ipſo quidem tamen ſimulachro; quod Phidiæ opus eſt, maxime nobile. Arcadiam Peloponneſiacæ gentes undique incingunt. In ea ſunt urbes Pſophis, Tenea, & Orchomenon: montes Pholoe, Cyllenius, Parthenius, Mænalus: flumina, Erymanthus, & Ladon. In Ætolia Naupactos, in Acarnania Stratos, oppida. In Epiro Dodonæi Jovis templum: & fons ideo ſacer, quod cum ſit frigidus & immerſas faces ſicut cæteri extinguat, ubi ſine igne procul admoventur, accendit. At cum littora leguntur, à promontorio Sepiade per Demetriam & Boion, Phtheleon, & Echinon ad Pegaſeum ſinum curſus eſt. Ille urbem Pegaſam amplexus, amnem Sperchion accipit: & Aphetæ, quia Minyæ Colchida petentes inde Argo navem ſolvere, memoratur. Ab eo ad Sunium tendentibus illa prænaviganda, Maliacus & Opuntius, grandes ſinus, & in his cæſorum etiam Laconum trophæa, Thermopylæ, Opus, Scarphia, Cnemides, Alope, Anthedon, Larymna: Aulis, Agamemnoniæ, Graiorumque claſſis in Troiam conjurantium ſtatio: Marathon magnarum multarumque virtutum teſtis, jam inde à Theſeo Perſarum maxima clade pernotus: Rhamnus parva, illuſtris tamen, quod in ea fanum eſt Amphiarai, & Phidiaca Nemeſis. Thoricos, & Brauron olim urbes, jam tantum nomina. Sunium promontorium eſt, finitque id littus Hellados, quod ſpectat ad orientem. Inde ad meridiem terra convertitur uſque ad Megaram, Atticæ, ut modo latere, ita nunc fronte pelago adjacens. Ibi eſt Piræus Athenienſium portus: Scyronia ſaxa, ſævo quondam Scyronis hoſpitio etiam nunc infamia. Megarenſium tractus Iſthmon attingit, hoc illi cognomen eſt, quia quinque millium ſpacio Ægæum mare ab Ionio ſubmovens, anguſto tramite Helladi Peloponneſon annectit. In eo eſt oppidum Cenchreæ, fanum Neptuni: ludis, quos Iſthmicos vocant, celebres

res: Corinthos, olim clara opibus, post clade no-
or, nunc Romana colonia, ex summa arce, quam
crocorinthon appellant, maria utraque contuens.
loponnesi oram (sicut diximus) sinus & pro-
ontoria lacerant: ab oriente Bucephalos & Cher-
nesus, & Scylleon: ad meridiem Malea, Tæna-
s, Acritas, Ichthys: ad vesperum, Chelonates,
Araxos. Habitant ab Isthmo ad Scylleon Epi-
urii, Æsculapii templo inclyti, & Troëzenii, fide
cietatis Atticæ illustres: portus Saronicus, & Sche-
as & Pogonus. Oppida autem Epidaurus, & Troë-
n, & Hermiona his littoribus apposita sunt. In-
Scylleon, & Maleam Argolicus. Inter hanc &
ænaron Laconicus. Hinc ad Acritam Asinæus.
de ad Ichthyn Cyparissus. In Argolico sunt noti
nes Erasinus, atque Inachus, & notum oppidum
rne. In Laconico Gythius, & Eurotas: In ipso
enaro Neptuni templum, & specus, illi quem in
nto Acherusium diximus, facie & fabula similis.
Asinæo flumen Pamissum. In Cyparissio Alpheus,
men dedere urbes in littore sitæ: hinc Cyparis-
, illinc Asine. Messenii Pyliique terras colunt,
ipsa pelago Pylos adjacet. Cyllenæ, Callipolis,
ræ oram illam tenent, in quam Chelonates, &
axos excurrunt: sed Cyllene, quod Mercurium
natum arbitrantur, insignis. Rhion deinde (ma-
id nomen est) anguste & velut falce lacus ore
quenti incidens, inter Ætolos, & Peloponnesiacos
ue ad Isthmon irrumpit. In eo ad septentrionem
ctare littora incipiunt. In his est Ægion, &
gira, & Oluros, & Sicyon: at in adversis Pagæ,
eusis, Anticyra, Oeanthia. Cyrrha, & notior ali-
nto nomine Calidon, & Evenos. Extra Rhion
Acarnania maximè clara sunt oppidum Leucas,
nen Achelous: In Epiro nihil Ambracio sinu
ilius est; facit sinus qui angustis faucibus, &
e minus mille passibus pateant, grande pelagus

admittit. Faciunt urbes quæ assidunt, Actium, Argi, Amphilochii, Ambracia, Æacidarum regia, Pyrrhique, Butroton ultra est. Deinde Ceraunii montes: ab iis flexus in Adriam. Hoc mare magno secessu littorum acceptum, & vaste quidem in latitudinem patens, qua penetrat tamen vastius, Illyricis usque Tergestum, cætera Gallicis, Italisque gentibus cingitur. Parthini, & Dassaretæ, prima ejus tenent, sequentia Taulantii, Encheleæ, Phæaces deinde sunt quos proprie Illyricos vocant. Tum Pyriæi, & Liburni, & Istria. Urbium prima est Oricum, secunda Dyrrhachium, Epidamnos ante erat. Romani nomen mutavere, quia velut in damnum ituris, omen id visum est. Ultra sunt Apollonia, Salona, Iadera, Narona, Tragurium, sinus Polaticus & Pola, quondam à Colchis (ut ferunt) habitata, nunc Romana colonia. Amnes autem Æas & Naro, & *Danubius*, qui jam dictus est Ister: sed Æas secundùm Apolloniam, Naro inter Pyræos & Liburnos, per Istros Ister emittitur. Tergestum intimo in sinu Adriæ situm finit Illyricum.

CAPUT IV.

ITALIA.

De Italia magis quia ordo exigit, quàm quia monstrari eget, pauca dicentur, nota sunt omnia. Ab Alpibus incipit in altum excedere, atque ut procedit, mediam se perpetuo Apennini montis jugo attollens, inter Adriaticum & Thuscum, sive, ut aliter eadem appellantur, inter Superum mare & Inferum excurrit, diu solida. Verùm ubi longe abit, in duo cornua scinditur, respicitque altero Siculum pelagus, altero Ionium: tota angusta, & alicubi multo quam unde cœpit angustior. Interiora ejus aliæ, aliæque gentes habitant. Sinistra parte Carni, & Veneti colunt togatam Galliam. Tum Italici populi,

centes, Frentani, Dauni, Appuli, Calabri, Sa-
ıtini. Ad dexteram ſunt ſub Alpibus Ligures, ſub
ɔennino Hetruria. Poſt Latium Volſci, Campani,
ſuper Lucaniam Brutii. Urbium quæ procul à
ıri habitantur opulentiſſimæ ſunt, ad ſiniſtram Pa-
'ium Antenoris, Mutina, & Bononia, Romano-
n coloniæ. Ad dexteram Capua à Thuſcis, &
ıma quondam à paſtoribus condita, nunc ſi pro
teria dicatur, alterum opus. At in oris proxima
à Tergeſte Concordia. Interfluit Timavus, no-
n capitibus exurgens, uno oſtio emiſſus. Deinde
tiſo non longe à mari ditem attingit Aquileiam:
ra eſt Altinum. Superiora late occupat littora Pa-
ɛ. Namque ab imis radicibus Veſuli montis exor-
, parvis ſe primum fontibus colligit, & aliqua-
us exilis ac macer, mox aliis amnibus adeò au-
ſcit atque alitur, ut ſe per ſeptem ad poſtremum
ia effundat. Unum de iis magnum Padum appel-
t. Inde tam citus proſilit, ut diſcuſſis fluctibus
qualem emiſit undam agat, ſuumque etiam in
ri alveum ſervet, donec cum ex adverſo littore
'iæ eodem impetu profluens Iſter amnis excipiat.
c re per ea loca navigantibus, qua utrique amnes
ıt, inter marinas aquas dulcium hauſtus eſt. A
lo ad Anconam tranſitur Ravenna, Ariminum,
ıurum, Faneſtris colonia, Senegallia, flumen Me-
rus, atque Eſis, & illa in anguſto illorum duo-
n promontoriorum ex diverſo coëuntium, in-
:i cubiti imagine ſedens, ac ideo à Graiis dicta
cona, inter Gallicas Italicaſque gentes quaſi ter-
ıus inter eſt. Hanc enim prægreſſos Piceni lit-
a excipiunt: in quibus Numana, Potentia, Cla-
na, Cupra urbes: Caſtella autem Firmum, Adria,
uentum. Id à fluvio, qui præterit, ei nomen eſt.
eo Samnites maritima tenent ad Aterni fluminis
a. Urbes Bucara & Hiſtonium, Dauni autem Ti-
ıum amnem, Cliterniam, Lucrinum, Theanum,

oppida: montemque Garganum. Sinus est continuo Apulo littore incinctus, nomine Urias, modicus spacio pleraque asper accessu. Extra, Sypuntum, vel ut Graii dixere, Σίπυος: & flumen, quod Canusium attingens, Aufidum appellant. Post Barium, Egnatia, & Ennio cive nobiles Rudiæ: & in Calabria Brundusium, Valetium, Lupiæ, Hydrus mons, tum & Salentini campi, & Salentina littora, & urbs Graia, Callipolis: Hucusque Adria, hucusque Italiæ latus alterum pertinet. Frons ejus in duo quidem se cornua (sicut supra diximus) scindit, cæterum mare, quod inter utraque admisit, tenuibus promontoriis semel iterumque distinguens, non uno margine circuit, nec diffusum patensque, sed per sinus recipit. Primus Tarentinus dicitur, inter promontoria Salen, & Lacinium, in eóque sunt Tarentus, Metapontum, Heraclea, Croto, Turium. Secundus Scyllaceus, *inter* promontoria Lacinium, & Zephyrium, in quo est Petilia, Cœcinum, Scyllaceum, Mistræ. Tertius inter Zephyrium & Brutium, Consilinum, Cauloniam, Locrosque circundat. In Brutio sunt, Columna regia, Rhegium, Scylla, Taurianum, & Metaurum. Hinc in Thuscum mare deflexus est, & ejusdem terræ latus alterum Terina, Hippo nunc Vibon, Temesa, Clampetia, Blanda, Buxentum, Velia, *Palinurus*, olim Phrygii gubernatoris, nunc loci nomen, Pestanus sinus, Pæstum oppidum, Silarus amnis, Picentia, Petræ quas Sirenes habitavere, Minervæ promontorium, opima Lucaniæ loca, Sinus Puteolanus, Surrentium, Herculanæum, Vesuvii montis aspectus, Pompeii, Neapolis, Puteoli, Lacus Lucrinus, & Avernus Baiæ, Missenum, id nunc loci, aliquando Phrygii militis nomen, Cumæ, Linternum, Vulturnus amnis, Vulturnum oppidum, amœna Campaniæ littora, Sinuessa, Liris, Minturnæ, Formiæ, Fundi, Tarracina, Circes domus aliquando Circeii. Antium, Aphrodisium, Ardea, Laurentum, Ostia citra Tyberim

m in hoc latere sunt. Ultra Pyrgi, Anio, Castrum ovum, Graviscæ, Cossa, Telamon, Populonia, Cena, Pisæ, Hetrusca & loca, & nomina. Deinde Luna, igurum & Liguria, & Genua, Sabatia, & Albiunum. Tum Paulon, & Varus flumina, utraque Alpibus delapsa. Sed Varus quia Italiam finit, aliianto notior. Alpes ipsæ ab iis littoribus longe, eque diffusæ, primo ad Septentrionem magno adu excurrunt: deinde ubi Germaniam attigerunt, rso impetu in orientem abeunt, direptisque poilis immanibus, usque in Thraciam penetrant.

CAPUT V.

GALLIA NARBONENSIS.

GAllia Lemanno lacu, & Gebennicis montibus in duo latera divisa, atque altero Thuscum elagus attingens, altero Oceanum, hinc à Varo, inc à Rheno ad Pyrenæum usque promittitur. ars nostro mari apposita, fuit aliquando Braccata, unc Narbonensis magis culta, & magis consita, eoque etiam lætior. Urbium quas habet opulenfimæ sunt Vasio Vocontiorum, Vienna Allobroum, Avenio Cavarum, Arecomicorum Nemausus, olossa Tectosagum, Secundanorum Arausio, Sexnorum Arelatæ, Septumanorumque Blytera. Sed ntestat omneis Atacinorum, Decumanorumque conia, unde olim iis terris auxilium fuit, nunc & omen, & decus est Martius Narbo. In littoribus iquot sunt cum aliquibus nominibus loca, cæterum ræ urbes, quia rari portus, & omnis plaga Austro, que Africo exposita est. Nicea tangit Alpes, tangit ppidum Deceatum, tangit Antipolis. Deinde forum ulii, Octavianorum colonia. Tunc post Athenopolis, Olbia, & Glanon, & Citharistes, & Halicidon Massiliensum portus, & in eo ipsa Massilia. Hæc à Phoce

ceis oriunda, & olim inter asperas posita, nunc ut pacatis ita dissimillimis tamen vicina gentibus. Mirum quam facile & tunc sedem alienam ceperit, & adhuc morem suum teneat. Inter eam & Rhodanum maritima Avaticorum stagno assidet fossa Mariana, partem ejus amnis navigabili alveo effundit, alioquin littus ignobile est Lapideum (ut vocant) in quo Herculem contrà Albionem, & Bergiona Neptuni liberos dimicantem, cum tela defecissent ab invocato Jove adjutum imbre lapidum ferunt: credas pluisse, adeo multi passim, & late jacent. Rhodanus non longe ab Istri, Rhenique fontibus surgit. Deinde Lemano lacu acceptus tenet impetum, seque per medium integer agens, quantus venit, egreditur. Inde contra in occidentem ablatus, aliquandiu Gallias dirimit. Post cursu in meridiem abducto hac intrat, accessuque aliorum amnium jam grandis, & subinde grandior, inter Volcas, & Cavaras emittitur. Ultra sunt stagna Volcarum. Ledum flumen, castellum Latara, Mesua collis incinctus mari pene undique, ac nisi quod angusto aggere continenti annectitur, insula. Tum ex Gebennis dimissus Arauraris juxta Agatham, secundum Blyteras Obris fluit. Atax ex Pyrenæo monte digressus, qua sui fontis aquis venit, exiguus, vadosusque est, & ingenti se alioquin alveo tenens, nisi ubi Narbonem attingit, nusquam navigabilis sed cum hybernis intumuit imbribus, usque eo solitus insurgere, ut se ipse non capiat. Lacus accipit eum Rubresus nomine, spaciosus admodum, sed qua mare admittit, tenuis aditu. Ultra est Leucata littoris nomen & Salsusæ fons non dulcibus, sed falsioribus, quam marinæ sint, aquis defluens. Juxta campus minuta arundine, gracilique perviridis, cæterum stagno subeunte suspensus. Id manifestat media pars ejus, quæ abscissa proximis, velut insula natat, pellique se atque attrahi patitur, quin & ex iis quæ ad

imum

imum perfossa sunt, suffusum mare ostenditur. Unde Graiis, nostrisque etiam auctoribus, verine ignorantia, an prudentibus etiam mendacii libidine, visum est tradere posteris, in ea regione piscem è terra penitus erui, qui ubi ex alto hucusque penetravit, per ea foramina ictu captantium interfectus extrahitur. Inde est ora Sardonum & parva flumina Thelis & Thicis, ubi accrevere persæva, colonia Ruscino, vicus Eliberri magnæ quondam urbis, & magnarum opum tenue vestigium. Tum in Pirenæi promontorio templum Veneris & in sinu salso, & Cervaria locus, finis Galliæ.

CAPUT VI.

HISPANIA.

PYrenæus primo hinc in Britannicum procurrit oceanum, tum in terras fronte conversus, Hispaniam irrumpit, & minore ejus parte ad dexteram exclusa trahit perpetua latera continuus, donec per omnem provinciam longo limite immissus, in ea littora quæ occidenti sunt adversa, perveniat. Ipsa Hispania, nisi qua Gallias tangit, pelago undique incincta est: ubi illis adhæret, maximè angusta, paulatim se in nostrum mare & oceanum extendit, magis, magisque latior ad occidentem abit, ac fit ibi latissima. Viris, equis, ferro, plumbo, ære, argento, auroque etiam abundans, & adeò fertilis, ut sicubi ob penuriam aquarum effœta, & sui dissimilis est, linum tamen aut spartum alat. Tribus autem est distincta nominibus, parsque ejus Tarraconensis, pars Betica, pars Lusitania vocatur. Tarraconensis altero capite Gallias, altero Beticam, Lusitaniamque contingens, mari latera objicit nostro, qua meridiem, quà septentrionem spectat, Oceano: Illas fluvius Anas separat, & ideo Betica, maria utraque prospicit, ab occidente Atlanticum, à meridie nostrum Lusitania oceano tantum-

modo objecta est, sed latera ad septentriones, fronte ad occasum. Urbium de mediterraneis in Tarraconensi clarissimæ fuerunt Pallantia & Numantia, nunc est Cesaraugusta: in Lusitania, Emerita: in Betica, Astigi, Ispalis, Corduba: at si littora legas, à Cervaria proxima est rupes, quæ in altum Pyrenæum extrudit. Dein Thicis flumen, ad Rhodam: Clodianum ad Emporia. Tum mons Jovis, cujus partem occidenti adversam, eminentia cautium, quæ inter exigua spacia ut gradus subinde consurgunt, Scalas Annibalis appellant. Inde ad Tarraconem parva sunt oppida, Blanda, Illuro, Betullo, Barchino, Subur, Tholobi: parva flumina, Betullo juxta Jovis montem, Rubricatum in Barchinonis littore inter Subur & Tholobin majus. Tarraco urbs est in his oris maritimarum opulentissima. Tulcis eam modicus amnis subit, ingens Iberus Dertosam attingit. Inde se in terras pelagus insinuat, & primum magno impetu admissum, mox in duos sinus promontorio, quod Ferrariam vocant, finditur, prior Sucronensis dicitur, major hic & magno satis ore pelagus accipiens, & quo magis penetratur, angustior, Serabim, & Duriam, & Sucronem non magna excipit flumina: urbes complexus, & alias quidem, sed notissimas Valentiam & Saguntum illam, fide, & ærumnis inclytam. Sequens Illicitanus Alonem habet, & Lucentiam, & unde ei nomen est Illicen. Hic jam terræ magis in altum eunt, latioremque quam fuerat Hispaniam faciunt, verum ab iis quæ dicta sunt, ad principia Beticæ, præter Carthaginem, quam dux Pænorum Asdrubal condidit, nihil referendum est. In illis oris ignobilia sunt oppida, & quorum mentio tantum ad ordinem pertinet. Virgi in sinu quem Virgitanum vocant. Extra Abdera, Suel, Hexi, Menoba, Malaca, Salduba, Lacippo, Berbesul. Aperit deinde angustissimum pelagus, & proxima inter se Europæ, atque Africæ littora montes efficiunt,

ut

initio diximus, columnæ Herculis Abyla & Calpe: ɜrque quidem, ſed Calpe magis, & penè totus in ıre prominens. Is mirum in modum concavus, ab parte qua ſpectat occaſum, medium ferè latus ɜrit, atque inde egreſſis, totus admodum pervius, ɔpe quantum patet ſpecus eſt, ſinus ultra eſt, in que Cartheia (ut quidam putant) aliquando Tarſos, & quam tranſvecti ex Africa Phœnices haant: atque unde nos ſumus ex gente ea. Tum ɜllaria, & Bello, Beſippo uſque ad Junonis promontorium oram freti occupant. Illud jam in occiıtem & oceanum obliquo jugo excurrens, atque quod in Africa Ampeluſiam eſſe dixeramus ad:ſum, qua noſtra maria ſunt, finit Europen.

CAPUT VII.

MEDITERRANEI MARIS INSULÆ.

Ades inſula, quæ egreſſis fretum obvia eſt admonet ante reliquas dicere, quàm in oceani ɔra terrarumque circuitum, ut initio promiſimus, tio excedat. Paucæ ſunt in Mœotide (inde enim etur commodiſſimum incipere) neque omnes tan incoluntur: nam nec pabula quidem large feıt. Hac re habitantibus caro magnorum piſcium ɜ ſiccata, & in pulverem uſque contuſa, pro farre Paucæ & in Ponto. Leuce Boryſthenis oſtio ecta, parva admodum, & quod ibi Achilles ſitus, Achillea cognomine. Non longe accolitur Aria, ɛ Marti ſacrata (ut fabulis traditur) tulit aves n ſumma clade advenientium, pennas quaſi tela ulantes. Sex ſunt inter Iſtri oſtia, ex iis Peuce iſſima & maxima. Thymnias Mariandynorum ſius proxima, urbem habet, qua quia Bythini inunt, Bithynida appellant. Contra Thracium Boſɔrum duæ parvæ, parvoque diſtantes ſpatio, & ali-

aliquando creditæ, dictæque concurrere, & Cyaneæ vocantur, & Symplegades. In Propontide tantum Proconesos habitatur. Extra Hellespontum earum quæ Asiaticis regionibus adjacent, clarissimæ sunt Tenedos Sigæis adversa littoribus, & quo dicentur ordine, ad promontorium Tauri montis expositæ, quas quidam dici putavere Macaron, sive quod fortunati admodum cæli solique sunt, sive quod eas suo, suorumque regno Macar occupaverat. In Troade Lesbos, & in ea quinque olim oppida Antissa, Pyrrha, Eressos, Cirava, Mitylene. In Ionia Chios, & Samos. In Caria, Cos. In Lycia, Rhodos. In illis singulæ sunt iisdem nominibus urbes. In Rhodo tres quondam erant, Lindos, Camiros, Ialysos: Quæ contra Tauri promontorium importunæ navigantibus objacent, Chelidoniæ nominantur. In sinu quem maximum Asia recipit propè medio Cyprus ad ortum occasumque se immittens, recto jugo inter Ciliciam Siriasque porrigitur ingens, ut quæ aliquando novem regna ceperit, & nunc aliquot urbes ferat, quarum clarissimæ Salamis, & Paphos & quo primum ex mari Venerem egressam accolæ affirmant, Palæpaphos. Arados etiam in Phœnice est parva, & quantum patet tota oppidum, frequens tamen, quia etiam super aliena tecta sedem ponere licet: parva & Canopos, Nili ostio, quod Canopicum vocant, obvia est. Menelai gubernator Canobus ibi forte moriens, nomen insulæ, illa ostio dedit. Pharos Alexandriæ nunc ponte conjungitur, olim ut Homerico carmine proditum est, ab eisdem oris cursu diei totius abducta: & si ita res fuit, videri potest conjectantibus in tantum mutatæ causas Nilum præbuisse, dum limum subinde, & præcipuè cum exundaret littori anectens, auget terras, spaciumque augescentium in vicina vada promovet. In Africa contra majorem Syrtim Cuteletos: contra minoris promontoria Meninx & Cercinna: contra Carthaginis sinum, Tari-

chiæ

hiæ & Ægathes, Romana clade memorabiles. Plu-
es Europæ littoribus sunt appositæ. In Ægeo mari
rope Thraciam Thasos, Imbros, Samothrace, Scan-
ille, Polyægos, Scyathos, Halonesos: & quam ali-
uando, omnibus qui mares erant cæsis, tantum fœ-
iinæ tenuisse dicuntur, Atho monti Lemnos, ad-
ersa. Pagaseus sinus Scyathon prospicit, Cicyneton
nplectitur. Eubœa ad meridiem promontorium Ge-
elton & Caphareum: ad septentrionem Cœneum
ctrudit, & nusquam lata, duum millium spacium ha-
et ubi arctissima est, cæterum longa, totique Bœo-
æ apposita, angusto freto distat à littore. Euripon
ocant rapidum mare, & alterno cursu septies die
: septies nocte fluctibus invicem versis, adeò im-
iodice fluens, ut ventos etiam, ac plenis velis na-
gia frustretur. Aliquot in ea sunt oppida, Hestiæa,
retria, Pyrrha, Nesos, Oechalia, verum opulen-
ssimæ Carystos & Chalcis. In Attide Helene est
ota stupro Helenæ, & Salamis excidio classis Persicæ
otior. Circa Peloponneson etiam nunc in Ægeo
hitiusa, & Ægina Epidaurico littori proxima, Troë-
enio Calauria inter ignobiles alias leto Demosthenis
obilis. In Myrthoo Cythera contra Maleam emissa,
: Ænusa contra Acritam. In Ionio Prote, Hyria,
ephalenia, Nericos, Same, Zacynthos, Dulychium,
: inter non ignobiles Ulyssis nomine Ithaca maximè
ustris. In Epiro Echinades, & Strophades, olim
lotæ: contra Ambracium sinum Leucadia, & vicina
driatico mari Corcyra: hæ Thracum, Graiorum-
ue terris objacent: At interius Melos, Olearos,
Ægiala, Cathon, Ios, Thera, Gyaros, Hippuris,
ionyssa, Cianos, Chalcis, Icaria, Pinaria, Nisy-
os, Lebinthos, Calydnæ, Asine: hæ quia dispersæ
nt, Sporades: ab eis Sicynus, Hypanos, Cythnos,
phnos, Seriphos, Rhene, Paros, Scyros, Tenos,
lyconos, Naxos, Delos, Andros, quia in orbem
cent, *Cyclades* dictæ sunt. Super eas jam in me-
diç

dio mari ingens, & centum quondam urbibus habitata Crete, ad orientem promontorium Samonium, ad occidentem Κριοῦ μέτωπον immittit, nisi major esset, Cypro similis, multis famigerata fabulis, adventu Europæ, Pasiphaes & Ariadnæ amoribus, Minotauri feritate fatoque, Dædali operibus & fuga, tum statione atque morte, maxime tamen eo quòd ibi sepulti Jovis pene clarum vestigium sepulchrum est, cui nomen ejus insculptum esse accolæ ostendunt. Urbium notissimæ Gnosus, Gortyna, Lyctos, Lycastos, Holopixos, Phæstos, Cydon, Manethusa, Dictynna. Inter colles quod ibi nutritum Jovem accepimus, fama Idæi montis excellit. Juxta est Astipalea, Naumachos, Zephyre, Crise, Gaudos, & quas Musagoros numero tres uno tamen vocabulo appellant: atque unde Carpathio mari cognomen est Carpathos. In Adria Absoros, Celaduse, Absyrtis, Issa, Trocones, Hydria, Electrides, nigra Corcyra, Tragurium, Diomedia, Æstria, Asine, atque ut Alexandriæ, ita Brundusio adjacens Pharos. Sicilia (ut ferunt) aliquando continens, & agro Brutio annexa: post freto maris Siculi abscissa est. Id angustum & anceps alterno cursu modo in Thuscum, modo in Ionium pelagus perfluit, atrox, sævum & Scyllæ Charibdisque sævis nominibus inclytum. Scylla saxum est: Carybdis mare, utrumque noxium appulsis: ipsa ingens & tribus promontoriis in diversa procurrens. Græcæ literæ imaginem, quæ Delta dicitur, efficit. Pachynum vocatur quod Græciam spectat: Lilybæum quod in Africam: Pelorum, quod in Italiam vergens Scyllæ adversum est: causa nominis Pelorus gubernator ab Annibale ibidem conditus, quem idem vir profugus ex Africa, ac per ea loca Syriam petens, quia procul intuenti videbantur continua esse littora, & non pervium pelagus, proditum se arbitratus, occiderat

at. Ab eo ad Pachynum ora quæ extenditur Ionium mare attingens, hæc fert illustria, Messanam, Taurominium, Catinam, Megarida, Syracusas, & in iis mirabilem Arethusam: fons est, n quo visuntur jacta in Alphæum amnem, ut liximus, Peloponnesiaco littori infusum: unde ille reditur non se consociare pelago, sed subter maia terrasque depressus, huc agere alveum, atque ic se rursus extollere. Inter Pachynum & Lilyeum Acragas est, Heraclea, & Thermæ. Inter Lilybeum & Pelorida Panormus, & Hymera. Interius vero Leontipi, Centuripinum, & Hybla, liæque complures. Famam habet ob Cereris templum Enna præcipuam montium. Eryx maxime menoratur ob delubrum Veneris ab Æneа conditum. Et Ætna quæ Cyclopas olim tulit, nunc assiduis gnibus flagrat. De amnibus Hymera referendus, quia in media admodum ortus, in diversa decurrit, scindensque eam utrinque, alio ore in Libycum, alio in Thuscum mare devenit. Circa Siciliam in Siculo freto est Acæe, quam Calypso habitasse dicitur. Africam versus Gaulos, Melita, Cosura, propius Italiam Galata, & illæ septem quas Acoli appellant, Osteodes, Lipara, Didyme, Phœnicusa, Ericusa, Hiera, & Strongyle, ut Ethna perpetuo flagrant igne. At Pithecusa, Leucothea, Ænaria Sinonia, Capreæ, Prochyta, Ponæ, Pandataria, Phytonia, Parmaria, Italico laeri citra Tyberina ostia objacent. Ultra aliquot unt parvæ, Dianium, Iginium, Carbania, Urgo, Ilua, Capraria. Duæ grandes, fretoque divisæ Etrusco, quarum Corsica littori propior inter latera tenuis & longa, præter quàm ubi Aleria, & Marianæ coloniæ sunt, à Barbaris colitur.

Sardinia Africum pelagus attingens, nisi quod n occidentem quam in orientem angustius spectat, par & quadrata undique, & nusquam non aliquanto

spacio-

ſpacioſior quàm ubi latiſſima eſt Corſica. Cæterum fertilis, & ſoli quam cœli melioris, atque ut fœcunda ita penè peſtilens. In ea antiquiſſimi populorum ſunt Ilienſes. Urbium antiquiſſimæ Calaris, & Sulchi. At in Gallia, quas referre conveniat, ſolæ ſunt Stœchades, ab ora Ligurum ad Maſſiliam uſque diſperſæ. Baleares in Hiſpania contra Tarraconenſia littora ſitæ, non longe inter ſe diſtant, & ex ſpacio ſuo cognominibus acceptis, Majores, Minoreſque perhibentur. Caſtella ſunt in minoribus Iamno, & Mago: in majoribus Palma, & Polentia coloniæ. Ebuſos è regione promontorii, quod in Sucronenſi ſinu Ferrariam vocant, eodem nomine urbem habet, frumentis tantum non fœcunda, ad alia largior, & omnium animalium quæ nocent, adeò expers, ut nec ea quidem quæ de agreſtibus mitia fiunt, aut generet, aut ſi invecta ſunt, ſuſtineat. Contra eſt Colubraria, cujus meminiſſe ſuccurrit, quòd cum ſcateat multo ac malefico genere ſerpentum, & ſit ideo inhabitabilis, tamen ingreſſis eam, intra id ſpacium, quod Ebuſitana humo circumſignaverunt, ſine pernicie tuta eſt, iiſdem illis ſerpentibus, qui ſolent obvios appetere, aſpectum ejus pulveris, aliudve, procul, & cum pavore fugientibus.

POMPONII MELÆ DE SITU ORBIS, LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

EXTIMA HISPANIÆ LITTORA.

DIcta est ora nostri maris, dictæ insulæ quas am-
plectitur, restat ille circuitus, quem (ut initio
ximus) cingit oceanus, ingens & infinitum pela-
s, & magnis æstibus concitum (ita enim motus
is appellant) modo inundat campos, modò latè
dat, ac refugit, nec alios aliosque invicem, ne-
e alternis accessibus nunc in hos, nunc in illos
petu versum: sed ubi in omnia littora, quamvis
ersa, terrarum, insularumque ex medio pariter
usum est, rursus ab illis colligitur in medium, &
semetipsum redit, tanta vi semper immissum, ut
sta etiam flumina retroagat, & aut terrestria de-
ehendat animalia, aut marina destituat: neque ad-
c satis cognitum est, anhelitu ne suo id mundus
iciat, retractamque cum spiritu regerat undam
dique, si (ut doctioribus placet) unum animal
: an sint depressi aliqui specus, quò reciproca
aria residant, atque inde se rursus exuberantia
ollant: an luna causas tantis meatibus præbeat,
ortus certe ejus occasusque variantur, neque eo-
m assiduè tempore, sed ut illa surgit ac demer-
tur, ita recedere atque adventare comperimus.
uc egressos, sequentesque ea quæ exeuntibus dex-

tra

tra sunt, æquor Atlanticum, & ora Beticæ frontis excipit, quæ nisi quod semel iterumque paululum in semet abducitur, usque ad flumen Anam penè recta est: Turduli & Bastuli habitant. In proximo sinu portus est quem Gaditanum, & lucus quem Oleastrum appellant. Tum castellum Ebora in littore, & procul à littore Asta colonia: extra, Junonis ara, templumque est. In ipso mari monimentum Geryonis, scopulo magis quàm insulæ impositum. Betis ex Tarraconensi regione demissus, per hanc ferè mediam diu sicut nascitur, uno amne decurrit: post ubi non longè à mari grandem lacum facit, quasi ex uno fonte geminus exoritur: quantusque simplici alveo venerat, tantus singulis effluit. Tum sinus alter, usque ad finem provinciæ inflectitur, eumque parva oppida Olitingi, Onoba contingunt. At Lusitania trans Anam, quà mare Atlanticum spectat, primum ingenti impetu in altum abit, deinde resistit, ac se magis etiam quàm Betica abducit: qua prominet, bis in semet recepto mari, in tria promontoria dispergitur. Anæ proximum, quia lata sede procurrens, paulatim se ac sua latera fastigiat, Cuneus ager dicitur, sequens sacrum vocant: Magnum quod ulterius est. In Cuneo sunt Mirtylis, Balsa, Ossonoba. In *Sacro Lacobriga*, & portus Annibalis. In magno Ebora. Sinus intersunt, & est in proximo Salacia. In altero Ulyssipo, & Tagi ostium, amnis aurum gemmasque generantis. Ab iis promontoriis ad illam partem, quæ recessit, ingens flexus aperitur. In eoque sunt Turduli veteres, Turdulorumque oppida: amnes autem Monda in medium fere ultimi promontorii latus effluens, & radices ejusdem abluens Durius. Frons illa aliquandiu rectam ripam habet, deinde modico flexu accepto, mox paulùm eminet: tum reducta iterum, iterumque recto margine jacens, ad promontorium, quod Celticum vocamus, extenditur:

totam

otam Celtici colunt, ſed à Durio ad flexum Gro-
ii: fluuntque per eos Avo, Celandus, Nebis,
Minius, & cui oblivionis cognomen eſt Limia. Fle-
us ipſe Lambriacam urbem amplexus recipit flu-
ios, Iernam & Viam. Partem, quæ prominet,
'ræſamarci habitant: perque eos Tamaris & Sars,
umina non longe orta decurrunt. Tamaris ſecun-
um Arotebrarum portum: Sars juxta turrem Au-
uſti titulo memorabilem: cætera ſuper Tamarici,
Ieriique incolunt in eo tractu ultimi. Hactenus
nim ad occidentem verſa littora pertinent: deinde
d ſeptentriones toto latere terra convertitur à Cel-
co promontorio ad Scythicum uſque. Hinc per-
etua ejus ora, niſi ubi modici receſſus, ac parva
romontoria ſunt, ad Cantabros penè recta eſt. In
a primùm Artabri ſunt, etiam nunc Celticæ gentis;
einde Aſtures. In Artabris ſinus ore anguſto ad-
iſſum mare non anguſto ambitu excipiens Adro-
cum urbem, & quatuor amnium oſtia incingit:
uo etiam inter accolentes ignobilia ſunt: per alia
uo Mearus exit, & Narius ad Libuncam. In Aſturum
tore Nœga eſt oppidum, & tres Aræ quas Seſtianas
ocant, in peninſula ſedent, & ſunt Auguſti nomine ſa-
æ, illuſtrantque terras ante ignobiles. At ab eo flu-
ine, quod Saliam vocant, incipiunt oræ paulatim
cedere, & latæ adhuc Hiſpaniæ magis magiſque ſpa-
a contrahere, uſque adeò ſemet terris anguſtantibus,
earum ſpacium inter duo maria dimidio minus ſit
ua Galliam tangunt, quàm ubi ad occidentem littus
xporrigunt. Tractum Cantabri & Varduli tenent.
antabrorum aliquot populi, amneſque ſunt, ſed
iorum nomina noſtro ore concipi nequeant: per
oſdem & Salenos, Saurium: per Autrigones, & Ori-
eviones quoſdam Neſua deſcendit: Deva Tritium
obolicum attingit: deinde Iturisſam & Eaſonem Ma-
ada. Varduli una gens, hinc ad Pyrenæi jugi pro-
ontorium pertinens, claudit Hiſpanias.

CAPUT II.

EXTIMA GALLIARUM ORA.

SEquitur Galliæ latus alterum, cujus ora primò nihil progressa in altum, mox tantundem penè in pelagus excedens, quantum retro Hispania abscesserat, Cantabricis fit adversa terris, & grandi circuitu inflexa, ad occidentem littus advertit. Tunc ad septentriones conversa, iterum longo rectoque tractu ad ripas Rheni amnis expanditur. Terra est frumenti præcipuè, & pabuli ferax, & amœna lucis immanibus, quicquid ex satis frigoris impatiens est, ager nec ubique alit, & noxio genere animalium minime frequens. Gentes superbæ, superstitiosæ, aliquando etiam immanes adeò, ut hominem optimam, & gratissimam diis victimam crederent; manent vestigia feritatis jam abolitæ, atque ut ab humanis cædibus temperant, ita nihilominus ubi devotos altaribus admonere, delibant: habent tamen & facundiam suam magistrosque sapientiæ Druidas. Hi terræ, mundique magnitudinem, & formam, motus cœli & syderum, ac quid dii velint, scire profitentur: docent multa nobilissimos gentis clàm & diu vicenis annis in specu, aut in abditis saltibus. Unum ex iis quæ præcipiunt, in vulgus effluit, videlicet, ut forent ad bella meliores, æternas esse animas, vitamque alteram ad Manes.. Itaque cum mortuos cremant ac defodiunt, apta viventibus olim negociorum ratio, etiam & exactio crediti deferebatur ad inferos. Erantque qui se in rogos suorum, velut una victuri libenter immitterent. Regio quam incolunt omnis comata Gallia. Populorum tria summa nomina sunt, terminanturque fluviis ingentibus. Nam à Pyrenæo ad Garumnam, Aquitania: ab eo ad Sequanam, Celtæ: inde ad Rhenum pertinent Belgæ. Aquitanorum cla-

clarissimi sunt Ausci: Celtarum Hedui: Belgarum Treveri: urbesque opulentissimæ, in Treveris Augusta: in Heduis, Augustudunum: in Auscis, Eluaberris. Garumna ex Pyrenæo monte delapsus, nisi cum hyberno imbre aut solutis nivibus intumuit, diu vadosus, & vix navigabilis fertur. At ubi obvius oceani exæstuantis accessibus adauctus est, iisdemque retro remeantibus suas illiusque aquas agit, aliquantum plenior, & quanto magis procedit, eò latior fit, ad postremum magni freti similis, nec majora tantum navigia tolerat, verum etiam more pelagi sævientis exurgens, jactat navigantes, atrociter utique, si alio ventus, alio unda præcipitat. In eo est insula Antros nomine, quam pendere & attolli aquis increscentibus ideo incolæ existimant, quia cum videantur editiora quis objacet, ubi se fluctus implevit, illa operit, hæc ut prius tantum ambitur, & quod ea quibus ante ripæ collesque ne cernerentur obstiterant, tunc velut ex loco superiore perspicua sunt. A Garumnæ exitu latus illud incipit terræ procurrentis in pelagus, & ora Cantabricis adversa littoribus, aliis aliisque populis media ejus habitantibus, ab Santonibus ad Osismios usque deflexa. Ab illis enim iterum ad septentriones frons littorum respicit, pertinentque ad ultimos Gallicarum gentium Morinos, nec portu, quem Gesoriacum vocant, quicquam habent notius. Rhenus ab Alpibus decidens, propè à capite duos lacus efficit, Venetum & Acronium. Mox diu solidus, & certo alveo lapsus, haud procul à mari huc & illuc dispergitur, sed ad sinistram amnis etiam tum & donec effluat Rhenus, ad dexteram primo angustus & sui similis: post ripis longè ac late recedentibus, jam non amnis, sed ingens lacus, ubi campos implevit, Flevo dicitur, ejusdemque nominis insulam amplexus, fit iterum arctior, iterumque fluvius emittitur.

CAPUT III.

Germania.

GErmania hinc ripis ejus usque ad Alpes, à meridie ipsis Alpibus: ab oriente Sarmaticarum confinio gentium: quà septentrionem spectat oceani littore obducta est. Qui habitant, immanes sunt animis atque corporibus, & ad insitam feritatem vaste utraque exercent, bellando animos, corpora ad consuetudines laborum: maximo frigore nudi agunt: antequam puberes sint, & longissima apud eos pueritia est, viri sagis velantur, aut libris arborum, quamvis sæva hyeme, nandi non patientia tantum illis, studium etiam est: bella cum finitimis gerunt, causas eorum ex libidine accersunt, neque imperitandi prolatandique, quæ possident (nam ne illa quidem enixe colunt) sed ut circa ipsos quæ jacent vasta sint. Jus in viribus habent, adeò ut ne latrocinii quidem pudeat, tantum hospitibus boni, mitesque supplicibus: victu ita asperi incultique, ut cruda etiam carne vescantur, aut recenti, aut cum rigentem in ipsis pecudum ferarumque coriis manibus pedibusque subigentes renovarunt. Terra ipsa multis impedita fluminibus, multis montibus aspera, & magna ex parte sylvis ac paludibus invia. Paludum Suesia, Mesia, & Melliagum maximæ. Sylvarum Hercynia, & aliquot sunt quæ nomen habent, sed illa dierum sexaginta iter occupans, ut major aliis, ita & notior. Montium altissimi Taurus & Rhetico, nisi quorum nomina vix est eloqui ore Romano. Amnium in alias gentes exeuntium Danubius, & Rhodanus: in Rhenum Mœnus & Lupia: in Oceanum Amisius, Visurgis, & Albis clarissimi. Super Albin Codanus ingens sinus magnis parvisque insulis refertus est: hac re mare quod gremio littorum accipitur, nusquam late patet, nec usquam

mari

mari ſimile, verum aquis paſſim interfluentibus ac ſæpe tranſgreſſis, vagum atque diffuſum facie amnium ſpargitur, qua littora attingit, ripis contentum inſularum non longe diſtantibus, & ubique pene tantundem, ut anguſtum & par freto, curvanſque ſubinde ſe, longo ſupercilio inflexum eſt. In eo ſunt Cymbri, & Teutoni: ultra ultimi Germaniæ Hermiones.

CAPUT IV.

SARMATIA.

SArmatia intus quam ad mare latior, ab iis quæ ſequuntur Viſula amne diſcreta, qua retro abit uſque ad Iſtrum flumen immittitur: gens habitu armiſque Parthicæ proxima, verum ut cœli aſperioris, ita ingenii, non ſe urbibus tenet, & ne ſtatis quidem ſedibus, ut invitavere pabula, ut cedens & ſequens hoſtis exigit, ita res opeſque ſecum trahens, ſemper caſtra habitat, bellatrix, libera, indomita, & uſque eo immanis atque atrox, ut fœminæ etiam cum viris bella ineant: atque ut habiles ſint, natis ſtatim dextra aduritur mamma, ut inde expedita in ictus manu, quæ egeritur, virile fiat pectus: arcus tendere, equitare, venari, puellaria penſa ſunt: ferire hoſtem adultarum ſtipendium eſt, adeo ut non percuſſiſſe, pro flagitio habeatur, ſitque eis pœna virginitas.

CAPUT V.

SCYTHIA.

INde Aſiæ confinia, niſi ubi perpetuæ hyemes ſedent, & intolerabilis rigor, Scythici populi incolunt, fere omnes etiam in unum Sagæ appellati. In Aſiatico littore primi Hyperborei ſuper aquilonem Rhiphæoſque montes ſub ipſo ſyderum cardine ja-

cent, ubi sol non quotidie, ut nobis, sed primum verno æquinoctio exortus, autumnali demum occidit, & ideo sex mensibus dies, & totidem aliis nox usque continua est. Terra angusta, aprica, per se fertilis, cultores justissimi, & diutius quam ulli mortalium & beatius vivunt. Quippe festo semper ocio læti non bella novere, non jurgia, sacris operati maxime Apollinis, quorum primitias Delon misisse initio per virgines suas, deinde per populos subinde tradentes ulterioribus: moremque eum diu, & donec vitio gentium temeratus est, servasse referuntur. Habitant lucus sylvasque, & ubi eos vivendi satietas, magisque tædium cœpit, hilares redimiti sertis semet ipsi in pelagus ex certa rupe præcipites dant. Id eis funus eximium est. Mare Caspium ut angusto, ita longo etiam freto primum terras, quasi fluvius, irrumpit: atque ubi recto alveo influxit, in tres sinus diffunditur, contra os ipsum in Hyrcanum, ad sinistram in Scythicum, ad dexteram in eum quem propriè & totius nomine Caspium appellant, omne atrox, sævum, sine portibus, procellis undique expositum, ac belluis magis quam cætera refertum: & ideo minus navigabile. Ad introeuntium dextram Scythæ Nomades freti littoribus insident. Intus sunt ad Caspium sinum Caspii, & Amazones, sed quas Sauromatidas appellant: ad Hyrcanum Albani, & Moschi, & Hyrcani: in Scythico Amardi, & Pæsici, etiam ad fretum Derbices. Multi in eo sinu magni, parvique amnes fluunt: sed qui famam habent, ex Cerauniis montibus uno alveo descendit, duobus exit in Caspium Rha. Araxes Tauri latere demissus quo ad campos Armeniæ secat, labitur placidus & silens, neque in utram partem eat, quamquam intuearis, manifestum: cum in asperiora devenit, hinc atque illinc rupibus pressus, & quanto angustior, tanto magis pernix, frangit se subinde ad opposita cautium, atque ob id ingenti cum

mur-

murmure, sonansque devolvitur adeò citus, ut qua ex præcipiti casurus est, in subjectam non declinet statim undam, sed ultra quam canalem habet, evehat, plus jugeris spatio sublimis, & aquis pendentibus semetipsum sine alveo ferens: deinde ubi incurvus, arquatoque amne descendit, sit tranquillus iterumque per campos tacitus, & vix fluens in id littus elabitur. Cyrus & Cambyses ex radicibus Coraxici montis vicinis fontibus editi, & in diversa abeunt: perque Iberas, & Hyrcanos diu & multum distantibus alveis defluunt: post non longe à mari eodem lacu accepti, in Hyrcanum sinum uno ore perveniunt. Iaxartes, & Oxos per deserta Scythiæ ex Sogdianorum regionibus in Scythicum exeunt: ille suo fonte grandis, hic incursu aliorum grandior, & aliquandiu ad occasum ab oriente currens, juxta Dahas primum inflectitur: cursuque ad septentrionem converso, inter Amardos & Pæsicas os aperit. Sylvæ, alia quoque dira, animalia verum & Tigres ferunt, utique Hyrcaniæ sævum ferrarum genus, & usque eo pernix, ut illis longe quoque progressum equitem consequi, nec tantum semel, sed aliquoties etiam cursu unde cœperit subinde repetito, solitum & facile sit. Causa ex eo est, quod ubi ille interceptos earum cetulos citus cæpit avehere, rabiem appropinquantium frustraturus, astu unum de pluribus omittit, hæ projectum accipiunt, & ad cubilia sua referunt, rursumque & sæpius remaneant, atque idem efficiunt, donec ad frequentiora, quàm adire audeant, profugus raptor evadat. Ultra Caspium sinum quidnam esset, ambiguum aliquandiu fuit: idemne oceanus, an tellus infesta frigoribus sine ambitu, ac sine fine projecta. Sed præter Physicos, Homerumque qui universum orbem mari circumfusum esse dixerunt, Cornelius Nepos, ut recentior auctoritate, sic certior tradit: testem autem rei Qu-

Metellum Celerem adjicit, eumque ita retulisse commemorat. Cum Galliis proconsul præesset, Indos quosdam à Rege Suevorum dono sibi datos, unde in eas terras devenissent requirendo, cognosse vi tempestatum, ex Indicis æquoribus abreptos, emensósque quæ intererant, tandem in Germaniæ littora exiisse. Restat ergo Pelagus, sed reliqua lateris ejusdem assiduo gelu durantur, & ideo deserta sunt.

CAPUT VI.

Hispaniæ et Septentrionis Insulæ.

His oris, quas angulo Beticæ hucusque perstrinximus, multæ ignobiles insulæ & sine nominibus etiam adjacent: sed earum quas præterire non libeat, Gades fretum attingit, eaque à continenti angusto spacio, & veluti flumine abscissa, qua terris propior est, pene rectam ripam agit: qua Oceanum spectat, duobus promontoriis evecta in altum, medium littus abducit, & fert in altero cornu ejusdem nominis urbem opulentam: in altero templum Ægyptii Herculis, conditoribus, religione, vetustate, opibus illustre, Tyrii condidere: cur sanctum sit, ossa ejus ibi sita efficiunt: annorum queis manet numerus: ab Iliaca tempestate principia sunt, opes tempus aluit. In Lusitania Erythia, quam Gerione habitatam accepimus, aliæque sine certis nominibus, adeò agri fertiles, ut cum semel sata frumenta sint, subinde recidivis seminibus segetem novantibus, septem minimum, interim plures etiam messes ferant. In Celticis aliquot sunt, quas quia plumbo abundant, uno omnes nomine Cassiterides appellant. Sena in Britannico mari Osismicis adversa littoribus, Gallici numinis oraculo

ıſignis eſt, cujus antiſtites perpetua virginitate ſan-
tæ, numero novem eſſe traduntur, Galli Senas
ocant, putantque ingeniis ſingularibus præditas,
ıaria ac ventos concitare carminibus, ſeque in
uæ velint animalia vertere, ſanare quæ apud alios
ıſanabilia ſunt, ſcire ventura & prædicere, ſed
on niſi dedita navigantibus, & in id tantum ut ſe
ɔnſulerent profectis. Britannia qualis ſit, qualeſque
rogeneret, mox certiora & magis explorata di-
entur. Quippe tam diu clauſam aperit ecce prin-
pum maximus, nec indomitarum modò ante ſe,
erum ignotarum quoque gentium victor, qui pro-
riarum rerum fidem ut bello affectavit, ita trium-
ho declaraturus portat. Cæterum ut adhuc habui-
ıus, inter ſeptentrionem occidentemque profecta,
randi angulo Rheni oſtia proſpicit, deinde obli-
ıa retro latera abſtrahit, altero Galliam, altero
ermaniam ſpectans, tum rurſus perpetuo margine
recti littoris abs tergo re abducta, iterum ſe in di-
erſos angulos cuneat triquetra, & Siciliæ maximè
nilis, plana, ingens, fœcunda, verùm iis quæ
ecora quàm homines benignius alant. Fert nemo-
, ſaltus, ac prægrandia flumina alternis motibus
ıodò in pelagus, modò retrò fluentia, & quædam
emmas margaritaſque generantia. Fert populos re-
eſque populorum, ſed ſunt inculti omnes, atque
: longius à continenti abſunt, ita aliarum opum
nari magis, tantùm pecore ac finibus dites, incer-
ım ob decorem, an quid aliud ultro corpora in-
cti. Cauſas autem bellorum ex libidine contra-
ınt, ac ſe frequenter invicem infeſtant, maximè
ıperitandi cupidine, ſtudioque prolatandi, quæ
ɔſſident. Dimicant non equitatu modò, aut pe-
te, verum & bigis, & curribus, Gallicè armati.
ovinos vocant, quorum falcatis axibus utuntur.
ıper Britanniam Juverna eſt, penè par ſpacio,
d utrinque æqualis, tractu littorum oblonga, cœli

ad

ad maturanda semina iniqui, verùm adeò luxuriosa herbis non lætis modò, sed etiam dulcibus, ut se exigua parte diei pecora impleant, & nisi pabulo prohibeantur, diutiùs pasta dissiliant. Cultores ejus inconditi sunt, & omnium virtutum ignari, pietatis admodùm expertes. Triginta sunt Orchades angustis inter se diductæ spaciis. Septem Hemodes contra Germaniam projectæ in illo sinu, quem Codanum diximus. Ex iis Codanonia, quam adhuc Teutoni tenent, ut magnitudine alias, ita fœcunditate antestat. Quæ Sarmatis adversa sunt ob alternos accessus, recursusque pelagi, & quòd spacia queis distant, modò operiuntur undis, modò nuda sunt, aliàs insulæ videntur, aliàs una & continens terra. In his esse Oonas, qui ovis avium palustrium & avenis tantum alantur: esse equinis pedibus Hippodas, & Otomegalos quibus magnæ aures, & ad ambiendum corpus omne patulæ, nudis alioqui pro veste sint, præterquam quòd fabulis traditur auctores etiam quos sequi non pigeat, invenio. Thule Belgarum littori opposita est. Graiis & nostris celebrata carminibus. In ea quòd sol longe occasurus exurgit, breves utique noctes sunt, sed per hyemem sicut alibi obscuræ, æstate lucidæ, quòd per id tempus jam se altiùs evehens, quanquam ipse non cernatur, vicino tamen splendore proxima illustrat: per solstitium verò nullæ, quòd tum jam manifestior non fulgorem modo, sed sui quoque partem maximam ostentat. Talca in Caspio mari sine cultu fertilis, omni fruge, ac fructibus abundans: sed vicini populi quæ gignuntur attingere nefas, & pro sacrilegio habent, diis parata existimantes, diisque servanda. Aliquot & illis oris, quas desertas diximus, æque desertæ adjacent, quas sine propriis nominibus Scythicas vocant. Ab iis in Eoum mare cursus inflectitur, inque oram terræ spectantis orientem pertinet. Hæc à Scythico promontorio appo-

sita,

ta, primùm omnis ob nives est invia: deinde ob nmanitatem habitantium inculta. Scythæ sunt An- rophagi, & Sagæ, distincti regione, quia feris :atet, & inhabitabili. Vasta deinde iterum loca elluæ infestant, usque ad montem mari imminen- :m, nomine Thabin. Longe ab eo Taurus attol- tur. Seres intersunt, genus plenum justitiæ ex ommercio, quod rebus in solitudine relictis, ab- :ns peragit, notissimum.

CAPUT VII.

INDIA.

INdia non Eoo tantum apposita pelago, sed & ei quod ad meridiem spectans Indicum diximus, : hinc Tauri jugis, ab occidente Indo finita, ıntum spacium littoris occupat, quantum per sexa- inta dies noctesque velificantibus cursus est, ita ıultum à nostris abducta regionibus, ut in aliqua arte ejus neuter septentrio appareat, aliterque quam ı aliis oris, umbræ rerum ad meridiem jaceant. ;æterum fertilis, & vario genere hominum, alio- ımque animalium scatet. Ali formicas non mi- ores maximis canibus, quas more Gryphorum au- ım penitus egestum cum summa pernicie attin- entium custodire commemorant. Immanes & ser- entes aliqui, ut Elephantes morsu atque ambitu orporis conficiant. Tam pinguis alicubi, & tam :racis soli, ut in eo mella frondibus defluant, la- as sylvæ ferant, arundinum fissa internodia veluti aviculæ binos, & quædam ternos etiam vehant. ;ultorum habitus moresque dissimiles. Lino alii estiuntur aut lanis, quas diximus, alii ferarum viumque pellibus, pars nudi agunt, pars tantùm bscœna velati, alii humiles parvique, alii ita pro- :ri & corpore ingentes, ut Elephantis etiam, & ibi

ibi maximis, ſicut nos equis, facile atque habiliter utantur. Quidam nullum animal occidere, nulla carne veſci optimum exiſtimant. Quoſdam tantum piſces alunt. Quidam proximos parenteſque priuſquam annis, aut ægritudine in maciem eant, velut hoſtias cædunt: cæſorumque viſceribus epulari fas & maximè pium eſt. Alii ubi ſenectus aut morbus inceſſit, procul à cæteris abeunt, mortemque in ſolitudine nihil anxii expectant: prudentiores eis, quibus ars, ſtudiumque ſapientiæ contingit, non expectant eam, ſed ingerentes ſemet ignibus, læti & cum gloria accerſunt. Urbium quas incolunt (ſunt autem plurimæ) Nyſa eſt clariſſima & maxima. Montium Meros Jovi ſacer, famam hinc præcipuam habent, quòd in illa genitum, in hujus ſpecu Liberum arbitrantur eſſe nutritum: unde Græcis authoribus, ut femori Jovis inſutum dicerent, aut materia ingeſſit, aut error. Oras tenent ab Indo ad Gangem Palibotri, à Gange ad Iolida, niſi ubi magis quam ut habitetur, exæſtuat, atræ gentes, & quodammodo Æthiopes. Ab Iolide ad Cudum recta ſunt littora, nudique populi, & marinis opibus affatim dites. Tabis promontorium eſt quod Taurus attollit, communis utriuſque maris angulus, initiumque lateris ad meridiem verſi, Ganges & Indus amnes, ille multis fontibus in Hæmodo Indiæ monte conceptus, ſimul unum alveum fecit, fit omnium maximus, & alicubi latius, quando anguſtiſſimè fluit, decem millia paſſuum patens, in ſeptem ora diſpergitur. Indus ex monte Paropamiſo exortus, & alia quidem flumina admittit: ſed clariſſima Cophen, Aceſinem, Hydaſpen, conceptamque pluribus alveis undam lato ſpacio trahit. Hinc penè Gangem magnitudine exæquat. Pòſt ubi aliquot ſæpe magnis flexibus cingit jugum, ingens iterum, rectus, ſoliduſque deſcendit, donec ad lævam dextramque ſe diducens, duobus oſtiis longe diſtantibus exeat.

Ad

ıd Tabin insula est Chryse, ad Gangem Argyre, ltera aurei soli (ita veteres tradidere) altera argen- :i, atque ita, ut maxime videtur, aut ex re no- ıen, aut ex vocabulo ficta fabula est. Taprobane, ıt grandis admodum insula, aut prima pars orbis terius Hipparcho dicitur, sed quia habitatur, nec uisquam circum eam esse traditur, prope verum est. ontra Indi illa ostia sunt, quæ vocant Solis, adeo habitabilia, ut ingressos vis circunfusi aëris exa- imet confestim: & inter ipsa ostia Patalene regio ɔ æstus intolerabiles, alicubi cultoribus egens. Inde l principia Rubri maris pertinens invia, atque de- rta humus, & cineri magis quam pulveri similis. leoque per eam rara, & non grandia flumina ema- ınt, quorum Tuberonem & Arusacem, notissima :cepimus. Rubrum mare Græci, sive quia ejus ıloris est, sive quia ibi Erythras regnavit ἐρυθρὰν λασσαν appellant, procellosum, asperum, profun- ım, & magnorum animalium magis quam cætera ıpax: primo recedenteis oras æqualiter impellit: & : non intret interius, aliquantum patens sinus erat. ed quas ripas inflexerat, bis irrumpit duosque ite- ım sinus aperit: Persicus vocatur dictis regionibus :opior: Arabicus ulterior.

CAPUT VIII.

SINUS PERSICUS.

PErsicus, qua mare accipit, utrinque rectis lateri- bus grande ostium quasi cervice complectitur, einde terris in omnem partem vaste, & æqua por- ɔne cedentibus, magno littorum orbe pelagus in- ngens, reddit formam capitis humani. Arabici, & ; arctius, & latitudo minor est, major aliquanto cessus, & multo magis longa latera. Init penitus trorsusque dum Ægyptum penè, & montem Ara-

bia

biæ Casium attingit, quodam fastigio, minus ac minus latus, & quo magis penetrat angustior. Ab iis quæ diximus, ad sinum Persicum, nisi ubi Chelonophagi morantur, deserta sunt. In ipso Carmani navigantium dextera positi, sine veste ac fruge, sine pecore ac sedibus, piscium cute se velant, carne vescuntur, præter capita toto corpore hirsuti. Interiora Gedrosi, dehinc Persæ habitant. Cethis per Carmanios: supra Andanis, & Corios effluunt. In parte quæ pelagi ostio adversa est, Babyloniorum fines Chaldæorumque sunt, & duo clari amnes, Tigris Persidi propior, ulterior Euphrates. Tigris ut natus est, ita descendens usque ad littora permeat: Euphrates immani ore aperto, non exit tantum unde oritur, sed & vaste quoque decidit, nec secat continuo agros, sed latè diffusus in stagna, diùque sedentibus aquis, & sine alveo patulis piger, post ubi marginem rupit, vere fluvius est, acceptisque ripis celer & fremens, per Armenios & Cappadocas occidentem petit, ni Taurus obstet, in nostra maria venturus. Inde ad meridiem avertitur, & primum Syros, tum Arabas ingressus, non perdurat in pelagus, verum ingens modo & navigabilis, inde tenuis rivus despectus emoritur, & nusquam manifesto exitu effluit ut alii amnes, sed deficit. Alterum latus ambit plaga, quæ inter utrumque pelagus excurrit, Arabia dicitur, cognomine Eudæmon, angusta, verum cinnamomi & thuris, aliorumque odorum maxime ferax. Majorem Sabæi tenent partem ostio proximam & Carmanis, contrariam partem Macæ: quæ inter ostia ostenditur, sylvæ cautesque exasperant: aliquot sunt in medio insulæ sitæ, Ogyris, quod in ea Erythræ regis monumentum est, magis clara quam cæteræ.

CAPUT

CAPUT IX.

SINUS ARABICUS.

ALterum ſinum undique Arabes incingunt: ab ea parte quæ introëuntibus dextra eſt, urbes ınt Carræ, & Arabia, & Gandamus. In altera ab timo angulo prima Beronice inter Heroopoliticum, ; Scrobilum. Deinde inter promontoria Morone- ɔn, & Coloca, Philoteris, & Ptolemais. Ultrà rſinoe, & alia Beronice. Tum ſylva quæ hebenum, loreſque generat, & manu factus amnis. Ideoque ferendus quòd ex Nili alveo Diorige abductus extra num, verum inflexu etiamnum rubri maris pars be- iis infeſta, ideoque deſerta eſt: partem Candæi ha- tant, hi quos ex facto, quia ſerpentibus veſcuntur, phiophagos vocant. Fuere interius Pygmæi, minu- ım genus, & quod pro ſatis frugibus contra Grues micando defecit: ſunt multa volucrum, multa ſer- entium genera. De ſerpentibus memorandi maxime ıos parvos admodum, & veneni præſentis certo anni mpore ex limo concretarum paludum emergere, in agno examine volantes Ægyptum tendere, atque in ſo introitu finium ab avibus, quas Ibidas appellant, lverſo agmine accipi, pugnaque confici, traditum t. De volucribus præcipuè referenda Phœnix, ſem- ɛr unica, non enim coitu concipitur, partuve gene- ıtur: ſed ubi quingentorum annorum ævo perpetua ıravit, ſuper exaggeratam variis odoribus ſtruem ſibi ſa incubat, ſolviturque: deinde putreſcentium mem- :orum tabe concreſcens, ipſa ſe concipit, atque ex rurſus renaſcitur: cum adolevit, oſſa priſtini cor- oris incluſa myrrha Ægyptum exportat, atque in rbem, quam Solis appellant, fragrantibus nardo bu- is inferens, memorando funere conſecrat. Ipſum romontorium quo id mare clauditur, Ceras Auſtri, ltra *invium eſt.*

CAPUT

CAPUT X.

ÆTHIOPIA.

ÆThiopes ultrà sedent. Meroëni habent terram quam Nilus primo ambitu amplexus insulam facit: pars quia vitæ spacium dimidio fere quàm nos longius agunt, Macrobii; pars quia ex Ægypto advenere, dicti Automolæ, pulchri forma, æqui corporis; parumque veneratiores, veluti optimarum alumni virtutum. In illis mos est, cui potissimum pareant, specie ac viribus legere. Apud hos plus auri, quam æris est, ideo quod minus est, preciosius censent. Ære exornantur, auro vincula fontium fabricant. Est locus apparatis epulis semper refertus, & quibuslibet vesci volentibus licet ἡλίου τράπεζαν appellant, & quæ passim apposita sunt, affirmant innasci subinde divinitus. Est lacus quo perfusa corpora quasi uncta pernitent, bibitur idem, adeò est liquidus, & ad sustinenda quæ incidunt, aut immittuntur infirmus, ut folia etiam proximis decisa frondibus, non innatantia ferat, sed pessum & penitus accipiat. Sunt & sævissimæ feræ omni colore varii Lycaones, & quales accepimus Sphingas. Sunt miræ aves cornutæ Tragopomones, & equinis auribus Pegasi. Cæterum oras ad Eurum sequentibus nihil memorabile occurrit, vasta omnia vastis præcisa montibus, ripæ potius sunt, quam littora. Inde ingens & sine cultoribus tractus dubium aliquandiu fuit, essetne ultra pelagus: caperetne terra circuitum, an exusta, æstu sine fine Africa se extenderet: verum & Hanno Carthaginensis exploratum missus à suis, cum per oceani ostia exisset, magnam partem ejus circumvectus, non se mari, sed commeatu defecisse commentario retulerat: & Eudoxus quidam avorum nostrorum temporibus cùm Lathyrum Regem Alexandriæ profugeret, Arabico sinu egressus, per hoc pelagus

ıelagus (ut Nepos affirmat) Gades usque pervectus ſt, ideo ejus oræ nota sunt aliqua. Sunt autem :ans ea quæ modo deserta diximus, muti populi, & uibus pro eloquio nutus est, alii sine sono linguæ, lii sine linguis, alii labris etiam cohærentibus, nisi |uòd sub naribus etiam fistula est, per quam bibere venæ calamis: & quum incessit libido vescendi, grana ingula frugum passim nascentium absorbere dicuntur. unt quibus ante adventum Eudoxi adeò ignotus ignis ıit, adeoque usus mirum in modum placuit, ut mplecti etiam flammas, & ardentia sinu abdere, onec noceret, maxime libuerit. Super eos grandis ttoribus flexus grandem insulam includit, in qua ıntùm fœminas esse narrant, toto corpore hirsutas, z sine coitu marium sua sponte fœcundas, adeò speris efferisque moribus, ut captæ contineri ne reıctentur vix vinculis possint, hoc Hanno retulit, z quia detracta occisis coria pertulerat, fides haıita est. Ultra hunc sinum mons altus (ut Græci ocant) Θεῶν ὄχημα, perpetuis ignibus flagrat: ultra ıontem viret collis longo tractu longis littoribus ıbductus, unde visuntur patentes magis campi, quam ıt prospici possint, Panum, Satyrorumque: hinc ıpinio ea fidem cepit, quod cum in his nihil culti it, nullæ habitantium sedes, nulla vestigia, solitudo n diem vasta, & silentium vastius, nocte crebri gnes micant & veluti castra late jacentia, ostenduntur. Crepant Cymbala & Tympana, audiunturque ibiæ sonantes majus humanis. Tunc rursus Æthioıes, nec jam dites, ut hi quos diximus, nec ita :orporibus similes, sed minores incultique sunt, & no nine Hesperio. In horum finibus fons est, quem Nili esse aliqua parte credibile est, Nuluch ab incois dicitur: & videri potest non alio nomine appelari, sed à barbaro ore corruptus: alit & flumen, k minora quidem ejusdem tamen generis animalia gignens, aliis amnibus in oceanum vergentibus, so-

lus in mediam regionem ad orientem abit, & quonam exeat incertum est. Inde colligitur Nilum hoc fonte conceptum, actumque aliquamdiu per invia, & ideo ignotum, iterum se ubi ad Eoa processerit, ostendere. Ceterum spatio quo absconditur effici, ut hic alio cedere, ille aliunde videatur exurgere. Catoblepas non grandis fera, verum grave & pergrande caput ægre sustinens, atque ob id in terram plurimum ore conversa, apud hos gignitur, ob vim singularem magis etiam referenda, quod cum impetu [illegible] nihil unquam sæviat, oculos ejus vidisse mortiferum. Contra eosdem sunt insulæ Corgades, domus, ut aiunt aliquando Gorgonum. Ipsæ terræ promontorio, cui ἑσπέρου κέρας nomen est, finiuntur.

CAPUT XI.

ATLANTICI MARIS INSULÆ, ET TERMINUS.

INde incipit frons illa, quæ in occidentem vergens mari Atlantico abluitur. Prima ejus Æthiopes tenent, media nulli, nam aut exusta sunt, aut harenis obducta, aut infesta serpentibus. Exustis insulæ appositæ sunt, quas Hesperidas tenuisse memoratur. In harenis mons est Atlas dense consurgens, verum incisis undique rupibus præceps, invius, & quo magis surgit exilior, qui quod altius quam conspici potest, usque in nubila erigitur, cælum & sidera non tangere modo vertice, sed sustinere quoque dictus est. Contra fortunatæ insulæ, abundant sua sponte genitis, & subinde aliis super aliis innascentibus nihil solicitos alunt, beatius quam aliæ urbes excultæ. Una singulari duorum fontium ingenio maxime insignis alterum qui gustavere, risu solvuntur in mortem, ita affectis remedium est, ex altero bibere.


ibere. Ab eo tractu quem feræ infestant, proximi int Himantopodes, inflexi lentis cruribus, quos ser-ere magis quam ingredi referunt. Deinde Pharusii, iquando tendente ad Hesperidas Hercule dites, anc inculti & nisi quod pecore alun[illegible] admodum iopes. Hinc jam lætiores agri, amœnique saltus 'erebintho arbore abundant. Nigrit[illegible]m, Getulo-imque passim vagantium ne lit[illegible]a quidem infœ-inda sunt purpura, & [illegible]urice efficacissi[illegible] ad tin-endum, & ubique quæ tinxere clarissima. Reliquæ t ora Mauritaniæ exterior[illegible] & in finem sui fasti-intis se Africæ novissimus [illegible]gulus, iisdem [illegible]ibus d minus dives. Cæterum solo etiam d[illegible]tior, & leo fertilis, ut frugum g[illegible]a non cum ferantur odo benignissimè procreet sed quædam profundat onte nata. Hic Anteus regnasse dicitur, & signum fabulæ clarum prorsus o[illegible]nditur, collis modicus supini hominis imagine jacentis, illius ut incolæ runt, tumulus: unde ubi aliqua pars er[illegible]ta est, so-it imbres spargi, & donec effossa repleantur, deve-ant. Hominum pars silvas frequentant, minus quam ios modo diximus vagi: pars in urbibus habitant, arum ut inter parvas opulentissimæ habentur, pro-l à mari Silda, Volubilis, [illegible]: Propius autem la; & Lyxo flumini Iunxo proxima. Ultra est Co-ia, & fluvius Zilia: & unde initium fecimus Am-lusia, in nostrum jam fretum vergens promonto-im, Atlantici littoris, atque operis hujus terminus.

LAUS DEO.

Finis Tomi Secundi.




3 2044 014 714 000


7 2000

